DIURNALE SACERDOTUM,

Seu Modus Quo *DIES NATURALIS*

à Sacerdote dignè ac meritoriè absolvi possit.

Studio & Opera

JO. MAURITII KEISER,
DANTISCANI,
Canonici Camenensis, Parochi Czluchoviensis, olim SS. D.N. Alumni Brunsbergensis.

Eremitarum Camald: in Wigrensi Insula
1692

DANTISCI
Venduntur apud SIMONEM BECKENSTEIN.

Anno Summi Sacerdotis DEI-HOMINIS
M DC LXXXI.

PERILLVSTRIBVS, ILLVSTRIBVS, REVERENDISSIMO ET ADMODVM REVERENDIS DOMINIS.

Per Illustri ac Reverendissimo Domino
FERDINANDO LUPINI, Præposito Infulato, & Canonico Gnesn.

Per Illustri ac Admodum Reverendo Domino
STANISLAO TREBNIC, Archidiacono & Officiali, Præposito Tucholiensi, Protonotario Apostolico, J. U. D.

Per Illustri ac Admodum Reverendo Domino
REMIGIO JEZIERSKI, Decano & Præposito Choinecensi.

Per Illustri ac Admodum Reverendo Domino
MATTHIÆ DULCIO, Custodi & Decano Czluchoviensi &c.

Illustri ac Adm. Reverendo Domino
FAUSTINO POSTAWSKI, Decano Czarkoviensi &c.

Illustri ac Adm. Reverendo Domino
JOANNI MALACHOWSKI.

Illustri ac Adm. Reverendo Domino
ALBERTO PENSKI,

Illuſtri ac Adm. Reverendo Domino
ADAMO LUTOWIENSI, Protonotario Apoſtolico.

Illuſtri ac Adm. Reverendo Domino
JOANNI GORCZINSKI, Decano Zlotovienſi &c.

Illuſtri ac Adm. Reverendo Domino
IGNATIO JUROWICZ, Decano Kaldenſi &c.

Illuſtri ac Adm. Reverendo Domino
MATTHIÆ GRABOWSKI, Decano Hamerſteinenſi &c.

PRÆLATIS ET CANONICIS INSIGNIS ECCLESIÆ COLLEGIATÆ CAMENENSIS,

Dominis ac Confratribus obſervandisſimis.

NOn ſemper quæ minima, eo ipſo non maxima dici poſſunt: cum & minima maxima foveant, ex minimis quoque maxima prodire conſtet: imò Chriſtianum minimè dixero, qui maxima in

in minimis latere neget. Ipſa enim Veritas Divina in minimo ſynapis grano, immenſum cœlorum proponit regnum. Et Natura oculis noſtris quotidie ſubjicit in minimo fructus grano altiſſimas latere arbores. Unde quidam non vanè gloriatus, altiſſimæ nubes tangentem Cedrum, cujus etiam quinquaginta robuſti vix cingerent craſſitiem, ſe unico totam tecturum digiti articulo, maximumque ſe fluvium, non tantum levi pede tranſilire, vel etiam unica abſconſurum manu cunctis mirantibus, impoſſibileque cenſentibus, unico dicto ſolvit paradoxum: *Ite ad principium & intelligetis myſterium.* Nec altiſſima Cedrus, nec immenſus fluvius, aliud quàm minimum unde oriantur, prædicant principium, adeoque maxima in minimis latere, nemo ſanus negare poteſt. *Nusquam magis mirabilis natura quàm in minimis*, ait Plinius. Quis neſciat in minimo grano pulveris nitrici tantum ignem, tantam vim deliteſcere; ut arces integras, & urbes quantumvis munitas evertat? Certè in minimo vis maxima. Horrenda tonitrua, triſulca fulmina, levis ciebit exhalatio: totas urbes ac regiones, terræmotu, levis aër terræ viſceribus eluctans ſuccutiet, graviſſimas maris tempeſtates, exiguus concitabit ventus, in minimo vis maxima. Comparet in conſpectu Veſtro, & manibus ſeſe offert uniuscujusque Veſtrum Per Illuſtres, Reverendisſime, Illuſtres, ac Admodum Reverendi Domini, libellus hic, ſub titulo DIURNALE SACERDOTUM in publicum editus. Minimum quid illum dixero, quia DIURNALE, unius ſcilicet diei exercitium, quomodo ergo non Minimum? cum illo diademate inſignitus Vates, mille annos unico comparat diei heſternæ. *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna quæ præteriit, Pſ.89.* Si mille anni ut dies, quæ jam non eſt, quid dies una,

quid diurnale unum? Latet tamen in hoc minimo maximum. Securè asserere licet, hoc diurnale esse illum agrum, in quo ingens absconditus latet thesaurus, cui comparavit Incarnata Sapientia Regnum cœlorum. Esse laterem illum, sub quo trina Cruce insignito, nullo labore, Tiberius immensas invenit divitias. Minimum, sed simul maximum. Comprehendit enim hoc minimum, infinitæ misericordiæ Divinæ thesauros, Sacramenta, illud infiniti valoris incruentum sacrificium corporis & sanguinis Christi, imo ipsissima incomprehensibilis Sanctissima Trinitas cum Cœlitibus omnibus hoc unico clauditur DIURNALI; immensam demum felicissimam & optatissimam complectitur Æternitatem. Cui sese potius hic in minimo infinitus thesaurus præsentet? quàm PerIllustribus, Reverendissimæ, Illustribus ac Admodum Reverendis Dominationibus Vestris. Non peccarem, si Vobis adscriberem Emblema, Gallinam in vili fimeto granum aut lapillum sedulò quærentem, cum Epigraphe: *NEC MINIMA SPERNIT.* Scilicet, ut mensis reddatur digna Potentis. Vobis hanc conformem sibi naturam indidit Deus: Nec minima spernere. *Divinum enim minima magna facere*, ut ait D. Chrysost. Hom. 9. ad pop. *Omnia Deus facit & satagit, ut ex minimis te coronet.* Et Hom. 22. ad pop. *Vilissima sint quæ fiant, innotificationis mercedem non amittimus.* Minima itaque non spernenda optimè nostis, cui haud maxima perdere in votis est. Vobis quibus unaquæque dies, non tantum dies, sed & quælibet hora cordi est, utpote observantibus salutare illud monitum Salvatoris: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam, Matth. 25.* Quorum uniuscujusque vigilantia in avertenda hæresi, zelus in reducendis fraude dæmonum

redu-

reductis animabus. Labor continuus ſine tædio, in promovendo cultu Divino omnibus notus, ab ipſis etiam laudatus adverſariis. Vobis itaque debetur hoc Diurnale, ut ſub patrocinio PerIlluſtrium, Reverendisſimæ, Illuſtrium ac Adm. Reverendarum Dominationum Veſtrarum, non tantùm proxima, ſed & disſita ac remota illuminentur Spatia, plurimique invitentur incitenturque ad laudandum, amandum, ſerviendum, hoc minimo vitæ curriculo, Optimo, omni amore digniſſimo DEO, cui ſit laus, amor, & honor ab omni creatura in æternum, & ultra.

PerIlluſtrium, Reverendisſimæ,
Illuſtrium ac Adm. Reverendarum
Dominationum Veſtrarum

Confrater

Joannes Mauritius Keiſer.

LIbrum cui Titulus DIURNALE SACERDOTUM &c. ab Illuſtri & Admodum Reverendo Dn. Joanne Mauritio Keiſer Dantiſcano, Canonico Camenenſi, Parocho Czluchovienſi conſcriptum (ex Commiſſione PerIlluſtris & Reverendiſſimi Domini Joachimi ab Hirtenberg Paſtorii, Canonici Varmienſis, Decani, Parochi ad B. M. V. & Officialis Gedanenſis ac per Pomeraniam Generalis, Præpoſiti ad S. Adalbertum S.R.M. Secretarii) legi, in quo nihil aut Eccleſiæ Romano-Catholicæ, aut bonis moribus repugnans, continetur. Quin imo Opus hoc utiliſſimum Sacerdotali ſtatui fore, cenſeo: utpote quod mellifluum mihi Alveare repræſentare videtur; in quod Autor operis tanquam Apis argumentoſa melleum nectar & ambroſiam, quà ex hybleis piorum Aſcetarum, eorundemque librorum floſculis, quà è ſuo in proprium agrum à ſuperno Pneumate cœlitùs illapſo, ac derivato rore operosè collegit. Dignum profecto ex quo omnes, quotquot ſunt in Eccleſiâ orthodoxâ Regali Sacerdotio ornati, cœleſtem omni terrenâ dulcedine ſapidiorem ad animarum ſuarum delicias ſugant ſuavitatem, qua repleti tàm ore, quàm corde in diurnali hoc totâ die laudem dicant Magno Domino & laudabili nimis, guſtentque indies majori ac majori ſapore quàm ſuavis eſt Dominus his qui recto ſunt corde. Meretur propterea, ut diem videat, atque in lucem publicam typis vulgatum prodeat. Dabam Dantiſci in Reſidentia Parochiali B. M. Virginis 8. Septembris A. D. 1680.

Joannes Franciſcus Hackius,
Societatis Jeſu.

Appro-

Approbatio Ordinarii.

IMPRIMATUR.

Joachimus ab Hirtenberg Paſtorius Canon. Varmienſ. Decanus, Parochus ad B. M. V. & Officialis Gedanenſis, ac per Pomeraniam Generalis, Præpoſitus ad S. Adalbertum, S. R. M. Secretarius.

AD LECTOREM.

BEnevole Lector; Forsitan te animus avocat ab hoc Opusculo, dum titulum præfixum habet: DIURNALE SACERDOTUM, quasi pro solis Sacerdotibus sit conscriptum. Verùm si revocaveris tibi in mentem verba Christi Domini ad Discipulos suos, consequenter ad Sacerdotes prolata; Vos ESTIS LUX MUNDI, alio imbuêris Spiritu. Si enim Sacerdotes sunt LUX MUNDI, ergo non solum se, sed indifferenter omnes tam spirituales quàm sæculares, tam divites quàm pauperes (suâ scilicet bonâ vitâ) illuminabunt. In hoc autem Opusculo bona vita Sacerdotis accuratè delineata, quà pro suâ ædificatione tam spiritualis quàm secularis frui potest pro libitu; adeò ut hic libellus de se dicere possit quod S. Paulus: *Omnibus omnia factus sum.* Inveniet hic peccator Contritionem, Pœnitens modum confitendi, Comedens modum comedendi, Itinerans modum itinerandi, Communicans modum communicandi. Avarus spiritualis modum lucrandi, Moribundus securum comitatum in via periculosissima mortis, Ecclesiastes materiam concionandi &c. &c. &c. Præter ea quæ copiosissimè *Regale Sacerdotium* pro se inveniet.

Protestor equidem, me hoc Opusculum edendo, nolle Magistrum agere, neque enim mihi tantum attribuo, sed secundùm illud commune Theologorum

Axioma

Axioma; *Omne bonum sit communicativum sui*, quidquid legi, vidi, audivi, aut ultrò ex gratiâ Divinâ occurrit boni, in hoc opus contuli pro statu nostro Sacerdotali qui eximius est, quia vices agit Filii Dei, qui nobis dans exemplum Perfectissimus & Sanctissimus fuit in mundo, cui similes esse in hac vocatione secundùm statum viæ ex officio pro posse tenemur. De nobis enim dictum: *Ego dixi; dii estis*. Dei utique est peccatoribus cœlum aperire, hoc nos Sacerdotes facimus baptizando. Dei est dimittere peccata; Hoc idem facimus in Sacramento Pœnitentiæ. Dei est substantias immutare: hoc idem facimus in tremendo sacrificio. Quanta igitur à nobis requiritur sanctitas? *Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem? Os quod igni spirituali repletur, linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit?* ait aureo ore D. Chrysost. hom. 60. ad Pop. Antioch. Quæcunque itaque pro meo privato usu in Unum congesseram (utinam verò ad praxin deducam!) tanquam Bonum sui communicativum omnibus Confratribus Sacerdotibus, cæterisque pietati deditis Animabus sine invidiâ communico, ut insimul perfectè prout oportet, ut Theologi loquuntur, amemus, laudemus, glorificemus Deum nostrum, hic in terra, & tandem Eo fruamur pariter beatificè in cœlo ad majorem Magni DEI gloriam, Amen, Amen. Fiat, Fiat.

DIUR-

DIURNALE SACERDOTUM,

Seu

DIES NATURALIS

Quomodo à Sacerdotibus dignè & meritoriè possit absolvi.

DOgma universale est sacræ Theologiæ Romanæ Catholicæ de necessitate medii esse: Credere DEUM esse TRINUM & Unum: UNUM in Essentia, TRINUM in Personis. Huic veritati infallibili me conformans diem naturalem in tres dividam partes, ut sit unus dies, quia UNUS DEUS: tres partes, quia tres Personæ, PATER & FILIUS & SPIRITUS SANCTUS. Has tres partes mihi suggerit Regius Psaltes: *Vespere & mane & meridie annuntiabo laudem tuam. Ps.* 54. Mane, repræsentando DEUM PATREM, tanquam principium TRINITATIS. Meridie, FILIUM DEI, tanquam mediatorem DEI & hominum. Vespere, SPIRITUM SANCTUM, clausulam quasi Divinarum Relationum, Amoremque Patris & Filii invicem. Antequam aggrediar ipsas partes diei, præcedat ut naturaliter solet, diem Aurora. Diem præcedens Aurora est quasi dispositio aliqua seu præambulum cursus Solis. Habet & hæc dies spiritualis sive DIURNALE SACERDOTUM suam quoque auroram: utpote dispositionem ad S. SACERDOTIUM. Ex aurora judicatur dies, ex dispotione, cursus seu vita ulterior SACERDOTIS. Quare eandem tanquam auroram initio hujus diei præpono. Sit itaque.

PRÆ-

PRÆAMBULUM.

STultè certè ageret, qui magnum cogitaret extruere ædificium, non posito solido fundamento. Si quod magnum ædificium certè Sacerdotium, in quo tot extant mansiones, quot munia exercet Sacerdos, baptizat aut absolvit Pœnitentem: En mansionem Sanctissimæ Trinitati consecrat. Ipsi DEO Incarnato Hospitium sub speciebus Panis & Vini determinat, & sic de aliis. Nonne itaque solido fundamento opus. Unde tot (eheu!) scandala ex Sacerdotibus? Unde tot animarum æternus interitus? Unde tot animarum neglectus? nisi quia ædificium corruit ex defectu solidi fundamenti. Qui itaque cupit Bonus Sacerdos, Verus Vicarius Christi, fructuosus Lucrator animarum esse: Hæc quæ sequuntur, observet.

Præparatio Remota ad Sacerdotium.

CAve ne eligas statum Sacerdotii ob proventus pingues, vel spe dignitatum & honorum futurorum: non enim hic est finis Sacerdotii.

2. Sæpe tibi proponas dignitatem Sacerdotii; quæ in hoc consistit; ut sis Vicarius Christi, ut sis Cooperarius Filii Dei, in quærendis animabus & illis lucrandis, & inde nascetur sitis lucrandi animas exemplo Christi Jesu, hicque est finis Sacerdotii.

3. Aliquot mensibus in hunc finem semel saltem quâli-

quâlibet hebdomadâ abſolvas communionem: ſic fecit S. P. Ignatius de Lojola, Societatis JESU Fundator.

4. Cùm ſtatui ſacerdotali annexum ſit votum Caſtitatis, probet ſeipſum homo, an poſſit ſervare illud accuratè, ne poſtea doleat, dum reſilire non licet; ſin ſecus, alium eligat ſtatum ſecundum illud tritum: Lepiey bydz proſtem chlopem, á nizelizlym Popem.

5. Cùm autem quilibet homo ex carne & ſpiritu conſtet, conſequenter impugnetur non tantum ab externis, ſed etiam ab hoſte domeſtico, carne: tam per Characterem Sacerdotii, quàm per præviam diſpoſitionem proximam, datur à Deo gratia, non tantum evadendi inſidias carnis, ſed etiam aliorum hoſtium ſpiritualium, ut mox videbimus ex privilegiis quæ conceduntur bene ſeſe diſponentibus ad Sacerdotium. Quæ accuratisſimè, ut etiam diſpoſitionem proximam R.P. Nicolaus Lancicius in Opuſculo ſuo de officiis Sacerdotis lib. 1. c. 1. de Sacerdotio præſcribit, quæ hic fideliter ponam.

Diſpoſitio proxima ad Sacerdotium.

SUſcepturus itaque PRESBYTERATUM, primo per exercitia ſpiritualia piarum meditationum, & confesſionis non pauciorum quàm decem dierum ſe diſponat, illaque cum fervore & aſſidua quantum fieri poterit, actuum intenſiſſimorum frequentatione peragat, ut lucretur Indulgentiam plenariam à Paulo V. concesſam iis, qui per decem dies ad exercitia ſeceſſerint, ſaltem duabus horis, quovis die vacando rerum Divinarum conſiderationi, tum ut ita cum majori puritate accedat ad Sacerdotalem Characterem ſuſcipiendum, & primam Deo Hoſtiam in ſacro altari offerendam,

tum maximè, ut plures ac majores ac efficaciores gratias sacramentales Sacramenti Ordinis mereatur à Domino consequi, & eas suis operibus obtinere ad munia Sacerdotalia cum magno fructu obeunda ad propriam & aliorum utilitatem.

Actus verò tempore Exercitiorum supernaturales intensissimi exercendi, Contritionis, Humilitatis, Patientiæ, Dilectionis inimicorum, seu adversariorum, Resignationis, Obedientiæ, Amoris erga Deum, Devotionisque qui sint intensissimi & frequentissimi, & summo animi conatu, applicatione, ac fervore quodammodo Seraphico, purè propter majorem Dei gustum & consolationem peragantur. Præter hos actus purget quoque animam exactissima Confessione seu generali, si eam antea non fecit, sive alia æquivalenti eo modo quo illam faceret, si ei jamjam moriendum esset, ita ut nihil prorsus relinquat in conscientia quamvis tenuissimum, & quod minimam umbram aut peccati speciem redoleat, quod accuratissima & sincerissima confessione non expiet, ut hac ratione instar nitidissimi & purissimi adamantis corpus & animam exhibeat Divinæ Majestati ad suscipiendum tam mirum ac sanctæ Ecclesiæ adeò accessorium ac utilem sacerdotalem Characterem. Insuper tempore Exercitiorum per pias Meditationes quæ solent fieri, conetur excitare se ad vitam deinceps melius & sanctius instituendam, & usq; ad mortem continuandam, ut planè mutetur in alium & prorsus divinus homo evadat, & ex Exercitiis discedat plenus Deo. Vide fusius hæc in Tomo secundo Patris Lancicii loco supra citato. Porro gratiæ sacramentales cum magna præparatione & fervore spiritus suscipientibus Sacramentum Ordinis, præsertim Sacerdotium, hæ à Deo solent concedi ordinariè plus vel minus pro quantitate dispositionis præmissæ susce-

ptioni,

ptioni, ut ait *Lugo d.4. de Sacramento, lib.3. num.19.*
1. Magna Devotio etiam sensibilis in recitandis horis Canonicis & sacrificio Missæ offerendo. 2. Magnum & practicum lumen ad discernenda peccata in audiendis aliorum confessionibus. 3. Accursus pœnitentium conscientias vel sacrilegis confessionibus, vel malefactis vel aliis peccatis intricatas habentium ad petendum auxilium in confessione illudque ea iterata inventum. 4. Gratia extrahendi pœnitentes è misero peccati statu. 5. Notabilis provectus in virtutibus confitentium talibus sacerdotibus vel conversantium cum illis. 6. Agnitio peccatorum multorum antea non dictorum in confessione vel ex oblivione aut ignorantia, vel ex inconsiderantia & negligentia. Unde moventur ad confessiones bonas coram talibus Sacerdotibus faciendas. 7. Quies conscientiæ antea non habita, collata confitentibus coram talibus Sacerdotibus.

Solet enim Divina benignitas extraordinarias gratias intuitu Sacramenti ordinis extraordinaria præparatione & fervore suscepti conferre, iis, qui eo, ut dictum est, modo Sacerdotium susceperunt, ut sunt: Per insperata nec expetita, sed repentina lumina in oratione, vel horas dicendo, vel Missam celebrando, vel utrobique cognoscunt res occultas, futuras, & alias ad se vel ad alios eis confitentes spectantes necessarias & utiles. Eodem quoque modo clarè cognoscere solent vel peccata occulta suorum pœnitentium, ab illis nunquam dicta in confessione, vel alias res eorum secretissimas nulli hominum notas, quæ ab illis factæ sunt. Itidem semper ferventissimè dicunt Missam & horas Canonicas quovis tempore, etiam post somnum immediatè, & post occupationes valde distractivas, dum tunc coguntur facere ob defectum temporis. Bona enim Theologia docet, quod Deus non permittat se vinci ab homi-

nibus ejus gratiæ cooperantibus, ſed eas ſua libertate vincit. Sic ſanctus Chryſoſtomus hom. 20. ad pop. *Petitiones noſtras ſemper multo exceſſu ſuperat.* Plura vide apud Patrem Lancicium, ubi ſupr.

PARS I.

DIxi DEUM Patrem eſſe Principium Trinitatis, aptiſſimè igitur illi offertur principium diei, ſicut enim à prima perſona proveniunt aliæ duæ, ſic à principio diei proveniunt aliæ duæ partes, Meridies ſcil. & Veſper cum Nocte.

CAPUT I.

Modus ſurgendi ex virtute humilitatis.

NOtum omnibus; Humilitatem eſſe fundamentum omnium Virtutum, omnis devotionis, & ſanctitatis. Itaque ut humilitatem quaſi fundamentum totius diei ponas, perſuade tibi, ſic te à ſomno in vigiliam expergiſci, ſicut quando ex nihilo tui eſſe in rerum naturam per Dei creatricem potentiam emerſiſti.

Ita igitur plenè ac omnimodè te in manus & potentiam ſeu voluntatem Dei pone, & in eum te ſtatum tui redige quolibet primo evigilationis tuæ momento vel tempore, quam plenè ac omnimodè ſubjacuiſti Dei potentiæ, & in quo ſtatu reſpectu Dei fuiſti in primo exiſtentiæ tuæ inſtanti. Cogita in quovis primo puncto evigilationis ac ſurrectionis tuæ ſic te

tibi à Deo cum omnibus tibi adjunctis requisitisque veluti de novo dari & donari, quomodo idem tibi tu ab eodem Deo cum omnibus adesse, & vivere, & operari requisitis datus & donatus es, in prima tui Conditione atque creatione; perinde enim hoc, imò quovis vitæ tuæ momento, nihil ad tuum esse de tuo confers, sed totum à Deo accipere indiges, atque in primo existentiæ tuæ puncto indiguisti, concessitque tibi, & quidem ad hoc, ut Deum ames ex toto corde laudes & illi fideliter servias. Tota igitur Mendicitatis nihilique tui abysso mendica supplex à Deo totum te, usum tui, usum omnium potentiarum, usum omnium creaturarum, tibi in sequenti vita necessariarum, ad amandum, laudandumque Deum tuum, & ad promptiùs ei serviendum. Porrige hunc usum omnem ad purum, putum gustum, maximamque gloriam Dei & dulcissimam voluntatem ejus.

Alius modus p.m. Reverendi Patris Gasparis Druzbicki Poloni, Societ. IESV. ex M. S.

MAnè evigilans, & à lecto ad signum Campanæ aut horologii tanquam ad vocem Domini tui [ex virtute obedientiæ] prosiliens, salutabis pronus Angelum tutelarem tuum, & Angelum tutelarem contubernalis tui, omnesque Angelos Custodes personarum, & totius domus, in qua cubasti. Humiles eorum charitati gratias agens, quòd te naturâ inferiorem vermiculum nocte abeunte custodierint, & à visibilibus invisibilibusque malis clementer defenderint. Dices: *Angele Dei qui custos es mei &c.* Salutabis & Angelos præsides totius in qua habitas Civitatis, &

Tute-

Tutelares omnium personarum illius tum custodes totius Regni, Christianitatis totius universi præsertim eos qui sunt motores Solis, Lunæ, syderum, omniumque cœlorum tibi & fratribus tuis hominibus servientium, cæterosque omnes Deo in altissimis præsentes, & voce incessabili concinentes, quasi Aulicos Altissimi, antequam te ad ejus conspectum sistas, & petes ab eis, ut tuæ parvitatis memores esse dignentur , & in hora mortis pauperem tuam animam ab incursu Maligni & omni adversitate tueantur.

Salutabis deinde omnes Sanctos, quorum penes te habes reliquias, supplici & reverenti mentis prostratione, ad eorum in gloria Thronos tanquam rogator miser & egens accumbes.

Tum Sanctos quos peculiariter colendos in Patronos Patronasque assumpsisti. Deinde Sanctorum quorum eo die in Martyrologio memoriam habet Ecclesia. Demum omnes alios felicis Hierusalem Cives & indigenas, petens humiliter ut tibi exuli gratiam, in eaque perseverentiam apud Patrem Misericordiarum impetrare dignentur, quâ adjutus eadem cum illis aliquando donari Civitate merearis. Et in diebus peregrinationis tuæ tibi in omnibus animæ corporisque necessitatibus misericorditer adesse velint, præsertim verò in hora mortis & adventus magni Dei. Tandem ante pedes Magnæ Cœli terrarumque Reginæ Matris DEI MARIÆ provolutus, omniumque servorum illius obsequiis eam venerari & salutare desiderans, cum eo si possibile esset affectu , quem Filius ipse CHRISTUS JESUS in illam habuit, supplex mente obsecrabis, per illa potissimùm gaudia, quæ de manè lactans, pannis involvens, suavissimeque deosculans, DEUM hominem & velut pretiosissimum sui pectoris monile in ulnis gestans sentiebat, Ut Domina

hæc Pientiſſima tui indignisſimi mancipii, & Creaturæ DEI, memor eſſe dignetur ac profectum quam maximum in ſpiritu, pasſionibusque extinguendis, in ſimilitudine JESU CHRISTI, in gratia Dei incrementum, ad laudem, gloriam & guſtum Altisſimi ſuæque Majeſtatis miſericorditer impetret, te toto ſequenti die ab univerſis Nequisſimi impresſionibus, impuris phantaſmatis, & obſcœnis ſuggeſtionibus clementer protegat, & in hora mortis contra aëreas poteſtates miſeræ animæ tuæ opituletur, ut per totam æternitatem magnificare magnalia ejus quæ tibi ingratisſimo mortalium contulit, coram tota curia cœleſti posſis. Demum omnes SS. Angelos, omnes Beatorum mentes ipſamque cœli Matremfamilias, & Dominam tuam clementisſimam MARIAM rogabis enixè, ut te Sacratisſimæ Trinitati, Patri & Filio & Spiritui S. Domino DEO Sabbaoth terribili & forti, juſto & miſericordi, admirabili, laudabili, amabili, qui ſolus ſufficientisſimus habitat æternitatem antiquam & lucem inacceſſibilem præſentare velint.

Quos Ductores ſecutus ad oſtium cœleſtis Jeruſalem animo provolutus, ſupplex Regem & Deum tuum, tres Perſonas, unam & indiviſam Eſſentiam, humillimè, & cum eo quo poteris ardentisſimo pientisſimoque affectu adorabis, humillimas pro univerſis Divinæ Majeſtatis ejus beneficiis perſolvens gratias, & omni qua poteris ratione ſupereminentisſimam Divinitatem, Sapientiam, Potentiam, Bonitatem & omnia divina attributa illius magnificans, adorans, appretians, amans, eandem ipſam Divinisſimam TRIADEM, ut ſe pro dignitate magnificet, appretiet, amet, humiliter ardenterque deprecando. Tum mancipium te eſſe Majeſtatis illius, & quidem omninò volun-

voluntarium recognoſcas, ac ſanctisſimæ, æquisſimæque ejus voluntati ultroneè deſpondebis: proteſtans omnium rugientium affectu præcordiorum, quod ſi per imposſibile tuus, & à te eſſes, illi te plenisſimè donares, ſubmitteres, devoveres: imò ſi certò ſcires te per manum conſilii tui parem Chriſto gloriam & bonitatem obtinere, & ſuper omnia creata Dominium conſequi poſſe, (malles æternæ damnationis periculo exponi, quàm cum intuitu tantummodo actus, qui tanquam tuus, ſalutem tibi æternam conciliaret absque Divina gratia, ſtatim eſſe beatus) Per ſubjectionem verò ad voluntatem Omnipotentis, ſalutem tuam dubiam (ut nunc viatorum eſt) futuram, imò propè (ut obduratorum) deſperatam, nihilominus præeligeres cum aliquali ex te gloria Majeſtatis Domini Dei, illi totaliter ſubjici, & ex ejus clementisſimo nutu pendere, quodque vel ad momentum ſervus illius fueris in æternum gloriari, quàm à te, pro te, & in te, cœlo ejusque omnibus deliciis & dominatu infallibiliter potiri (ſi in aliqua creatura aliquid bonitatis ab ipſa, & non à Deo profectæ invenires, ut eidem auferres & Deo univerſorum Domino attribueres) Poſtea actum ferventisſimæ charitatis elicere conaberis, appretiando cordialiter ſummum & ſuperexcedens omne posſibile bonum, Bonum Divini eſſe, collectionem ac congregationem completisſimæ & perfectisſimæ bonitatis, ſupra omne aliud bonum, quod ipſa non eſt. Et inflammantisſimo eligendo deſiderio, purè propter illam ipſam, omnium præteritorum, præſentium, futurorum, posſibiliumque bonorum, imo & tui ipſius omnem jacturam facere, ita ut ſi, & cœlo privari, & infinities aucta inferorum tormenta, infinities ipſe in exiſtentia replicatus ſubire, & per æternitatem ſuſtinere, ac neſcio quibus tormentorum generibus

cruciari, necari, annihilari deberes : hæc libenter malles, quam à tanta bonitate, quanta DEUS est, vel ad momentum separari, idque non propter aliquod tuum interesse, non propter cœlum, aut aliquod extra illud, sed purè propter illum ipsum, quatenus in se talis, tam bonus, quia ipsa summa & infinita bonitas est. Adeo ut si per impossibile nullum unquam Bonitatis suæ particulam à te indignissimo participari sivisset, nec te redamare, nec sibi in te complacere dignaretur, sed velut canem mortuum (uti revera es) velut apostema purulentum, & generis humani opprobrium detestaretur, nihilominus ardentissime concupisceres ita illum amare, ita omni alteri bono (esto in te munificentissimum tuique amantissimum esset) præponere: ita toto ex corde, ex tota mente, ex omnibus præcordiis tuis diligere, sicut illum amant, diligunt, omni bono præponunt, sicut amare, diligere, & præponere debent, sicut amabunt, diligent, appretiabunt, per totam æternitatem, omnes sancti Angeli, omnes sancti Cœlites, omnes prædestinati, sicut omnes possibiles creaturæ si essent, amarent, appretiarent, diligerent. Sicut ipsa Virgo Sacratissima & Christus Jesus Dominus meus amat, appretiat, præponit. Demum sicut se ipsissima Divinissima Trinitas amat, appretiat, præponit. Et cum huc pertingere nequeas, roga amabilissimum Dominum tuum, ut sui purissimo & dignissimo amore suppleat defectum amoris tui, qui eum minùs diligis quàm debeas, quàm possis, quàm velis, quàm ipse dignus sit. Roga & universas ab omni concretione & contrarietate depuratas Angelorum Sanctorumque mentes. Dolebis hic unicè quod peccatores, præsciti, condemnati, non diligant & diligere nolint, summam illam Bonitatem ardenter concupiscens, ut tuus suppleat minutus amor,

odia

odia & defectus illorum, omnibusque peccatoribus hujusque potissimum quam inhabitas civitatis, omnibus Ethnicis, Hæreticis, Schismaticis, Judæis veram resipiscentiam, & Seraphicam tanti boni dilectionem obtineat. Desiderabis insuper, ut parvula dilectio tua suppleat eum amoris defectum, quo Deum suum universæ irrationales creaturæ, quæ sunt, eumque possunt & deberent diligere. Sed à natura impeditæ non possunt, ut vel sic compleatur aliqualiter, saltem extensiva dilectio ab omni creatura, dilectissimo Domino tuo debita, præsertim cum plurimæ ex irrationalibus creaturæ, jussu illius tibi famulentur, æquum pariter est, ut ipsum, loco illarum, ames & laudes, nunc & per totam æternitatem. Sequatur amara præteritorum detestatio peccatorum, quæ diviserunt inter te & Deum, Dominum, summum bonum, quibus summam illam bonitatem, Diabolicus Carnifex in temetipso crucifixisti. Et efficax emendationis propositum, in quo protestaberis, quòd si nulli unquam omnino creaturæ tuum innotesceret peccatum, sed soli tantùm Deo Domino tuo, cujus inimicum te constitueret. Et si cum peccato dotis loco omnis possibilis seculi hujus, major Salomoniaca, & nescio quæ imaginabilis felicitas in hac tibi vita offerretur, in hora etiam mortis tanta certissimè promitteretur pœnitentia, per quem locum inter Seraphinos merereris, nolles omninò peccare, ejurares Diabolum, & vel ad momentum mancipatum illius, propter solum Divinæ bonitatis amorem, quà in se bona, imò libenti præeligeres voluntate infernum & omnium Dæmonum ac Damnatorum etiam possibilium cruciatus cum Deo tuo & gratia illius, quàm cœlum cum omni sua amœnitate, jucunditate, deliciis, divitiisque sine illo & ejus divinissima Amicitia. Elicies præterea actum Humilitatis & Annihilationis tui recognoscens coram

infinita Majestate Creatoris tui, quòd sine illo miser, pauper, cæcus, nudus, imbellis, nihil sis. Quòd ex natura abyssus nihili & tenebrosa sis, terra misera sis genitus, per immunditiam, vivens in miseria, moriturus in angustia, cujus dies sicut umbra prætereunt, cujus vita sicut umbra lunatica evanescit, sicut flos in arbore crescit, statim marcessit, nunc floret & statim marcet. Quòd propter peccata & bestiales quibus manciparis appetitus factus sis vas aptum in contumeliam, vas sterquilinii, concha putredinis, plenus fœtore & horrore, & iterum milliesque nihil, toties scilicet, quoties ab illo per quem omnia facta sunt, qui omne esse & omne bonum est, te per peccatum impiissimè separasti; Et tamen super hujuscemodi terræ propudium, dignatur illa Majestas aperire oculos suos, gratiis dilatare, ornare talentis, alere, curare, rem velut pretiosissimam & carissimam, idque posthabitis tot Ethnicis, Judæis, Hæreticis, Schismaticis, aliisque propè infinitis qui per voluntariam & magis gratam, diligentemque cooperationem cum iisdem quibus tu non cares adjumentis facti mundiora vasa in contumeliam. Gratias igitur agas pro tanta dignatione munificentissimo Domino tuo. Petes ardenter, medullitusque concupisces, ut tam locupletes gratias quas in te liberalissimè erogavit, vacuas esse, & velut talentum servi illius negligentis in animo sepeliri tuo non patiatur. Et profitearis resolute quòd libentissimè omnibus donis à Divina Majestate tibi misericorditer collatis, spoliari, nudarique præeligeres, esto cum ignominia, confusione, & omni abjectione vilitatis tuæ, quã eis vel ad minimam optimi Dei tui offensam aliquando uti, si tamen his usurum te ad honorem ipse, qui omnia videt, prævidet, & gloriam nominis sui benedicti. Ora suppliciter per merita S. N. ut non deficiat misericordia ejus, & te in id quod ipse vult & sanctissima Mater Eccle-

sia

ſia expectat inſtrumentum per te licet & ex te ineptisſimo aptare dignetur. Declarabis etiam deſiderium tuum honorabilisſimæ Majeſtatis Domini tui, omni modo, viâ, & ratione honorandæ, propter cujus gloriam & honorem & colliquari, & guttatim interire, & omnes tyrannicas AntiChriſti Diabolorumque perſecutiones cum gratia illius ſubire velles, ſi voluntas gratiaque ipſius ſuffragaretur. Et propter cujus amplificandam notitiam amoremque ad Turcas, Tartaros, Indos, & neſcio quo nudus pedesque alacriter ires, ſi te eo ire mittereque dignaretur, ſuamque tibi voluntatem declararet. Et ut ſaltem ubi & quomodo poteris melius Domino Deo tuo ſervire, ejusque Eccleſiæ, ad eam te intentionem omnem ſtudiorum præcipuè tuorum laborem ferventer, diligenterque ſubiturum profiteberis. Per intentionem quoque, velut Evangelica mulier, duo minuta, aut ille pauper pugillum aquæ turbidæ offeres Domino Deo tuo, omnes omninò actiones, quas toto die conſequenti & tota deinceps vita, ac per totam æternitatem, ſive compoſitus, ſive diviſus in ſepulchro, & ubi Deus volet exerciturus es, ſive illæ ſupernaturales, ſive neceſſariæ, ſive liberæ, ſive naturales vegetantis & ſenſitivæ animæ, ſive ſpirituales & rationalis portionis fuerint, proteſtans quòd hisce omnibus nihil omnino præter Deum Dominum tuum quærere, laudare, & magnificare velis, velleque velis & dignificans univerſas in pretioſo ſanguine unigeniti Filii Dei Salvatoris tui, conjungensque ipſas velut guttam ſalſæ & impuræ aquæ, cum omnibus omnium Sanctorum Deo in antiqua placitis æternitate actionibus, ſive quas jam exercitas in odorem ſuavitatis admiſit, ſive quas ex hoc præter æternitatem exercendas admittere dignabitur, humiliter obſecrans, ut vel ſic inter gemmas pretioſosque uniones Chriſti Domini tui, ſacratisſimæ Virginis Ma-

tris Tuæ, & omnium S. Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum tuum ſaltem eo modo coloratum lutum admittatur, & impetres ſatisfaciasque pro iis, quæ pro tempore impetranda, & pro quibus ſatisfaciendum videbitur. Extendes autem hanc intentionem tuam offerendo ex parte tua omnes omnium abſolutè hominum, imo & Diabolorum damnatorumque in quantum ſunt Entia, actiones, quas ipſi vel ex inadvertentia, vel ex ignorantia, vel ex negligentia, vel ex malitia, non offerunt, præſertim verò eorum, qui tecum in aliqua ſunt communitate, ac proinde in quorum actiones & merita jus aliquale, tanquam compars ipſorum habes, ex tota mente concupiſcens, ut in omnibus Divina Majeſtas & Bonitas ſaltem univerſaliter ad eas concurrens laudetur, magnificetur, ſuperextollatur & ſuperbenedicatur. Hac eadem ratione animabis omnes omnium Creaturarum irrationalium, ſive tantùm vegetentur, ſive etiam ſentiant, motus: ſive tantùm (ut corpora inanimata) quieſcant, ſive violenter moveantur &c. Cum iis verò, qui ſuas actiones Deo Domino ſuo, meliùs, ferventius, diligentius, quàm tu miſer peccator, conſecrant & devovent: Pete humiliter, ut partem habere merearis, & vel propter earum charitatem tepor tuus non rejiciatur, credens firmiter, & animo confitens Communionem Sanctorum & dicens cum Pſalm. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te Domine, Deus meus.* Intentionem excipiat iterata ſanctiſſimæ Matris, Dominæque tuæ clementiſſimæ (cui ſanguinem dilectiſſimi Filii ipſius tibi cum Charactere Baptiſmali miſericorditer applicatum. Suppellex oſtendes, orans, ut vel tam pretioſo liquore characteriſati mancipii clementer miſereri dignetur) Sancti Joſeph ſanctiſſimi Sponſi illius, Sanctorum Joachim & Annæ DD. Zachariæ & Eliſabeth,

Paren-

Parentum, primi illius adhuc materno in utero clientuli S. Joannis Baptistæ, S. Angeli tutelaris, omnium sanctissimorum Patronorum Patronarumque tuarum, ac cæterorum omnium Cœlitum Principes, cum sua Imperatrice Augustissima tibi sanctis precibus nunc & in hora mortis adesse & opitulari dignentur, illudque quod hac die impetrare à Deo bonorum omnium optimo largitore intendis, suis intercessionibus consequantur. Tandem prosternens te ante Thronum Sanctissimæ Trinitatis in præsentia Serenissimæ Reginæ & Matris tuæ Mariæ, in conspectu omnium Angelorum Sanctorumque universorum, simultaneas deposcens preces, per eam quam super te Dominus signavit signaturam vultus sui, per illos purpureos, quibus te Salvator tuus propriis in manibus descripsit Characteres; per illum pretiosum unigeniti Filii Dei sanguinem; qui peccatrici animæ tuæ in Baptismo misericorditer applicatus est, quo toties in sanctissima EUCHARISTIA potus cibatusque liberaliter es: Viscera Divinæ obtestabere misericordiæ, ut te opus manuum suarum, licet per propria scelera immundissimum & ingratissimum, nunc potiùs in hoc ipso momento, in profundissimum Luciperi, aut Judæ locum æternum ustulandum ignibus deturbet: Nunc potiùs quidquid furoris & pœnarum Divina illius novit & potest Justitia, in te experiatur, quàm aliquando ob præterita crimina contaminatissimam animam tuam vel tenuissimo aut levissimo voluntariè perpetrato obstringi scelere, & à se Patre semper optimo ad filios Diaboli proditoriè transire permittat, dicens & clamans rugientium affectu præcordiorum: Malo Domine interitum & omne possibile malum meum, quàm vel minimam Tuæ semper optimæ bonitatis offensam. Tum paternam benedictionem à Deo Patre Ingenito, Deo Filio Unigenito, Deo Spiritu

Sancto Paracleto, ſemper ſancta & individua Trinitate humillimè poſtulabis, quo & ſequentem diem & totum conſequentis vitæ tempus, ſine ulla prorſus offenſa, Divinæ illius bonitatis poſſis decurrere, & quàm plurima ad guſtum & palatum ſanctiſſimæ illius voluntatis operari, & conſtanter humiliterque in bono perſeverando, quàm maximum gratiæ illius augmentum obtinere, Amen.

Alius modus.

QUam primum evigilaveris, erumpe in hæc dulcia verba, JESUS MARIA JOSEPH, mei dulciſſimi amores. Percute pectus tuum tanquam peccator cum Publicano, contrito corde dic: DEUS, propitius eſto mihi peccatori, volo ſurgere ad majorem tui gloriam, ô Deus meus, ex virtute Obedientiæ ad ſonitum hujus horæ vel ſigni, vel &c. ſine ulla turpi denudatione quantum poſſibile eſt. Mox te prorumpe ex lecto, profunde cum humilitate ſumma & amore intenſo, verſus VENERABILE SACRAMENTUM te proſterne in terram, dicens: LAUDETUR SANCTISSIMUM SACRAMENTUM. Adde: Sancti Angeli Cuſtodes noſtri defendite nos (id eſt, me & oviculas meas omneſque habitantes mecum, tam in domo quàm civitate, aut pago) in prælio ne pereamus in tremendo judicio, & hodierna die ab omni peccato, à periculis animæ & corporis cuſtodite. Perge ad aquam benedictam, (quam ſemper habeas in cubiculo tuo) & per modum ſanctæ Crucis aſperge cubiculum tuum, dicendo: BENEDICTIO PATRIS † & FILII † & SPIRITUS SANCTI † ſit & maneat nobiſcum Amen. Si habes imagines & reliquias Sanctorum in cubiculo tuo, (quod conſultum) adde. Omnes Sancti & Sanctæ DEI, quorum reliquiæ & imagines hic ſunt in hoc cubiculo, orate pro nobis, & adjuvate nos, ne hodierna die offendamus DEUM noſtrum.

ſtrum. Inter induendũ, ut te provoces ad amorem Dei, revoca tibi, quot hac nocte forte meliores te ex juſto decreto Divino mortui ſunt, & ad infernum perrexerunt; Te verò Deus adhuc conſervavit & conceſſit hanc diem, in qua de peccatis tuis pœnitere poſſis, & quàm plurima mereri. (Non enim datur ullum momentum, in quo non plurimùm mereri poſſis cum gratia Divina, dummodò velis.)

Dum tunicam Clericalem aut Religioſam induis ad exemplum Joannis Berchmans Soc. Jeſu, oſculare illam, hoc agno approbando te conſentire vocationi Divinæ, quæ te ad hunc ſtatum vocavit, gratias age, & pete tibi virtutes neceſſarias, ac perſeverantiam. Sic vel ſimili modo; Benedictus ſit Deus Pater, qui me ad hunc ſtatũ vocavit. Benedictus ſit Dei Filius, qui me hac veſte veſtivit. Benedictus ſit Spiritus ſanctus, qui mihi hunc ſtatum inſpiravit. Benedicta ſit dulciſſima Mater, quæ mihi hunc ſtatum impetravit, impetra mihi ô miſericordiſſima Mater Perſeverantiam & virtutes ſtatui meo competentes. O dulciſſime Deus, qui omnia veſtis ad contentandum guſtum tuum divinum, orna me meritis ac virtutibus pretioſiſſimæ Parentis & Sanctorum ac Electorum tuorum.

Ad majus meritum potes etiam diſponere diei opera. S. Michaël Archangele. S. Angele cuſtos, vobis deſtino omnes actus amoris Dei, ut offeratis cum Amore veſtro, quo vos Deum amatis ad majorem Dei gloriam. O S. Gabriel, tibi deſtino omnes ſalutationes Angelicas, à me hodie dicendas, ut offeras SS. Trinitati, ad majorem Dei gloriam & honorem beatiſſimæ Virginis, cum ſalutatione tua, quàm primo feciſti in Incarnatione. Tibi S. Jacobe, deſtino omnem genuflexionem hodiernam, ut offeras Domino Deo, cum genuflexionibus tuis quas feciſti. S. Gregori, tibi deſtino omnes

Elec-

Eleemoſynas hodie faciendas,ut offeras illas Domino Deo ad majorem gloriam,cum Eleemoſynis à te aliquando factis. SS.Doctores, vobis deſtino omnia ſtudia mea,ut offeratis illa Domino Deo,ad majorem ejus gloriam, in unione ſtudiorum veſtrorum. SS.Patroni agonis mei, vos invito ad agonem meum, ut feliciter veſtro patrocinio evadam.

Indutus jam flecte genua ante imaginē Crucifixi,vel alterius Sancti effigiem,dic:Mi Deus,pro peccatis meis, &in gratiarum actionem,quod me hac nocte cuſtodieris à ſubitanea & improviſa morte, offero tibi omnes anhelitus meos, omnia ſuſpiria mea, omnes actiones, paſſiones,&devotiones meas hujus diei,omnes perſecutiones,oblocutiones, diffamationes meas, quas ſciens vel ignorans hodie patiar,offero pro peccatis meis,omnes honores meos,omnem laudem mihi dandam,ſive ſcienti ſive ignoranti,offero tibi ad majorem Tui gloriam,in recompenſationem illius honoris, quem tibi per peccata mea derogavi. Conjungo hanc oblationem cum oblationibus omnium Sanctorum tuorum, quicunque manent ad Orientem, (oſculare terram verſus Orientem in honorem illorum Sanctorum)adMeridiē, (oſculare terram verſus Meridiem.) Ad Occidentem, (oſculare terram verſusOccidentem.)AdSeptentrionē, (oſculare terram verſus Septentrionem.)Tibi,Jeſu mi trado hanc oblationem,ut illam offeras per manus tuas, per vulnera tua, per ſanguinem, cum ſanguine, in ſanguine tuo, dulciſſimo Patri Tuo, & Sanctiſſimæ Trinitati,ad maximam ipſius gloriam & honorem.Si eſt dies Jejunii,potes addere:Hodiernum Jejunium ſervare volo,tanquam Filius obediens Eccleſiæ ſanctæ Romanæ, ad ipſius intentionem, ad maximam tuam gloriam, & optimum guſtum tuum.

Ut autem promptius ſurgas,cogita hunc diem tibi datum,

datum, ultimum fortè, ut diſponas de anima tua, & illi quàm copioſiſſimè provideas. Itaque non diu ſtertendum, ſed quantocius promptiſſimè ſurgendum, quod procul dubio faceres, ſi haberes revelationem te hac die debere mori.

Alium adhuc modum vide in bona die ac bona nocte à me edita.

CAPUT II.

Modus viſitandi venerabile Sacramentum, Manè.

AMans amatum prima luce viſitare ſolet. Quis noſter amor & amatus? niſi ille, qui totus amor factus in Venerabili pro nobis, ad illum itaque feſtinandum, vel maximè, cum in illo habeamus omnia quibuscunque indigemus. Pauper divitias, Afflictus ſolatium, Deſolatus ſubſidium, Peccator veniam, Juſtus augmentum gratiæ &c. Meritò ad tam inexhauſtum theſaurum feſtinandum. Quomodo autem? Sic;

§. I.

Oblatio Greſſuum ad viſitandum.

CUm itaque te præparas ad viſitandum Amorem tuum in Venerabili exiſtentem, ſic offer iter & greſſus tuos: O Virgo Dulciſſima, dignare hos greſſus meos offerre Dulciſſimo Filio tuo, ut offerat Dulciſſimo Patri ſuo, in unione greſſuum ſuorum, quos fecit ad montem Oliveti, dum Patrem ſuum oraret pro nobis miſeris peccatoribus. O Jesu dulciſſime, dignare hos greſſus meos offerre dulciſſimo Patri Tuo, in unione illorum greſſuum, quos feciſti ad montem Oliveti, dum Patrem tuum orares pro nobis. O Pater amantiſſime, dignare hos greſſus meos ſuſcipere, in Unione illorum greſſuum, quos Jesus dulciſſimus Filius Tuus

Tuus tibi obtulit, dum pergeret ad montem Oliveti, dum Te Patrem oraret pro nobis miseris peccatoribus; offero tibi hos gressus meos, per sanguinem, cum sanguine, in sanguine, Dilectissimi Filii. In amore, per amorem, cum amore Spiritus sancti, millies, millies, multiplicatis gressibus & actibus, ad meliorem, optimum, purissimum gustum tuum. Omnes SS. Angeli Custodes omnium Sanctorum, quorumcunque reliquiæ sunt apud me, & omnium Domesticorum meorum, & omnium qui sunt domi meæ, omniumque quicunque mihi obviam venturi. Venite mecum & laudate Dominum mecum in Venerabili SACRAMENTO existentem, ut me & N. N. propitius visitet in ultimo agone vitæ meæ.

§. II.

Ipsum iter.

IN ipso itinere cogites amorem tuum JESUM sponsum animæ tuæ, te expectare in VENERABILI SACRAMENTO, ut tibi impertiat benedictionem suam, & te amanter amplectatur, quare cum summo æstu amoris & anhelatione hoc iter absolve, cupiens amplecti amorem Tuum JESUM, & amorem tuum erga ipsum monstrare.

§. III.

Ipsa visitatio.

CUm perveneris ad Templum, pronus in terram ante VENERABILE procumbas, lambens quasi pedes Amoris, & Benefactoris, atque DEI tui, dicens cum summa devotione quinquies: Laudetur Sanctissimum Sacramentum, ut lucreris indulgentias. Cùm vero ibi sit secundùm partes primigenias caro & sanguis Beatissimæ Virginis, SS. Parentis, eidem te quoq; offer, cultu hyperduliæ eam honorans in ter-

ram

ram, illâ vulgari ſodalitatum oblatione: *Sanctiſſima Virgo Dei Mater ego NN. eligo te hodie coram Angelo meo Cuſtode* &c. &c. Mox adde ad D. JESUM. Hac genuflexione adoratoria, laudo, benedico, adoro te, omni poſſibili affectu quo omnes creaturæ te laudant, benedicunt, & adorant, quo te laudare benedicere & adorare deberent, & laudabunt benedicent ac adorabunt in omnem æternitatem. O Pater amantiſſime, offero tibi & volo tibi omnes actus, quos dilectiſſimus Filius Tuus, Tibi in hoc Sanctiſſimo Sacramento offert gratiſſimos. Totum Tibi Domine cor meum offero, ut illud purifices, renoves, ſanctifices, ut illud emollias quaſi ceram, & in eo amorem tuum ſculpas, & in eo ponas te quaſi ſignaculum, ut nulla cogitatio indecens ad illud ingredi poſſit. Benedic Domine omnibus cogitationibus, verbis, actionibus meis, & unire digneris cum omnibus cogitationibus, verbis, actionibus, quas Tibi Benedictus Filius Tuus obtulit, ut ſint in odorem ſuavitatis.

Feſtinatio.

EXpectantem te, & tædio præ tui abſentia affectum JESUM anima mea cogites: quare anhelo corde ad eum accurras dicens: Ecce venio Dulciſſime Amor mi JESU, ecce venio, & ad te anheloſiſſimo affectu accurro, ſicut molaris ad centrum, ſicut oculus ad lucem, ſicut infans ad matrem, ſicut amans ad amantem, ô non ſit tibi tædioſa mora mea abſentiaque mea quam propter te feci hactenus. En jam adſum, & omnes affectus creaturarum omnium aſſumo, eosq; tibi exhibeo & me illis erga te afficio, hancque affectionem in æternum continuo, feſtina & tu dulciſſime Amor mi JESU in auxilium & amplexum meum ſemper.

Salutatio.

SAlve Dulciſſime JESU, Amor mi in hoc Sacratiſſimo

Sacramento quod tu propter me inhabitare dignaris. Assumo omnes omnium creaturarum affectus & Salutationes, iisque te nunc pro semper, hic, verè realiter, substantialiterque præsentem, saluto. Doce me Doctissime JESU ea omnia, quæcunque Tibi placita sunt, ut sciam, & fac me Tibi docilem obsequentemque discipulum, edisseré mihi beneplacentem voluntatem Tuam, & edoce me quid agere, quid fugere, quomodo debeam maxime in hoc, vel illo negotio N. N. Paululum hic animus morabitur, vel tanquam vocem & Magisterium Christi audiendo, affectu discipuli. Vel considerando coram Divinæ Majestatis oculis, quid hic & nunc facto opus sit, quidque Deus fieri velit. Multum hanc praxim prodesse experientia docebit.

Adoratio.

ADoro te Dulcissime JESU Amor mi in hoc Tuó SS. Sacramento quod propter me inhabitare dignaris. Assumo omnes omnium creaturarum affectus, iisque Te nunc hic præsentem & latentem adoro, colo, veneror que, hancque adorationem in æternum continuo. Offero tibi sincerissimo quo possum Amoris & Reverentiæ affectu, omnes actiones passionesque meas internas, deliberatas & indeliberatas, Tuumque adjutorium mihi semper adesse postulo.

Benedictio.

BEnedico Te Dulcissime Amor mi JESU in hoc tuo admirabili Sacramento quod propter me inhabitas, & assumo, induoque omnium rerum affectus, quibus Te nunc & in perpetuum hic verè existentem benedico; Benedic & tu Dulcissime JESU omne quodcunque, quandocunque ago & agam, ut ad gloriam Tuam, salutem vero meam & proximorum cedant.

Opstupefactio.

HIc anima paululum consideret quis sit in Sacramento,

mento, & propter quem, quanta scilicet Majestas, propter quantam vilitatem, tantoperè se demittat, ut non dedignetur morari sub minutis speciebus panis, quare obstupefacta dicet: O prædulcissime Amator & Amor mi JESU. Ecquid tandem facis hic immorans in sanctissimo Sacramento propter me? Hoc scilicet optimum est ô Amor mi Deus meus oblivisci Tui, & abjicere Te, ut mihi vilissimæ creaturæ Tuæ gratificeris? O quantum Tibi pro hac tali dignatione obstringor! An tibi displicent cœli & glorificationes, quæ Tibi semper à Tuis beatis impenduntur? An ego Te omnibus illis melius tracto & æstimo? An si tanti Tibi sum, difficile Tibi est accipere me ad te, ut potius malis descendere ad me, & nescio quid vile affectionis meæ expectare ac emendicare à me? O cur non obstupesco omnibus stuporibus? En Domine impleo desiderium tuum prout possum pauperculus ego, & præsentiam meam ita Tibi desideratam ad hoc breve tempus indulgeo, eo affectu, quo Tu Tibi eam vis exhiberi â me. Fruere ergo dulcissime Amor me præsente, & Tuas delicias in me facito.

Gratiarum actio.

GRAtias Tibi ago Dulcissime Domine JESU Amor mi, quia in hoc tuo sanctissimo Sacramento propter me habitare dignaris. Assumo & impersono mihi omnes omnium creaturarum affectus, iisque Tibi tum pro hoc beneficio, tum pro omnibus aliis absque te mihi quocunque modo præstitis, & præstandis, gratias ago, hasque gratiarum actiones in æternum continuo. Quod si quæ tua beneficia neglexi, aut illis abusus sum, id nunc

defleo & ea omnia humillimo, gratiſſimoque affectu excipio, in meumque bonum converto.

Munuſcula.

ATtuli Tibi dulciſſime Amor mi JESU qui in hoc Sacramento propter me habitare dignaris, munuſcula de paupertate mea & de gratia Tua deprompta. En illa, accipe illa, & poſſide in æternum. Accipe animam, corpus, accipe totum me, in toto affectu meo. En opera, actiones, paſſionesque meas hodiernas, Tibi illas conſecravi, nunc affero & offero, accipe illas, parvæ ſunt ſcio, & non ſatis mundæ ac dignæ, quæ tibi offerantur, dignus tamen Tu cui offerantur, & quia vis eas Tibi offerri, jam voluntate tua dignæ ſunt redditæ. Accipe ergo mi JESU munuſcula hæc, quæ Tibi offero, affectu omni omnium creaturarum, imo omnium à quibuscunque Tibi aliquid offertur vel datur, includendo etiam affectum quo Tibi Pater æternus, totum ſuum tuumque eſſe communicat, quem affectum in æternum continuo. Suſcipe Domine univerſam meam libertatem, accipe memoriam, Intellectum, atque Voluntatem omnem: quidquid habeo vel poſſideo, mihi largitus es, id Tibi totum reſtituo, ac Tuæ prorſus voluntati trado gubernandum, amorem Tui ſolum cum gratia Tua mihi dones, & dives ſum ſatis, nec aliud quidquid ultra poſco: Oblatione hac ſuo uſus eſt S. P. Ignatius, prout legitur in ejus Exercit. Spirit. 4. hebdomadæ.

Accuſatio ſui

O Dulciſſime Amor mi JESU, qui in hoc Sanctiſſimo Sacramento moraris propter me, & expectas me, erubeſco comparere coram Te, quia multa peccavi & deliqui contra Te, partim malè agendo, partim malè bona perficiendo, partim bona omittendo. Hoc mi Deus juſte Judex meus commiſi & illud (enumerabis hic defectus quorum anima tua erit conſcia, cum tui confu-
ſione

ſione, veniæ poſtulatione, emendationis propoſito) O Domine miſericordiſſime parce malitiæ, fragilitati & negligentiæ meæ, Tuaque ſanctâ ita me robora ac confirma gratiâ, ut amplius non peccem. Accuſo me & doleo, pro his quæ commiſi, omni illo affectu, quo quæcunque creaturæ dolere ſuper ſuis defectibus & miſeriis ſolent ac poſſunt, eumque affectum in omni momento continuo & per omnes reſpirationes renovo.

Commiſeratio.

O Dulciſſime Amor mi JESU, itané ſolus hic & derelictus es in Sacratiſſimo Sacramento? O ingratas creaturas quæ huc ad Te non convolarunt quæ Tui hic oblitæ ſunt! O ſuppleat hæc qualis præſentia mea defectum iſtum: Aſſumo & mihi inſubſtantio omnem affectum, omnium creaturarum, quo Te illo amare, Tibi adeſſe, Tecumque morari poſſunt & debent, eoque toto Te nunc amo, Tibi adſum, Tecum moror, atque illum in æternum continuo.

Increpatio ſui.

ETiamne Dulciſſime JESU Amor mi hucuſque moraris in hoc Sacratiſſimo Sacramento propter me & expectas me, donec compaream coram Te? O me ingratum & inurbanum quæ tantam charitatem tanta tepiditate regratior! O quam Tu Domine fidelis in verbis tuis, quibus promiſiſti futurum Te nobiſcum usque ad conſummationem ſeculi! Ego autem quàm moroſus, qui nec unum quadrantem tecum morari ſoleo aut ſuſtineo, compenſo dulciſſime mi Amor hunc defectum, omnium creaturarum affectu, quo illæ Tibi Deo & Domino ſuo in cœlis & in terris reverenter adſunt, & adeſſe gaudent, contendunt, deſiderant, eumque in æternum per omnia atomice tempora, renovo atque continuo.

Communio ſpiritualis.

NOn eſt ſemper licitum communicare ſacramenta-

liter, ſed ſemper licitum ſpiritualiter. Et licet communio ſacramentalis ſine ſpirituali damnoſa eſt, hæc tamen ſine illa utilis eſt, & Deo grata, dic igitur: Agnoſco Te dulciſſime Amor mi JESU in hoc tuo ſacratiſſimo Sacramento, verè, realiter ſubſtantialiterque præſentem, cum Divinitate, anima, corpore, ac ſanguine, & præſentem propter me. Doleo in conſpectu tuo de omnibus peccatis meis, quibus Te ſummum, excedens, & ſupereminens bonum Deum Dominum meum quocunque modo offendi & ea deinceps vitare confiterique volo, O quis mihi tribuat ut eſurientem, ſitientem & deficientem mendicum tuum, influxu hic præſenti Divinitatis HumanitatisqueTuæ paſcas, illaque inenarrabili Tuæ Divinæ charitatis flagrantia meæ fundum animæ adimpleas, quæ in me puras & ſempiternas ergaTe ſuſcitet concupiſcentias, deſiderat Te Amabiliſſime amor mi JESU, cor & tota anima mea ſacramentaliter ſuſcipere, deſiderat Tuam majeſtatem ſuæ vilitati concorporare, ſuorumque præcordiorum medullas, Tibi Deo ſuo inviſcerare, & deſiderat omnibus omnis omnipoſſibilis creaturæ affectibus, quos in æternum & ultra continuat. O quis illi tribuat acquieſcere in Te, & caſtis puri cordis ulnis amplexari Te, quis donet ut deſcendas ſub miſerum tectum ejus, & totam occupes omnitudinem potentiarum ejus, quis det ut te Deum ſuum ſanctæ pelagus dilectionis atque dulcedinis recipiat intra ſe & plenis de te deſideriis, totoque affectu exſugat amoris copiam, ut jugiter aſpiret ad Te, ſuaviter reſpiret, & finaliter expiret in Te, ſed quoniam non eſt digna intra ſe recipere Te, Tu ſupereffluens bonitatis abyſſus, aſſume & immerge eam in te, Tu totam affectionem ejus ita accipe, abripe, Tibique applica, ut tuæ Charitatis deſiderabili abſorpta diluvio, ad cætera omnia ſit prorſus examinis. O utinam prædulcis & ſuperſuavis Amator hoc conſequi ergo miſerculus valeam aliquando peccator, Amen.

Bene-

Benedic Deum illa benedictione, quam docuit Beatissima Virgo S. Brigittam *l.* 1. *Rm.c.*8. Benedictus sis tu Deus creator omnium, qui in uterum Mariæ Virginis descendere dignatus es. Benedictus sis tu Deus, qui cum Maria Virgine esse sine gravamine voluisti, & de ea immaculatam carnem sine peccato sumere dignatus es. Benedictus sis tu Deus, qui ad MARIAM cum gaudio animæ ejus & omnium membrorum venisti, & cum gaudio omnium membrorũ ejus, sine peccato de ea processisti. Benedictus sis tu DEUS, qui MARIAM Virginem, Matrem tuam, post ascensionem tuam, crebris consolationibus lætificasti, & per te ipsum eam consolando visitasti. Benedictus sis tu Deus, qui corpus & animã MARIÆ Virginis, Matris tuæ, in cœlum assumpsisti, & supra omnes Angelos juxta Deitatẽ tuam honorifice collocasti, miserere mei propter preces ejus. Saluta & Beatissimam Virginem, ibidem salutatione revelata S. Gertrudi, cum hoc privilegio, qui eam devote diceret, eidem B.V. promisit se apparituram in exitu animæ, *lib.* 3. *c.* 19. *p.* 248. *insin. divin. pict.* Est autem hæc: *Ave candidissimum lilium, fulgidæ semperq; tranquillæ Trinitatis, rosaq; præfulgida cœlicæ amœnitatis, de qua nasci, & de cujus lacte pasci, Rex cœlorum voluit, divinis influxionibus animas nostras pasce.* Similes sunt illæ tres orationes S. Mechtildi lib. 1 c. 55. à B. V. revelatæ, cui promisit, se in hora mortis adfuturam servanti hunc modum, ante quamlibet unum dicendum Ave 1 *O Domina mea Sancta Maria, sicut Deus Pater per omnipotentiam suam te potentissimã effecit, ita mihi quæso adsis, nunc & in hora mortis meæ, expellendo à me omnem contrariam potestatem.* 2. *O Domina mea Sancta Maria, sicut Filius Dei tanta te cognitione & claritate dignatus est, ut totum cœlum illumines, ita nunc & in hora mortis meæ animam meam cognitione fidei sic illustres & corrobores, ut nullo errore aut ignorantiâ pervertatur.* 3. *O Domina mea S. Maria, sicut Spiritus S suum amorem tibi plenè infudit, ita tu nunc, & in morte mea dulcedinẽ Amoris Divini mihi instilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur suavissima.*

Sanctorum Deum tuum laudantium ne obliviscaris, sed in auxilium tuum illos invoca. Omnes Sancti quos felici morte defunctos hodie felice æternitate donavit Deus, orate pro me. Omnes Sancti mei nominis & meæ Patriæ ac Patroni mei menstrui omnes orate pro me. Omnes Sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi nascenti prima fuit dies, orate pro me. Omnes Sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi morienti ultima erit dies, orate pro me; Omnes Sancti & Sanctæ Dei tuque O Mater Agonizantium, orate pro me & omnibus hodie nascentibus & hodie Agonizantibus. Impetrate mihi à crucifixo JESU felicem mortem & beatam æternitatem, Amen.

Memento & S. Angeli Custodis tui coram Venerabili sic: Amantissime, dulcissime, solertissime mi Angele Custos, Dux, Protector, Magister, Amice verè fidelis, verè thesaurus immortalitatis meæ, Gratias ago Tibi, quòd me sanctè protexeris, perge, usque dum me sistas Deo ibi, unde ad me custodiendum es missus. Doleo quòd non semper fuerim ad omnem nutum tuum, quòd te contristaverim, suggere cordi meo, quæ Deus vult, & tardi cordis mei duritiem ac surditatem vince, sensus meos omnes & cor meum guberna, MARIAM Reginam nostram & sanctos omnes ac sanctas Dei præcipuè Patronos & Patronas meas Tibi pro auxilio adjunge, totum me Sanctissimæ Trinitati, per JESU sanguinem & MARIÆ manus ex toto dedica in holocaustum æternum, omnes omninò, etiam quas indifferentes dicimus actiones meas, ad majorem Dei gloriam, offer ad Thronum gratiæ ejus & gloriæ, nunc & in hora mortis, ita mihi cum sociis Angelis & Sanctis ope tua assiste, ut omnia & singula momenta vitæ ac mortis meæ sint mihi, tibiq; æterno solatio, JESU & MARIÆ æterno honori & amori in felici beatorum Angelorum æternitate.

Pre-

Precor quoque si fieri potest, notum fac finem meum, diemque obitus mei, & cùm de corpore ductus fuero ne permittas me à maligno spiritu terreri, neque in foveam desperationis deduci. Non dimittas me, Angelice spiritus, donec ad visionem ipsi9 conditoris perducas ut illũ tecum in omnẽ æternitatẽ laudem & glorificem, Amen.

Benedic iterum Filium Dei pro te incarnatum per mysteria gaudiosa S. Rosarii sic: Sis millies benedictus mi Jesu, quod propter me volueris concipi in utero matris tuæ dulcissimæ. Sis millies benedictus, quod pro me vilissimo peccatore volueris portari in utero Matris sanctissimæ, dum visitaret S. Elisabeth & sic per cætera gaudiosa mysteria. Mox per eadem mysteria saluta & Beatissimam Virginem: Salve Mater dulcissima, Virgo Maria, quæ Filium Dei immaculatè concepisti. Salve dulcissima Virgo, quæ Filium Dei visitando Elisabeth in utero portasti &c. & sic per cætera mysteria in fine adde: Salve Virgo ante partum, salve Virgo in partu, salve Virgo post partum immaculatè concepta ora pro me. Ad quodlibet Salve flecte genua. Cùm autẽ sanctissima Trinitas in omnibus 4. partibus mundi patiatur offensas & disgustus à peccatoribus. Tu conareècontra gustum Deo tuo Sanctissimæ Trinitati vel maximè, manè Deo Patri, in meridie Deo Filio, vesperi Spiritui S. provocare per pæana S. Apost. 1. *Tim.* 1. Regi sæculorũ imortali & invisibili soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum Amen. Sic: Siquidem in 4. partibus mundi sentiat Amor tuus disgustum & offendatur tu ad 4. partes mundi in honorem Sanctissimæ Trinitatis ter cum trina genuflexione profer verba S. Pauli. Ex. G. Ad Orientem cum trina genuflexione profer ter Regi sæculorum &c. Ad meridiem similiter & sic consequenter protestando, quòd hic Deus & Amor tuus sit omni amore & honore dignus, quẽ vilipendunt & contemnunt Ethnici, Hæretici & mali Catholici. His subjunge coronulas parvas.

§. IV.

Modus dicendi coronulas parvas.

MAgnus Asceta, R. P. Nicolaus Lancicius in opusculo suo II. tradit modum pulchrum absolvendi hanc coronulam parvam. Ponam hic ejus formalia. Accepta in manu corona seu rosario precario & facto signo S. Crucis percurre singulos globulos cum pio mentis affectu, fervore & attentione dicendo infra scriptos versiculos. Ad majores verò globulos quos tangendo dum dicimus coronam ordinariam DEIPARÆ solemus dicere Orationem Dominicam, in hac parva corona dicenda sunt hæc quatuor: Adscribo, commendo, offero, resigno intelligendo ea hoc sensu.

Adscribo tibi omnia bona, quæ habeo tanquam à te sine meis meritis data. Commendo tibi omnes meas & aliorum necessitates tam vivorum & mortuorum. Offero tibi me & omnia mea in obsequium tuum ex amore tui, & sanguinem ac merita omnia Christi Domini nostri pro peccatis nostris & pro beneficiis tuis, & pro necessitatibus nostris, ad laudem & gloriam tuam.

Resigno me tibi & omnia mea ad voluntatem tuam & superiorum meorum. Hæc P. Lancicius. Antequam itaque incipias has coronulas dicere, sic illas prius offeras. Mi Deus, hoc propositum absolvendi has coronulas, primo conceptum in purissimo corde dilectissimi Filii tui, & mihi miserrimo peccatori inspiratum, volo absolvere millies millies majore proportione fervoris, millies millies majore fervore intensionis, millies millies multiplicatis actibus supra actus, & primam quidem coronulam dicam ex Virtute gratitudinis, pro beneficiis præteritis mihi concessis.

§. V.

Coronulæ parvæ manè [illegible] andæ Coronulæ

SInt igitur manè coram Venerabili re[illegible] gratias. 2. O-nulæ hoc modo ſupra deſcripto. 1. Deo [illegible] peccato nos omnia Deo. 3. Dignare Domine die iſto ſin[illegible], Do-cuſtodire. 4. Deus in adjutorium meum i[illegible] Domine ad adjuvandum me feſtina. 5. Da pac[illegible] in diebus noſtris. 6. Credo. 7. Gloria Pat[illegible] Virgo Spiritui ſancto. 8. Nos cum prole pia bene[illegible] Maria. 9. Laudetur ſanctiſſimum Sacramentu[illegible]. 10. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.

Intelligendo per ſpiritum duo. 1. Statum ſpiritualem animæ, ut ſit bonus & ſanctimonia plenus, per quam reddaris verè homo ſpiritualis & Deo valde charus. 2. In-telligendo animam & hoc verſiculo commendando Deo felicem ejus egreſſum futurum tempore mortis.

§. VI.

Receſſus à Venerabili.

ABſolutis his devotiunculis coram Venerabili qua-tuor facies. Deprecaberis Amorem tuum Chri-ſtum Dominum, quod ab illo ad tempus recedas, Bene-dictionem à Sanctiſſima Trinitate petes & ſubſtitues in locum tuum ad laudandum in abſentia tui Amorem tuum in venerabili Sacramento ex amore tui exiſten-tem, Beatiſſimam Virginem, omnes Sanctos & ſanctos Angelos. Tandem offeres greſſus tuos per manus ſan-ctiſſimæ Matris & per manus dulciſſimi JESU aman-tisſimo Patri, & hæc quatuor ſic abſolvere petes. 1. O dulciſſime Domine JESU, Amor mi, quia in hoc tuo ſacratiſſimo Sacramento moraris propter me, cogor diſcedere à te, ſed tamen relinquo te pro-pter te. Maneant interea tecum omnes Angeli & Sancti tui. Maneat ſanctiſſima Mater tua & Domina

mea.

mea. Omnes omniumque Creaturarum Tibi debiti affectus teque pro me adorent, ament, revereantur, donec ego revertar ad te. Vel potius ego peccator assumo & approprio mihi omnes omnium etiam omnipossibiles affectus, illisque omnibus absens per sanctum Angelum Tutelarem meum, te hic præsentem, amare, adorare, venerari volo, imò amo, adoro, veneror. Du dulcissime Amor mi ne quæso discesseris à me, sed tua me gratia semper præveniat & sequatur, mecum sit, mecum laboret, usque ad extremam mortis horam. 2) Dignare Domine JESU cum Patre & Spiritu S. mihi dare tuam sanctam benedictionem, uberemque gratiam te perfectè semper amandi, tuumque beneplacitum amplectendi & exequendi, atque ita juxta gratiam vocationis vivendi, ut te pane Angelorum digne fruar in vita, devotè in meta, beatè in Patria, Amen. 3) Sanctissima Virgo MARIA vosque omnes sancti & Angeli, manete hic quæso cum dulcissimo Amore meo JESU, in hoc sacratissimo Sacramento commorante, eumque pro me adorate, laudate & æstimate, & super omnia æstimate, mihi gratiam ejus implorate, donec ego quoque revertar ad ipsum, ipseque per me Amori meo Amorem meum & desideria mea protester. 4) O dulcissima Virgo dignare hos gressus meos offerre dulcissimo Filio tuo, ut offerat dilectissimo Patri suo in unione suorum gressuum, quos fecit tota vita suâ præcipuè ante mortem, ad tot Tribunalia. O JESU dilectissime, dignare hos gressus meos offerre dilectissimo Patri tuo, in unione gressuum tuorum, quos fecisti, totâ vitâ præcipue ante mortem ad tot Tribunalia. O Pater amantissime, dignare hos gressus meos suscipere in unione gressum dilectissimi Filii tui, quos fecit tota vitâ sua præcipue ante mortem ad tot Tribunalia. Domine Deus meus, offero tibi hos gressus meos, per sanguinem, cum sanguine, in sanguine

Do-

Domini mei Jesu Christi Salvatoris mei & dilectissimi Filii tui, millies millies majore fervore intensionis, millies millies majore proportione fervoris, millies millies multiplicatis gressibus, super gressus, ad purum putum gustum tuum, ad nullum præmium meum, atomicè, sacrificativè, primitialiter, heroicè, Seraphicè, Marianè, Christiformiter, omnipossibiliter, dignè Te, dignissimè Trinitate, ut tibi placeam, ut mihi placeas, amplius & amplius. Accepta itaque divina benedictione perge ad meditationem quam absolves ut sequitur.

CAPUT III.

Meditatio.

SI quid Sacerdoti necessarium certe meditatio est. Sacerdotis enim est erga Deum & proximum amore flagrare, unde autem hic ignis habetur, nisi ex meditatione? fatetur id S. Psalmista: *In meditatione mea exardescet ignis*; excita itaque eundem in meditatione, & adverte aliud esse cogitationem, aliud contemplationem, aliud Meditationem. Cogitatio est improvisa ac momentanea Dei, aut rerum ad Deum pertinentium consideratio, ad pium aliquem affectum excitandum ordinata. Contemplatio verò est sincera Dei & rerum Divinarum inspectio, discursibus carens, Dei ardentissimum amorem & ineffabilem mentis exultationem inducens. Meditatio est attenta ac sollicita mentis consideratio, cunctanter procedens, & uniuscujusque rei naturam, proprietates, & actiones utiliter inquirens, ut Deo cultum exhibeat, affectus moveat, orationes puras ferventesque depromat, ut vitæ emendationem, ac salubrem reformationem, & mutationem afferat. Cum autem tendere debeant omnia ad certum finem, non minus meditatio, quæ triplicem habet finem. Immediatum, mediatum, & Ultimatum. Immediatus finis meditationis quoad intellectum, est clarior cognitio sui ipsius,

Chri-

Christi, & veritatum huc spectantium, quoad voluntatem verò, affectus & actus interni, conformes triplici cognitioni; Contritionis, Imitationis Amoris, cum desideriis & propositis practicis inter meditandum formatis. Mediatus finis sunt actus interni & externi virtutũ, extra meditationem exercendi juxta desideria & proposita in meditatione concepta, seu executio propositorum practicorum. Ultimatus finis est incrementum puritatis animæ, solidarum virtutum, Charitatis & Unitatis cum Deo, & consequenter gratiæ in hac vita, & gloriæ in altera, atque ex his omnibus emergens major Dei cultus, gloria, beneplacitum.

§. I.

Praxis Meditationis.

HUjus Orationis mentalis sit fundamentum Humilitas. Nihil ex te habes infinitis ergo cares & simul eges. Manus Dei plena est omnibus benedictionibus, ad implendum eis omnem creaturam. Ad hanc ergo manum porrige & extende mendicitatis tuæ os, & orationis manum, ut percipias ab illa benedictionem, eaque implearis. Ora sicut mendici clamantes, sicut cicadæ strepentes, sicut pulli corvorum pipientes. Ora sicut piscis sine aqua, sicut terra sitiens, sicut herba arescens, sicut cervus ad fontem desiderans, sicut scintilla deficiens, sicut æger moriens.

Primò itaq; habeas certum Patronum meditationis, qui te dirigat & juvet agnoscere agnoscenda, practicare practicanda: potest is esse S. Josephus nutritius Christi Domini, quem plurimi experti sunt adjutorio esse in oratione mentali. Secundò Puncta meditationis pridiè antequam cubitum eas bene dispone, imbibe, ut mane dum erigilas, tibi eadem occurrant primo, antequam præveniaris ab aliis cogitationibus. Sic dispositus perge ad locum ubi absolvenda erit Meditatio. Spiritum interim in cœlum eleva, & considera Salvatorẽ tuum Jesum Chri-

Christum, qui aspicit quid facere intendis, proinde accede cum attentione & humilitate profunda, situm corporis & loci talem elige, ut quietus esse possis. Incipe ergo meditationẽ ab oratione præparatoria. e.g. O Beata Trinitas unus Deus, miserator & misericors, longanimis & multum misericors, in cujꝰ cōspectu sum prostratus, loquar ad te Dominum meum & audiam quid in me loquaris, cum sim pulvis & cinis, & terra, sine aqua tibi, indignus conspectu tuo ob innumera peccata mea, de quibus doleo. Sed ecce Domine, nihil possum sine te, omnia in te. In manibus tuis sum, fac mecum in hac hora & in æternum quidquid vis, modo gratiâ & amore nō destituar, tuum solum beneplacitū intendo, non meum solatium. Rege memoriam meam, illumina intellectum, accende voluntatem, & trade me totum ad te cognoscẽdum, amandum, glorificandum & post te currendum in odorem unguentorum tuorum. Attentè & devotè orare jubes Deus meus, da quod jubes, & jube quod vis, idque non pro me solum, sed pro omnibus mecum oraturis suppliciter peto, per merita Domini nostri Jesu Christi, Beatissimæ Virginis matris ejus, Patronorū & omnium Sanctorum. O gloriosa Mater Dei & Virgo, sancte Angele Custos, S. Joseph, Patroni mei, Sanctique omnes, orate pro me & benedicite, laudate & superexaltate Dominum meum, nunc, semper, æternum. Vel Pater & Ave. Vel veni S. Spiritus. Vel per pia interna suspiria, petas à Deo Patre, ceu fonte omnium bonarum cogitationum memoriam tuam tranquillari & piis conceptibus compleri. A Filio, ceu primo principio omnium veritatum, intellectum illuminari & in discurrendo dirigi. A Spiritu Sancto ceu prima origine omnium ferventium affectuum, voluntatem inflammari & in eliciendis piis desideriis adjuvari. Hæc enim tres potentiæ necessariæ ad meditationem. Memoria enim res & veritates, in punctis contentas, necesse ut bene appre-

apprehendat, planeque penetret. Intellectus inde per varios discursus conclusiones practicas deducat. Voluntas omnes affectus, seu motus pios, prædictis discursibus & conclusionibus congruentes excitet. Practica his conformia proposita formet, ac tandem per colloquium gratiam necessariam petat. Petita gratia præludia accommodata formet, & quidem pro modico temporis intervallo.

Præludia verò solent adhiberi in materia Historica tria. Rememoratio Historiæ, Imaginatio loci, Petitio gratiæ affectus præfixos eliciendi. In aliis materiis ut plurimum duo. Imaginatio rei accommodata & petitio gratiæ. Præludia breviter expediat. Imaginatio verò prudenter, non violenter adhibenda, naturæ accommodata, cui vaga Phantasia utcunque alligetur, si illa minus feliciter succedat ejus vicem vivæ fidei actus suppleat. E. G. In meditationibus de Virtutibus, actione ordinaria, vita sancti, constituat se vel per imaginationem, vel saltem per vivam fidem, coram throno Dei & Agno, coram quo procumbant Sancti, maximè illi qui in vita, tali virtute clarûere, aut tali actione, magnam gloriam promeruêre, voce magna dicentes *salus Deo nostro, qui sedet super thronum & Agno, benedictio & claritas. Apoc.* 7. Tertium demum præludium absolvat paucis suspiriis, postulando efficacem gratiam necessariam ad præsignatos affectus eliciendos per merita B. V. & omnium Sanctorum.

§. II.

Meditatio de beneficiis Divinis.

Puncta hujus meditationis possunt per tria tempora distingui. E. G. In beneficio dilectionis. Primum punctum: Quomodo nos Deus huc usque amaverit, ex amore conservarit, protexerit, justificaverit. Secundum punctum quomodo nunc amet, ex amore conservet, protegat, in justitia contineat. Tertium punctum: Quomodo deinceps amaturus &c.

§. III.

§. III.

Meditatio de Sanctis.

PRimo considerandum, quomodo Deus sanctum N. elegerit, vocârit, justificarit, & ad illum sanctitatis gradum produxerit. 2. Quomodo Sanctus Divinæ gratiæ sit cooperatus seriò, studio perfectionis maximè harum vel illarum virtutum. 3. Quomodo Deus eum remunerarit & glorificarit in hac vita, donis & miraculis, in morte solatio, in altera vita, coronâ gloriæ, aureolis insuper, vel Martyrum, vel Virginum, vel Doctorum.

§. IV.

Meditatio de virtute aut vitio.

PRimò considerandum quænam natura istius Virtutis aut vitii, quæ proprietas, qui actus, quæ auxilia gratiæ necessaria à Deo offeruntur, quæ lumina, stimuli, occasiones, virtutem hanc exercendi, vitium istud evitandi & exterminandi. 2. Quomodo Christus Dominus, Beatissima Virgo, aut alii Sancti, hos vel illos virtutis actus exercuerint, hos vel illos vitii actus fugerint & detestati sint, quomodo nos eos in hoc imitati simus, ac deinceps imitari velimus. 3. Incitamenta ejusmodi sunt, commoda ex virtute & damna ex vitio provenire solita, in hac vita quoad nos & proximos, sub horam mortis, in altera vita, aut similia.

§. V.

Meditatio de actione ordinaria aliqua.

PRimò quis finis & modus talis actionis perfectè obeundæ, quæ auxilia gratiæ nobis offerantur, qui stimuli addantur, ad strenuè cooperandum. 2. Quàm perfectè Sancti hanc actionem exercuerint, quàm verò tu imperfectè. 3. Incitamenta ut supra.

§. VI.

Obſtacula devotionis in meditatione & quomodo amovenda.

SAnctus Bernardus ſermone 23. in Cant. ponit obſtacula quatuor, *culpa mordens, cura pungens, ſenſus egens, Phantaſia diſtrahens*. Si vis itaque abſolvere bene meditationem, hæc amovere debes. *Culpa mordens* amovenda erit, per frequentem mentis compunctionem, crebram conſcientiæ diſcuſſionem, accuratam erratorum confeſſionem, & ſeriam occaſionum relabendi declinationem. *Cura pungens* oriri ſolet, ex nimia conſcientiæ ſcrupuloſitate, vel ex inordinata de futuris contingentibus ſollicitudine, &c. Hæc præcavenda, aut ſi jam adſit abigenda erit, cum filiali fiducia ſe Divinæ providentiæ per Exercitium Reſignationis committendo, rectam intentionem in omnibus ad Deum dirigendo, reſpectus humanos contemnendo, Deo non hominibus placere ſtudendo.

Senſuum verò ut & Phantaſiæ portæ ſeu occaſiones evagationum præcludendæ erunt, per vigilem eorum cuſtodiam, per aſſiduam mortificationem, per ſeriam ad res ſalutares à recta ratione imperatas percipiendas applicationem. Inſtante itaq; Meditationis hora omnes animæ nervos intendas ad Divinæ gratiæ influxum excipiendum, atque inprimis Intellectum ad ſupernaturales veritates penetrandas, & S. Spiritus inſpirationes capiendas diſponere ſatagas, ac proinde, quam potes maximam pro menſura gratiæ procures & à Deo petas; conſcientiæ pacem, atque intellectus & Phantaſiæ tranquillitatem, culpam mordentem per actum Contritionis, curam pungentem per recurſum ad ſinũ Divinæ providentiæ, ſenſum & Phantaſiam diſtrahentem arcta cuſtodia, ſeria collectione & ad præſentis meditationis applicationem compeſcendo. Voluntatem ad devo-

devotionis flammas Diviniq; Spiritus impulsus facilius excipiendos disponere coneris, per pia suspiria, idq; primo renovando desiderium bene meditandi. 2. Intentionem optimam præfigendo. 3. Gratiam Spiritus S. & intercessionem Beatissimæ Virginis, S. Josephi & Sanctorum implorando, vel nominando affectus in oratione præparatoria comprehensos quales sunt. 1. Vivæ fidei & reverentiæ erga Deum præsentem. 2. Intimæ humilitatis & cordialis contritionis. 3. Insignis diffidentiæ sui & confidentiæ in Deum. 4. Omnimodæ resignationis in manus Dei cum pura intentione solius gloriæ ac beneplaciti Divini. 5. Ferventis desiderii præsentem horam & vitam reliquam universam Divino obsequio perfectè impediendi.

§. VII.

Distractio in meditationibus unde?

TRes præcipuæ sunt causæ; Naturæ infirmitas, culpa & negligentia nostra, & Dæmonis Astutia juxta P. Alphonsum Roderiquez de perfectione *p.1. T.5. c.21.* Prima Infirmitas, sed propter hanc non desperandum aut cessandum à meditatione, sed confidenter cum S. Augustino in 85. Psal. *Lætifica animam servi tui, quoniam ad te animam meam levavi. Quomodo levavi? quomodo potui? quomodo Tu vires dedisti? quia tu suavis ac mitis es Domine, mitis es tolerans me, quia quotiescunq; ante te steti, tanta vana & superflua cogitavi, & vix unquam fixam & stabilem orationẽ feci Hæc tu toleras quia mitis es & suavis & multũ misericors.* Experientia enim constat mentem humanam diu in alto stare nõ posse, sed pondere suo ad ima deprimi. Ut enim avicula libera sæpe quiescit, caveæ autem inclusa vix unquam, sic dum mens humana caveæ orationis includitur, diu cõsistere nescit. II. causa Negligentia nostra, de qua admonet Sapiens: Eccl. 18. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum*, in quæ verba S. Thomas:

Imparatum accedere ad Orationem est verè tentare Deum, quòd id sit velle aliquid assequi absque applicatione mediorum ordinariorum. Huc etiam spectant obstacula in §. præterito ex S. Bernardo adducta. Constat quoque experientia ex immortificatione passionum, ex negligentia cavendi defectus magis deliberatos, otio, scurrilitate, nimia effusione ad res externas, &c. oriri solere molestas animi evagationes. Quare serio admonet S. Basil. Constit. Mon. c. 2. *Si in oratione aliud agens, animo minus attento sis, cùm possis omnem expellere distractionem, vide ne præfidentior ausis consistere coram Deo, ne oratio tua fiat tibi in peccatum.* Quid non in peccatum, cum videatur illudere Deum, dum animo orandi convenit Deum, & postmodum eo derelicto, dum auscultare incipit, cum creaturis misere nugari prælegit, Deoque advocato illudit, magna enim perversitas, imo magna insania est, quando cum Domino Majestatis loqui in oratione præsumimus, & insensati aurem avertimus, & ad nescio quas ineptias convertimus cor. *Magna quoque insania & graviter vindicanda, cum vilissimus pulvis, loquentem ad se audire dedignatur creatorem universitatis* ait S. Bern. in medit. c. 8. Pergit idem S. Pater *magnam injuriam Deo facio, cùm illum precor ut meam precem exaudiat, quam ego fundo non audio, DEVM precor ut mihi intendat, ego vero nec mihi, nec illi intendo, sed quod deterius est, immunda & inutilia in corde versando, fœtorem horribilem ejus aspectibus ingero.* 3. Causa Dæmonis Tentatio, qui orantes maximè infestare solet. S. Joan. Climacus grad. 18. ait *sicut ad sonum æris campani Monachi precatum confluunt ad Ecclesiam, ita Dæmones invisibiliter convenire ad præcidendam orationem.* Causam rogatus S. Ægidius, dixit: *Si quis alicui litem intendat coram Judice, omnibus modis agit, ne contra se feratur sententia.*

Idem molitur Dæmon, dum orantes impedit & infestat. Hinc Abbas Isaac Coll. apud Cass. 9. *c.* 35. *&* 38. suadet, modeste orandum, ne à Dæmone intentio nostræ petitionis agnoscatur, quia nobis insidiatur, & frequenter & breviter orandum, ne insidiator inimicus cordi nostro aliquid possit inserere, atque ob eandem causam teste D. Thoma & Abulen. præmittitur omnibus horis Versiculus, *Deus in adjutorium meum intende* &c.

§. VIII.

Remedia Distractionum.

HÆc triplicia sunt tam remota quàm proxima in ipsa meditatione adhibenda. Remota sunt hæc tria præcipuè 1. Crebra & fervens postulatio doni attentè meditandi & orandi, conjuncta cum profunda humilitate & perfecta resignatione sui, ad omne beneplacitum Dei. 2. Serium studium extirpandi amorem sui & rerum caducarum, & proficiendi in amore Dei & rerum æternarum. *Anima* enim *magis ibi est ubi amat, quam ubi animat.* 3. Assiduum studium exercitii resignationis & perfectæ voluntatis propriæ cum Divina conformationis, quo spectat, ut quis non nimium de rebus ad suum officium & salutem pertinentibus angatur, sed ubi moraliter fecerit quod in se est, Divinæ providentiæ & bonitati confidere & penitus acquiescere consuescat juxta Franc. Ariam. de Oratione Mentali. *p.* 3. *c.* 9. 10. Proxima sunt itidem hæc tria immediate meditationi præmittenda, 1. Manè quàm primum quis expergiscitur, debet revocare in memoriam materiam meditationis, altissimeque amabilem JESU CHRISTI memoriam cordi insculpere, aliisque sanctis cogitationibus & desideriis sese munire, ad excludendas suggestiones malas Dæmonis, Præcursoris ideo dicti, juxta S. Climacum gr. 21. quod ejus munus sit mane expergefactos invadere, spurcas cogitationes obtrudendo totiusque diei pos-

ſeſſionem ab iis expetendo. 2. Firmum concipe propoſitum non admittendi ſpontè diſtractiones occurrentes, fervensque deſiderium perfectè meditationem inſtantem, tanquam prima & ultima foret peragendi, cum renovatione puræ intentionis & petitione gratiæ. 3. Conſtituere ſe ſub initium meditationis in conſpectu Dei. Aurea ſunt verba S. Bern. Serm. de 4. orãdi modis: *Quid aliud cogitare debet frater intrans ad Orationem quam Propheticum illud: ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad Domum Dei, Pſ. 41.* omninò ſiquidẽ oportet nos Orationis tempore curiã intrare cœleſtem, illam utique curiam, in qua *Rex regum ſtellato ſedet ſolio*, circumdante eum innumerabili & ineffabili beatorum ſpirituum exercitu, quanta ergo reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet, à palude ſua procedens & repens ranuncula vilis, quam tremendus, quam denique humilis & ſollicitus & toto intentus animo Majeſtati gloriæ, in præſentia Angelorũ, in concilio juſtorum & congregatione aſſiſtere poteris miſer homuncio? In cunctis igitur actionibus noſtris, multa opus eſt vigilantia, præcipuè in oratione. Licet enim ſemper videamur, ſed nunc etiam præſentamus & oſtendimus nos quaſi facie ad faciem cum Deo loquentes. Sic igitur oret, qui orat, tanquam aſſumptus & præſentatus ei, qui ſedet ſuper excelſum thronum cum Angelis, qui non ceciderunt, & elevatum in hominibus, quos ſuſcitavit de pulvere inopes. REMEDIA in ipſo meditationis decurſu abigendi diſtractiones ſunt hæc generatim: 1. Ordinatè diſcurrere circa ſingula materiæ propoſitæ puncta. 2. Surda quaſi aure præterire ingerentes ſeſe alienas cogitationes, animum ab iis avertendo, non autẽ diſcutiẽdo quales ſint, nec contra ſingulas depugnando inſtar viatoris prudentis moloſſi catellos latrantes transeuntis, atq; ita ſine interruptione meditationis filũ conſtanter pertexendo, ad quod juvabit continuare vivam

Dei memoriam. 3. Quamprimum quis adverterit ſe diſtractum, vel ab ipſa diſtractione ſumat occaſionem redeundi in viam & proſequendi cœptam meditationẽ cum dolore & propoſito emendationis, vel nulla alia adhibita cogitatione, redeat ad propoſitam materiam, aut novam ejus circumſtantiam expendendã, non autem examinet cauſas diſtractionis, nec retexat totum diſcurſum, donec veniatur ad principium evagationis, ubi filum meditationis fuerat abruptum. Hoc enim poſt meditationem faciendum eſt.

§. IX.

Cauſæ Ariditatum.

TRiplices ſunt, 1. Eſt naturæ infirmitas & corporalis indiſpoſitio ſecundùm Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam*, &c. 2. Eſt culpa noſtra. S. Bern. in ſuperbiam refert ariditatem & ſubtractionem gratiæ & conſolationis Divinæ. 3. Eſt diſpenſatio Divina, quæ inſinuatur Job. 7. *Viſitas eum diluculo & ſubito probas illum.* ubi indicatur viciſſitudo illa conſolationum & deſolationum quam pii experiuntur. Hinc Gerſon c. 23. de monte contempl. quoad hanc alternationem devotionis, Tyrones comparat hyemi, Proficientes veri, perfectos æſtati, quod incipientes plerumque patiantur tenebras & nubes deſolationum, nonnunquam tamen conſolationum radiis recreantur. Proficientes alternatis cœlum nunc ſerenum, nunc nubilum experiantur, ſæpius autem ſole juſtitiæ irradientur. Perfecti verò cœlum ferè ſemper habent ſerenum & æſtuoſum, ſæpe nihilominus patiantur tempeſtates, tonitrua, & grandines terribilium deſolationum, vide Ludovicum de Ponte ducem ſpiritual. p. 1. c. 2. De hac viciſſitudine ait S. Diadochus de perfectione ſpirituali, §. 4. cap. 69. Gratiam ſolere initio magna voluptate animam illuminare & proceſſu certaminis non item ad inanem gloriam vitandam S. Bonau 15. itidem cauſas aſſignat.

1. Eſt animæ humiliatio. 2. Purgatio. 3 Eruditio. 4. Indiscreti ejus conatus punitio & redargutio. 5. Occaſio majoris meriti.

§. X.

Remedia Ariditatum.

REmedia Ariditates præcavendi, aut ſuperandi, aut patienter ferendi ſunt itidem duplicia. Remota & proxima. REMOTA 1. Crebrum & fervens deſiderium veræ devotionis & divinæ viſitationis excitare, ſuſpirando cum ſponſa: *Revertere, ſimilis eſto dilecte mi capreæ hinnuloque cervorum*, Cantic. 2. Et cum Divo Bernh. *Quoties elabetur, repetetur à me, nec ceſſabo clamare ut redeat, ut reddat mihi lætitiam ſalutaris ſui.* 2. Fugere & deteſtari conſolationes terrenas, cum Pſalmiſta: *Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei & delectatus ſum*, Pſ. 76. 3. Grato & humili animo gratiam devotionis præſtolari; ſuſcipere, conſervare, Deo non ſibi eam adſcribendo, non ideò ſe exaltando, ſed potius timendo.

PROXIMA. 1. Immediatè ante meditationem ruminando materiam propoſitam, excitare & renovare tenerum erga Deum, vel Chriſtum affectum; quod fiet, revocando in memoriam Divina attributa aliqua accommodata, maximè quæ æternum ejus amorem erga nos clariꝰ ob oculos ponunt, beneficia tam generalia quàm ſpecialia, viſcera plus quam paterna & materna quæ indicantur. *In manibus meis deſcripſi te*, Eſa. 49. *In charitate perpetua dilexi te*, Jerem. 31. Ideo has & ſimiles S. Scripturæ ſententias, infinitæ Dei bonitatis, miſericordiæ, charitatis indices expedit complures in recenti memoria habere. 2. Eſt profundè ſe humiliare & intimè agnoſcere ſe ſuis viribus & meritis non poſſe devotionis gratiam impetrare, nec eâ ſe dignum eſſe, ob tot peccata & negligentias, ſimulque ſpem excitare, eam à Patre luminum liberalisſime, per infinita merita dilectis-

ctisſimi Filii & B. Virginis obtinẽdi, ingeminando illud: *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis*, Pſ. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. Et expandi manus meas ad te. Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi, velociter exaudi me*, Pſ. 124. 3. Conſtituere ſe in conſpectu Dei, ut miſericordisſimi Prædeſtinatoris, Creatoris, Redemptoris, Sanctificatoris, Glorificatoris, qui ſibi hanc meditationis horam, tanquam efficax medium prædeſtinationis & majoris gloriæ ex æterna dilectione præordinavit ab æterno, in tempore providit, ob merita Filii, qui eandẽ olim promeruit omnibus & ſingulis ſuis actibus meritoriis, tam laborioſis, ad finem adeo ſublimem æternæ beatitudinis obtinendum.

Remedia in ipſa meditatione tempore ariditatis adhibenda communiora ſunt. 1) Conari dicere deſideria & affectus, uti gratitudinis, amoris, contritionis, compaſſionis, imitationis &c. corde quantumvis arido, reſoluto ſaltem voluntatis decreto, nec enim plus à nobis tunc requirit Deus, qui *tanquam Pater miſeretur Filiorum, quoniã ipſe cognovit figmentum noſtrum*. 2) Optare & deſiderare optimo modo ferventes affectus & virtutum actus exercere. Hoc enim deſiderium gratius eſſe quàm ſi anima amare liquefacta cœleſti ſponſo ſvaviſſimè uniretur, revelatum, ait S. Brigittæ Bloſius Monil. c. 2. Spual. cum certa fiducia, implendum in ſe illud: *Dilata os tuum & implebo illud.* Et illud S. Aug. in Pſ. 105. *Coronat Deus bonam voluntatem quando non invenis facultatem.* 3) Profundiſſimè ſe humiliare & indignum omni conſolatione reputare, quod fieri poteſt his modis: 1. Conſtituendo ſe in conſpectu Dei inſtar infantis cæci, nudi, famelici, derelicti ab omnibus, exemplo Davidis & cujusdã ſervi Dei, qui 40. annis meliorem orandi modum non inveniſſe ſe teſtatus eſt. 2) Dicendo humiliter cum Thaide converſa & inſtructa à Paphnutio

Abbate & intimo humilitatis & despicientiæ propriæ indignitatis & vilitatis sensu: *Qui plasmasti me miserere mei.* Indignum scilicet cum illa se reputando, qui spurio ore nomen Dei proferat, quem toties offendit, qua oratione triennio continuata, meruit Thais in cœlo thalamum splendidissimum, quem Paulus S. Antonio paratum æstimarat. 3. Cum simplici & rustico S. P. Ignatii & sociorum ejus Barcinonam versus iter agentium olim comite, eorum sarcinulas importunis precibus extortas bajulante, in diversorio deinde cum videret eos singulos seorsim orare, ipse quoque in angulo quodam genua flexit, nihilque aliud precando dixit quam hoc: Domine, hi tui servi sunt, & ego eorum jumentum, quod ipsi faciunt, etiam ipse facere volo, & hoc ipsum tibi offero. Quod adeò gratum Deo fuit, ut hunc hominem idiotam alioqui & simplicem, sublimi & extraordinario orationis dono ornârit. 4. Dicendo cum eximio quodam Concionatore; *ut Jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum,* qua orandi ratione magnã humilitatem & cum Deo familiaritatem est consecutus. 5. Abjiciendo se ad pedes Domini & dicendo cum D. Avila: Ego, Domine, his distractionibus, tumultibus & ariditatibus causam dedi, ex parte autem tua, ista mentis inanitas justissima pœna est peccatorum meorum, quam libentissimè ceu Parentis optimi virgam, amplector & exosculor, offeroq; Tibi hoc mentis meæ exilium totis viribus, hoc solum orans, ne projicias me à facie tua. Deus enim solet infelici successu orationis castigare peccata nostra, juxta S. Nilum de oratione c. 17. 4. Resignare se Divino beneplacito ad ariditatem illam totâ vita perferendam, offerre insuper, se paratum ad serviendum Deo magno studio & sollicitudine, absque ullo consolationis stipendio, imo etiã absq; spe mercedis æternæ, si ipsi ita placeret. Exemplo S. Catharinæ Jen.

quæ

quæ hujusmodi actu resignationis, gravissimam fædarum cogitationum tentationem & desolationem vicit. 5. Offerre Divinæ Majestati, desideria merita & obsequia Christi Domini, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum pro se & pro omnibus (ex virtute amoris proximi) instituendo colloquia, percurendo choros sanctorum cum S. Francisco Borgia, & à singulis aliquid mendicando, salutando singula Christi membra, singula exosculando vulnera, singula ejus offerendo merita, singula recensendo beneficia, & pro singulis gratias agendo, suamque ingratitudinem deplorando.

§. XI.

Finis meditationum.

FInita meditatione, dic Pater & Ave, facultatem petens à Sanctissima Trinitate recedendi à meditatione. 2.) Reflectens te quomodo successerit meditatio, si bene, gratias age Deo, Patronoque meditationis, quod bene direxerit, & recollige te, quo modo usus fueris in meditatione, & sic alia vice eam institue. Si malè, inquire causas & dolendo inquire, num ex te, ut caveas alia vice, si distractiones aut ariditates fuerunt, dole, & inquire unde natæ pro cautela in futurum, recolligendo te maturè, quomodo alia vice illis occurras. 3.) Lumina collige, ex peracta meditatione illa annota, in libello ad id præparato, ob debilitatem memoriæ, ut illa aliis temporibus perlegere possis, & in te excitare spiritum servandi, quæ proposuisti in hac meditatione.

§. XII.

Regulæ meditationis cum fructu instituendæ.

MAximo ardentissimoque desiderio animus meditantis saluberrimum hoc exercitium persequatur, ut quod sanctissimorum operum non mediocre auxilium esse solet, in hoc quoque pio studio devotionem acuat, mentemque sua sponte excitatam impellat.

2)Summa cum diligentia impedimentorum difficultatumq; omnium obstacula infringantur,quæ salutis nostræ perpetuus inimicus ingeniose ponit. Ea enim sollicitudo pro Matre atq; nutrice orationem mentalem pariet & fovebit. 3)Continua diligentissimæ mentis custodia & vigiliis cordis interna requies procuretur, atq; ne vanæ cogitationes,inordinatæque affectiones maximorũ tumultuũ occasiones subrepant,caveatur. 4)Plurimum indefessa Divinæ præsentiæ memoria proderit, cum quisque in omni loco Deum præsentem esse cogitare debeat,qui testis sit vitæ humanæ & Judex actionũ, ut nihil illum latere possit, & nec verbum otiosum inultum abire sinat. 5)Lectio distincta & interrumpentibus considerationibus plena usurpetur, quæ saluberrimam cogitationum materiam subministret. Optimè enim cor hominis molæ instructissimæ comparatum est, in quo nisi granum spirituale reponatur,ex plenitudine sua, miserias mundi hujus,vanitates & sensualitates eructabit. 6)Dum mors aditu per fenestras sensuum exteriorum facto animam occupet,necesse est accurata custodia,omnes quidem sensus,sed maximè oculorum & aurium constringi. Hinc qui recte cupit oratione mentali defungi,cæcum se,surdum & mutum esse putet. Unde optima meditatio in tenebris,vel noctu,dum omnia silent. 7) Providendum est,ne improbissimus Dæmon, quæcunq; facta occasione propositum orandi interturbet: propterea cupiens gustum fructumq; meditationis experiri,constanter in ea perseveret,&intrepido animo susceptum opus prosequatur. 8)Corporis afflictio vitæq; moderata asperitas adhibeatur. Quemadmodum enim jejunia,disciplinæ, duræ cubationes & alia similia egregie devotionem promovent,ita delicatum militem dissoluti corporis immodicæ libertates, aridum & insulsum relinquunt. 9)Pridie diligenti lectione,attentaque recogitatione, materia meditationis prægustetur, cum

eaque

eaque in memoriam recondita, somnus capiatur, utile quoque est, si vigiliis nocturnam quietem interpellantibus elevatione mentis in Deum, breviq; oratiuncula instituta, memoria refricetur dicto: Gloria Patri & Filio &c. vel JESUS Maria Joseph mei dulcissimi amores &c. vel Deus meus & omnia &c. Matutino verò tempore stratum relinquens, non aliam priorem cogitationem, quàm præsentiæ divinæ & meditationis assumet. 10) Præter unicum colloquium in fine meditationis adhiberi solitum, plura alia utiliter in ipsa meditatione institui possunt, (vel maxime tempore ariditatis ad excitandum Spiritum) vel corde accenso, vel suavi labiorũ motu, factaq; super scipsum reflexione affect9, odii & displicentia peccatorum amorisque Dei &c. 11) Perfecta meditatione, de fructu ex eadem percepto requiratur, firmiterq; proponatur, velle se omnes inspirationes & determinationes à Spiritu S. dictatas executioni mandare, iteratisque in die vicibus idem propositum renovetur. 12) Non violentus, sed suavis est Orationis mentalis modus, jucundeque & humiliter, gratiam ac consolationem Spiritus S. expectando, devotio expetatur: Qui enim constanter perseverat in humilitate, sine fastidio, ad gustum suavitatemq; Spiritus pertingit & singulare mentaliter orandi desiderium exhaurit. 13) Gustu fructuq; desiderato in uno meditationis puncto habito non facilè ad alia procedendum est, sed quàm diu pius affectus durat, ad plenam animæ devotæ satisfactionem persistatur, idemque diutiùs sine tædiosa permutatione ruminetur. 14) Qui se agnoverit cogitationibus & curis à meditatione alienis implicatum, spiritumq; in se ipso aridum expertus fuerit, ad oratiuneulas jaculatorias recurrat, quæ repulsis cogitationibus malis, spiritusque ariditate evacuata fervorem devotionis conservant & fovent. 15) Semper finẽ certum quem meditando peculiariter intendit sibi præstituat, & ad particularia resolute descendat. 16) Semper ali-

aliquid speciale proponat cui repetita subinde reflexione diligentius attendat, semper aliquantulo tempore quid emendandum respectivè ad Deum, se ipsum & proximum dispiciat & practicè corrigat. 17. Desolationes patienter cum humili gratiarum actione sustineat, se canem indignum recognoscens qui vel de micis consolationum & vigoris spiritualis, quibus Angeli Dei, Fratres & Domini sui, inter quos velut stipes arefactus flectit, superabundant participet. Jungat suam exsuccidam tepiditatem fervori illorum & constanter alacriterque profiteatur, quod sicco hoc & nudo devotionis, pinguedine inuncto pane, vesci, in Domini sui famulatu paratissimus sit, & sic vel ad mortem habitus, omni possibili affectu, Deo Domino, propter illum ipsum & dignitatem Majestatis ejus servire velit. 18. Evagantem extra assumptam materiam ad impertinentia mentem, ut primum adverterit studiosè cohibeat, & ad propositum revocet, ac tanquam silvestrem vagamque & omnis in agendo civilitatis rudem bestiam per accuratam rei meditandæ imaginationem frænet.

CAPUT IV.

Officium Divinum.

ITerum hic ad humilitatem appellandum, si quid impetrare voles, fundamentum Orationis sit humilitas, humilibus enim dat Deus gratiam, ad quam moveri potes his: Nihil ex te habes, infinitis ergo cares, & simul eges. Manus Dei plena est omnibus benedictionibus ad implendum eis omnem Creaturam. Ad hanc ergo manum porrige, & extende mendicitatis tuæ os & orationis manum, ut percipias ab illa benedictionem, eaque implearis. Ora sicut mendici clamantes, sicut cicadæ strepentes, sicut pulli corvorum pipientes, ora (uti supra insinuavi) sicut piscis sine aqua, sicut terra sitiens, sicut herba arescens, sicut cervus ad fontem sitiens, sicut scintilla deficiens, sicut æger moriens.

§. I.

Modus primus officium divinum devotè recitandi.

Con-

CONstitue te in conspectu Sanctissimæ Trinitatis, Humanitatis Filii Dei, B.V. & omnium Sanctorum; imaginando te cum electis omnibus triumphantibus & militantibus, omnium creaturarum etiam possibilium nomine, voce, affectu, collaudare Sanctissimam Trinitatem. 2. Cogita te alternos versus aut cum militante, aut cum triumphante Ecclesia dicturũ, ac proinde opus fore magna attentione & reverentia, qualis describitur illorum 24. Seniorum, coram Agno procumbentium. *Apoc* 5. 3. Viva fide apprehende te versari in oculis Dei scrutantis corda & renes, Domini infinitæ liberalitatis, Judicis infinitæ justitiæ, Patris infinitæ bonitatis, benignitatisque, sponsi infinitæ amabilitatis, & propone, sponte non admittere ullas mentis evagationes, & necessariam ad id gratiam humiliter pete, cum intima de propriis viribus diffidentia & fiducia in Deo. Devotionis & compunctionis spiritus inflammandus erit, excitando affectus fidei & Reverentiæ, humilitatis, contritionis, diffidentiæ propriæ, & fiduciæ in Deum, resignationis & desiderii perfectè laudandi Deum: his vel similibus modis. 1 Vel perbrevi ruminatione alicujus ex prædictis, nempe vel Majestatis præsentis, vel curiæ cœlestis, misericordias Domini in æternum concinentis, vel etiam obligationis tuæ, ratione beneficii, aut ordinis, vel mercedis propositæ devotis, vel supplicii intentati tepidis. 2 Vel pia recordatione eorum quæ Christus D. singulis horis passus est, de quibus sunt versus illi.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,
Prima replet sputis, causam dat *Tertia* mortis.
Sexta cruci nectit, latus ejus *Nona* bipertit,
Vespera deponit, tumulo *Completa* reponit.

Possunt etiam non insipidè septem dolores B.V. applicari 7. horis Canonicis vel maximè in officio de Beatissima Virgine in Sabbatho aut officio parvo B.V. 3. Consideratio quadruplicis finis hujus solemnis orationis Ecclesiæ Universæ, qui est Deum glorificare, gratias illi pro beneficiis agere, eundem placare, omnia bona & præsidia necessaria ad proprias & communes Ecclesiæ necessitates, ærumnasque sublevandas impetrare. In-

Intentio Triplex; quoad Deum, nos ipſos, proximos, præmittenda erit offerendo hoc obſequium noſtrum cum omnium Sanctorum obſequiis & meritis, in unione infinitorum Chriſti meritorum, orationum, gratiarũ actionum ac maxime in unione eorum quæ ſeptem illis horis fecit, dixit, paſſus eſt, ſecundùm intentionẽ S. Matris Eccleſiæ, quæ intendit Deum laudare ac pro vivis & defunctis orare (cui particularem intentionem licet addere Miniſtris Eccleſiæ) ad maximam Dei gloriam, in gratiarũ actionẽ omnium beneficiorum, in ſatisfactionem peccatorũ, ad impetrandam nobis & proximis quæ 7. Orationis Dominicæ petitionibus continentur, vel 7. dona Spiritus S. vel 7. Virtutes, ſcil. Theologicas & cardinales, vel Virtutes 8. beatitudinibus comprehenſas, vel generatim ad impetrandam gratiam nobis aliisque omnibus Deo perfecte placendi, vel particularius: ad impetrandam gratiam proficiendi in mentis puritate, Virtutum ſoliditate, charitatis perfectione, finalem in continuo proficiendi ſtudio perſeverantiam, & ampliorem in cœlo gloriam, vel ad diverſa impetranda diverſis Eccleſiæ membris ſingulis hebdomadæ diebus, juxta P. Jacobum Alvaretz.

Die Dominico ergo offerre potes officium pro tota Eccleſia, ſtatu Eccleſiaſtico, Religioſo, & ſæculari, maxime eo cujus es membrum & pro ſancta morte & beatitudine conſequenda.

Feria II. Pro Converſione omnium fidelium, & pro plena remiſſione omnium peccatorum.

Feria III. Pro Converſione hæreticorum & Schismaticorum & pro ſolida mortificatione paſſionum.

Feria VI. Pro Juſtificatione omnium peccatorum fidelium & pro victoria tentationum.

Feria V. Pro perſeverantia juſtorum, majorique profectu perfectorum & pro gratia omnes Virtutes aſſequendi.

Feria

Feria VI. Pro Parentibus, Cognatis, Benefactoribus, Amicis & Inimicis, & pro dono Orationis & familiaritatis cum Deo consequendo.

Sabbatho prò animabus in purgatorio & pro charitatis perfectione obtinenda, atque captivis apud Turcas, vel sic variare potes secundariam intentionem per singulos hebdomadæ dies peculiariter (præter prædictas generales intentiones) Officium offerendo.

Die Dominico Pro tota Ecclesia, seu pro omnibus pro quibus Christus mortuus est, maxime vivis, affectu B. V. & omnium Sanctorum.

Feria II. Pro omnibus defunctis; affectu Sanctorum Angelorum.

Feria III. Pro capitibus Ecclesiæ; affectu SS. Veteris Testamenti.

Feria IV. Pro omnibus Statibus Ecclesiæ; affectu SS. Apostolorum & Discipulorum Domini.

Feria V. Pro statu cujus es membrum; affectu SS. Martyrum.

Feria VI. Pro peculiariter tibi commendatis; affectu SS. Confessorum.

Sabbatho Pro omnibus in peccato mortali, in hæresi, in infidelitate hærentibus; affectu Sanctarum Virginum & non Virginum.

Simili modo possunt fieri intentiones particulares ad singulas horas quamlibet per septimanam retinendo, in qualibet enim hora 4. ponuntur intentiones, id est pro 4. septimanis.

Ad matutinum 1. Ut agam gratias pro omnibus beneficiis Humanitati Christi Domini à Sanctissima Trinitate concessis, quod facio affectu ipsius Christi. 2. Ut impetrem notitiam & amorem Christi per totum orbem ad quorum augmentũ totam vitam sanguinem & mortem meam illi devoveo. 3. Ut suppleam & quantum possum satisfaciam pro omnibus contemptibus Christo

Domino à quocunque illatis & inferendis unquam. 4. Ut adorem Christum Dominum cultu Theandrico per ejusque merita gratias prævenientes, opportunas, efficaces augmentumque gratiæ & gloriæ promerear.

Ad Laudes 1. Ut honorem Pretiosissimam Dei Parenté cultu soli illi postDeum & Christum supra omnes Sanctos debito, per ejusque merita gratias efficaces ultimas, augmentumq; gratiæ & gloriæ promerear. 2. Ut agam Sanctissimæ Trinitati & Humanitati Christi Domini gratias pro beneficiis Pretiosissimæ Parenti concessis. 3. Ut impetrem mihi & omnibus meis affectum tenerrimum & intensissimum erga Pretiosissimam Parentem, cujus me & morté meam honori atq; cultui omnimodo devoveo ab eoque mortem sanctam peto. 4. Ut suppleam & quantum in me est satisfaciam pro omnibus negligentiis in cultu ejus à me & à meis quandocunque commissis.

Primam Ut honorem S. N. N. per eorumque merita gratias prævenientes â peccato præservativas augmentumque gratiæ & gloriæ promerear. 2. Ut agam gratias Sanctissimæ Trinitati pro beneficiis omnibus quæ iisdem sanctis in tempore & æternitate contulit. 3. Ut impetrem mihi donum veræ humilitatis privilegiatæ puritatis & Martyrii. 4. Ut satisfaciam quantum possum (si Religiosus) pro pœnis Religionis nostræ ratione personarum debitis (si sæcularis & Parochus) pro pœnis Parochiæ meæ ratione personarum malarum debitis.

Tertiam 1. Ut agam Deo gratias pro Apostolica dignitate & pro iis quæ per eam operatus est sic, Religiosus de sua Religione aut ordine. 2. Ut impetrem vocationem his N. N. mihi autem spiritum & gratiam Apo-

Apostolicam sic Religiosus spiritum & gratiam Religionis. 3. Ut suppleam Deo meo laudem quæ ipsi denegatur ab omnibus. 4. Ut promerear augmentum zeli.

Sextam 1. Ut agam Deo gratias pro beneficiis Incarnationis Sanctissimi Sacramenti & passionis Christi. 2. Ut impetrem mihi & meis affectum ad Verbum incarnatum Sanctissimum Sacramentum crucemque ejus. 3. Ut suppleam Deo laudem quæ ipsi denegatur ab Ethnicis, Hæreticis & malis Catholicis. 4. Ut promerear augmentum desiderii Sanctissimi Sacramenti.

Nonam 1. Ut agam Deo gratias pro vocatione mea. 2. Ut impetrem mihi perseverantiam in statu bono & gratia. 3. Ut satisfaciam Deo pro ingratitudinibus meis circa hoc beneficium. 4. Ut promerear gratiarum vocationis peculiarium augmentum.

Vesperas 1. Ut agam Deo gratias pro Sacramento Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ & Ordinis. 2. Ut impetrem non mori sine extrema unctione & Viatico Corporis Christi. 3. Ut satisfaciam Deo pro defectibus hac die à me commissis. 4. Ut promerear augmentum gratiarum Sacramentalium.

Completorium 1. Ut agam Deo meo gratias pro valetudine corporis. 2. Ut impetrem pœnitentibus meis sinceras confessiones, statum vitæ securissimum & ut nullus mihi sacrilege confiteatur. 3. Ut satisfaciam Deo pro defectibus admissis à me in administratione Sacramentorum. 4. Ut promerear augmentum ultimum gratiæ sanctificantis.

§. II.

In ipso officio recitando observanda.

ATtentionem, Devotionem & Intentionem actualem, aut minimum Virtualem continuare, aut saltem identidem renovare stude, cum interna externaque reverentia, memor divinas laudes legendas esse, aut canendas, non solum cum debita verborum prolatione, sed etiam cum seria memoriæ, intellectus & voluntatis applicatione & religiosa totius corporis compositione juxta illud Ps. 46. *Psallite Deo nostro, psallite, psallite Regi nostro, psallite; quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter.* Ubi quinquies repetito verbo Psallite, insinatur Psallendum Deo, quoad vocem distinctè, quoad memoriam attente, quoad intellectum, intelligenter, quoad voluntatem, ardenter, quoad habitum corporis, reverenter. Quod assequi conaberis. 1. Opportunum & sufficiens tempus singulis horis canonicis, si extra chorum legas, tribuendo, juxta morem Ecclesiæ, & virorum timoratorum quibuscum vivis; non præcipitando verba, nec mutilando, nec indecore festinando. 2. Locum pietati tuæ magis congruum & à strepitu & interpellatione remotiorem eligendo. 3. Decentem corporis situm adhibendo, videlicet si vires ferant, alternatim genua flectendo aut stando. 4. Oculorum evagationes aliasque distractionum causas declinando. 5. Viva fide Deum præsentem eique beatorum choros, laudes æternum concinentes crebro intuendo, cum affectu Amoris, gratitudinis, zeli laudandi Deum, eique per omnia placendi. 6. Subinde memoriam renovando eorum, quæ Christus tali hora fecit, vel passus est, cum similium piorum affectuum ac desideriorum Christum redamandi, imitandi, ejus merita participandi, instauratione. 7. Renovando propositum attentionis, si distractionibus agiteris sæpius. V. G. In initio, fineque cujusque

cujusque psalmi, initio quidem desiderando & petendo affectum à Spiritu Sancto intentum. In fine verò Gloria Patri &c. Dicendo ferventi desiderio laudandi SS. Trinitatem reverenter, attente, devotè, omni possibili modo sicut fusius habes in sequenti modo tertio officium Divinum recitandi.

§. III.

Post officium Divinum.

DEfectus minus voluntarios in recitatione officii admissos, quam primum expiare stude recitando: Laudate Dominum omnes gentes &c. Vel simile quid, ad lucrandas indulgentias in hunc finem concessas. 2. Offer tuum obsequium, quantumvis imperfectum, in Unione orationum & meritorum Christi, B. V. & Sanctorum, ad intentiones initio præfixas, idque vel immediatè Sanctissimæ Trinitati, vel per Christum, Æterno Patri, vel primum B. V. deinde Christo Domino, & per hunc: Patri, hac vel simili forma.

O Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ respice oculo pietatis hoc exiguum servitutis meæ obsequium, quod mellifluo cordi tuo, emendandum, perficiendum, & repræsentandum Dilecto Filio Tuo offero, ad maximam ejus gloriam, amorem, beneplacitum, in gratiarum actionem æternam, ad gratiam nobis impetrandam, illi placendi perfectissime in tempore & æternitate juxta prædictas intentiones: Monstra te esse Matrem &c. Pie JESU Fili DEI & Mariæ Virginis, dignare de manu piissimæ Matris Tuæ suscipere, & infinita pietate tua supplere, hoc tepidum, aridum, & distractum Orationis meæ obsequium, & unitum tuis ardentissimis orationibus, sacrificiis laudis, & infiniti meriti obsequiis, repræsentare Æterno Patri ad prædictas intentiones. Pater respice in faciem Christi Dilecti Filii Tui, & miserere nobis, gratiam largiens, Te, cum eodem dilecto

Filio tuo & Spiritu S. amandi & glorificandi, nunc perfectè in via, olim beate in patria, juxta tuum sanctissimum beneplacitum. Per eundem Dominũ nostrum &c.

3. Finito officio, discute conscientiam num debita sit adhibita diligentia, in attentione, devotioneq; comparanda, nec ne dolendo de defectibus admissis, & causas investigando, cum proposito emendationis, vel gratias agendo de bono successu, cum proposito similem modum deinceps servandi.

§. IV.

Consuetudines Horarum Canonicarum R. P. Casparis Druzbicki, P. M. ex M. S.

AUrea fistula Sacerdotum Oratio est, per quam à SS. Trinitatis corde misericordiam exsugere possumus, si volumus, hoc est: si ita oramus, ut nostra evagatione & nostra distractione ductum miserationis in canalem indignationis non convertamus. Non placatur quippe, sed amplius exasperatur dignissimus DEUS, si sacratissima verba, quæ os ipsius nominavit, & S. Spiritus Sanctis religiosè inspiravit, ita per nos recitentur, ut cum sordibus, vanis videlicet (& utinam non malis) cogitationibus misceatur, quibus tamen longè major à nobis, quàm Sanctorum reliquiis veneratio debebatur. *Qui igitur desiderat* (quod justis Deus promittit Aug. lib. Sal. monit. c. 28) *ut quoties ejus in cœlum ascendit precatio descendat super illum Dei miseratio*, præter ea quæ ex legibus Ecclesiæ, Doctorumque præceptis observanda sunt in horarum Canonicarum recitatione, etiam sequentia pro commoditate & beneplacito observare poterit.

Obla-

Oblatio singularũ horarum diei præmittenda.

1. OBlatio Generalis omnium illius diei horarum. 2. Intentio Generalis Ecclesiæ obligationis adimplendæ & Divinæ Majestatis demerendæ. 3. Propositum seu desiderium devotionis fervoris & reverentiæ cum Spiritus S. invocatione.

Oblationis generalis praxis.

DEUS cujus immensam Majestatem adorat omnis Ecclesia Sanctorum, offero tibi tuæ Ecclesiæ preces, à me vilissimo homuncione hodie recitandas. Et inprimis offero omnes earum affectus & sensus, à S. Spiritu, & sancta sponsa Ecclesia intentos, atque in ipsis depositos, offero omnia illarum puncta, sententias, commata, verba, literas, apicesque offero omnes linguæ manuumq; mearum motus, omnes ictus oculorum, omnes meas respirationes, omnes corporis animæque meæ affectiones, omnes mei totius commotiones in hac præsenti ad te oratione intercursuras. Accepta hoc tributum servitutis meæ Tu, qui es Dominus meus, Rex meus, Deus meus solus, unus, naturalis, meque mancipium tuum naturale & voluntarium, Spiritu S. tuo & gratia efficaci, abundanti, purifica, confirma, sanctifica, ut tibi servitium meum in sanctitate, & justitia, & devotione, & fervore, & attentione, & intensione, & perseverantia semper exhibere valeam. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

Intentio generalis sic instituetur.

VOlo amabilissimam & honorabilissimam unius in Trinitate Dei Majestatem, nomine sponsæ illius Ecclesiæ laudare, sacratissimã Jesu Christi humanitatem & pretiosissimæ Parentis maternitatẽ honorare, Sanctos omnes lætificare, salutem perfectionemq; meam curare, obligationi & intensioni S. Matris Ecclesiæ satisfacere.

Propositum sic fiat.

SAnctissima Trinitas Pater, Fili, & Spiritus Sancte, Laudo de cordialiter, laudare desidero, per omnes actiones passionesque meas, omnium potentiarum, virium & particularum, tam corporis ac animæ meæ, quam omnium præteritarum, præsentium, futurarum, possibiliumque creaturarum. Laudo te semel pro semper, pro tota vita mea, existentia mea, possibilitate mea & omnium. Laudo te majori quam unquam fervore & ardore Spiritus, milliesque, & millies & infinities majori proportione, ardoris, fervoris, charitatis, liberalitatis, puritatis, dignificationis, imitationis, applicationis & diligentiæ ad purum gustum tuum, ad nullum præmium meum, ad nullum placitum, bonumque creaturæ, Seraphicè, Marianè, Christiformiter, omnistudionaliter, incessabiliter, in unione meritorum Christi mihi appropriatorum, & tibi oblatorum, JESU CHRISTI pretiosissimæ Parentis Sanctorum hominum & Angelorum, atomicè, sacrificativè, primitialiter, heroicè, omnipossibiliter, dignè Te, dignissima Trinitate, quia mihi places, ut mihi placeas, amplius, & amplius, & amplius.

Ad singulas partes Divini officii observanda.

1. INtentio specialis cuique parti officii propria.
2. Assumptio affectus alicujus Deo placentis.
3. Aliquod pium mysterium inter recitandum ruminandum.
4. Gratiarum actio pro certo aliquo beneficio.

Quæ omnia quo facilius in praxim deducantur hanc tenere methodum juvabit.

Ad Matutinum.

Intentiones Matutinorum.

VOlo matutinum dicere in honorem Sacratissimæ Trini-

Trinitatis, ut exaltetur amabilissimus & dignissimus Deus salutis meæ,& in honorem sanctissimæ Jesu Christi Humanitatis, ac Matris Dei dulcissimæ, totiusque curiæ cœlestis. Et pro:

DieDominico. Justorum injustitia incremento, perseverantiaque finali.

Feria 2. Recenter Conversis, Deoque servire incipientibus.

Feria 3. Navigantibus, laborantibusque inter gentiles & Hæreticos.

Feria 4. Sancta morte, beatitudinisque adeptione, mea & meorum N. N.

Feria 5. Gratia obtenta, obtinendaque à Deo, in animarum procuratione.

Feria 6. His qui hic & nunc egent maximè divino auxilio.

Feria 7. Dono placendi quotidie soli Deo, juxta ejus voluntatem.

Assumptio Affectus SS. Trinitatis.

UNi-Trine & misericors Deus, Domine meus, in unione illius perfectissimæ dilectionis, laudis, & complacentiæ, quibus Tu, o altissima Trinitas Pater, Fili, & Spiritus S. Unus Deus, amas te, laudas te, Tibi complaces in te, amo & ego te, laudo & ego te, complaceo mihi & ego in Te, per Matutinum, & per omnes actiones, passionesque meas in tempore & æternitate.

MYSTERIA.

1. Ab Adventu ad Nativitatem. SS. Trinitatis consilium decretumque super auxilio mundi.

2. A Pentecoste ad Adventum, Incarnatio Christi & Nativitas.

3. A Nativitate ad Purificationem, Nativitas Christi.

4. A septuagesima ad Pascha, Christus in horto cum omnibus in eo gestis.

5. A Paſcha ad Dominicam in Albis Reſurrectio Dominica.

6. A Paſcha ad Trinitatem. Eadem ejus reſurrectio.

7. Sabbathis & in Feſtis Beatiſſimæ Virginis Immaculata Conceptio &c. B. Virginis.

Gratiarum actio pro beneficio Creationis.

TOto corde & tota affectione, cum omnibus animæ corporisque mei viribus ac ſenſibus, ex tota tibi nota latitudine & magnitudine omnitudinis meæ, gratias beneficentiſſimæ Majeſtati Tuæ Deus meus ago, per Matutinum, & omnes actiones paſſionesque meas, pro omnibus gratiis & privilegiis, Sacratiſſimæ JESU Chriſti Humanitati, dulciſſimæ Virgini Mariæ, ſanctis Angelis, meoque præcipuè Tutelari &c. omnibus Sanctis meisque potiſſimum Patronis, mendico mihi tuisque ac meis omnibus, & univerſæ creaturæ exhibitis aut exhibendis.

Specialiter autem gratias ſuperamandiſſimæ Divinitati Tuæ pro eo tua factura, quod Tu Deus tibi ſuperficientiſſimus, & ex te ſuperbeatiſſimus, ex infinita & undequaque gratuita charitate tua, me ab æterno, inter poſſibilia agnitum, miſericorditer reſpexiſti, voluiſti, ad tui fruitionem ordinaſti & ut ſpero amaſti & prædeſtinaſti quod in tempore, & Chriſtianæ legis tempore, me ut eſſem creaſti, plasmaſti, formaſti, imò inſtar caſei coagulaſti, & inſtar lac mulſiſti, & carne ac pelle veſtiviſti. Quis Rex terræ talia ſtercora manibus tractat, quale ſtercus homo & ejus nihilitudo eſt, in qua tu bone Deus, quando me feciſti, Divinum digitum tuum intinxiſti tuam manum immerſiſti.

Ad Laudes.

VOlo laudes dicere &c. ut ſupra in Matutino Et pro Die Dominico Liberatione cita eorum, qui ſunt in peccato mortali.

Feria 2. Justis in Virtute proficientibus.

3. Confessariis, Concionatoribus & quomodolibet animarum salutem curantibus.

4. Remissione peccatorum mihi & meis N.N.

5. Pœnitentibus meis præteritis & futuris, ut emundentur & perseverent & augeantur in bono.

6. Augmento devotionis in me & aliis erga Passionem Christi Jesu.

7. Successu felici meorū officiorum & propositorum.

Assumptio affectus cordis Christi Domini.

SUperbeatissima & superhonorabilissima Trinitas Deus meus, in illius dilectionis & affectionis unione, quæ in devotissimum cor Domini nostri Jesu Christi tuum organum prædulcissimnm à te liberalissimè fluit, & inde in omnes Angelos & Sanctos procedens, rursus per idem cor ad Te superdignissimā Trinitatem refluit, Laudo te per laudes hodiernas & per omnes actiones, passionesq; in tēpore futuras, vel in æternitate extituras.

MYSTERIA.

1. A Pentecoste ad Adventum. Vita Christi, à Nativitate ad annum duodecimum.

2. Ab Adventu ad Nativitatem. Annunciatio & Incarnatio Domini nostri Jesu Christi.

3. A Nativitate ad Purificationem. Angeli & Pastores.

4. A Purificatione ad Pascha & Feria sexta. Christus in domo Caiphæ, Annæ in carcere nocturno.

5. A Pascha ad Dominicam in Albis. Christus matri suæ apparens gloriosus.

6. A Pascha ad Trinitatem. Christus item apparens Matri.

7. In festis B.V. & Sabbathis. Nativitas Beatissimæ Virginis in mundum.

Gra-

Gratiarum actio pro beneficio Incarnationis & Redemptionis.

EOdem hæc in laudibus aliisq; omnibus horis modo inchoando quo & in matutino inchoabatur usq; ad Specialiter autem &c. præterquam quod loco illius per Matutinum ponendum ſit: Per Laudes &c. Per Primam &c. Specialiter autem per laudes, gratias ago miſericordiſſimæ Bonitati tuæ, quod ut me perditum recuperares Humanam vilitatem, TuæDivinitati perſonaliter copulaſti, maternis viſceribus te tantillus incarceraſti, infans ejulaſti, parvulus reptaſti & baltutiſti, adoleſcens laboraſti & latuiſti, Vir prædicaſti, Teque pro me tot miris & diris ſuppliciis colliquaſti, ac tandem in cruce mei amore toſtus, & mihi debito dolore exhauſtus, expiraſti verus vir dolorum.

AD PRIMAM.

Volo Primam dicere ut ſupra &c. Et pro:

Die Dom. Fidei Cathol. conſervatione & propagatione.

Feria 2. Juſtorum & perfectorum in Virtute perſeverantia, eorum præſertim, quos perſeverare multorum ſaluti prodeſt, vel prodeſſe poteſt.

3. Dandis à Deo Sacerdotibus ſanctis, doctis, ſanis, prudentibus, ferventibus operariis.

4. Aſſequenda paſſionum mortificatione, à me meisque N. N.

5. Ut ad me dirigantur animæ quam maximè egentes, utque ego eas poſſim efficaciter, ſuaviter, prudenter, humiliter, juvare,

6. Obtinendo dono exercendæ in omnibus ſolius Dei voluntatis.

7. Gratiis & beneficiis mihi peculiariter neceſſariis.

Aſſumptio affectus B. Virginis Mariæ.

SUperlaudabiliſſima Trinitas Domine Deus meus, laudo & magnifico digniſſimam Majeſtatem tuam

per

per Primam, omnesque actiones & Passiones meas, & omnium amore, ardore, & affectu illo, quo te Tibi devotissima, & tuo divino cordi, dilectissima Parens & Virgo, à primo conceptionis suæ instanti, ad usq; præsens momentum, laudavit ac magnificavit, quo nunc laudat & magnificat, quo in omnes æternitates, laudabit magnificabitque.

MYSTERIA.

1. A Pentecoste ad Adventũ. Vita Chr. ab anno 12. ad 30.

2. Ab Adventu ad Nativitatem. Visitatio Elisabeth Joannisque sanctificatio.

3. A Nativitate ad Purificationem. Circumcisio Christi Domini, & dolor Christi Domini & B. Virginis.

4. A Purificatione ad Pascha. Christus ante Pilatum & Herodem.

5. A Pascha ad Dominicam in Albis Christus apparens Magdalenæ.

6. A Pascha ad Trinitatem. Christus apparens mulieribus, Petro, Euntibus in Emaus.

7. In Festis B. V. & Sabbathis Præsentatio B. Virginis & vita in templo.

Gratiarum actio pro institutione & exhibitione SS. Eucharistiæ Sacramenti.

INcipit ut supra in Matutino specialiter autem per Primam, omnipossibiles Divinæ Charitati tuæ gratias habeo, quod illam personalẽ inhumanationem, per miram extendens dignationem, Te & tuam Divinitatem, ad meam usque nihileitatem inclinasti, teque mecum in unam quodammodo massam, amorose conflasti, quod hanc scabiosam & leprosam hanc fornicariam sponsam tuam, unicam meam toties visitasti, eamq; tuo sanguine potasti & corpore cibasti, quod cum captiva anima mea, in sanie & cloaca, in sterquilinio & spurcissima fætulentia, in hoc fædo corpore consedisti & spontè incarceratus es.

Ad

Ad Tertiam.

Volo Tertiam dicere ut ſupra. Et pro:

Die Dominico Pace & concordia Principum Chriſtianorum.

Feria 2. Pervenientibus ad uſum rationis, & pro adoleſcentibus, ut ab ineunte æſtate, Deum timeant, innocentiam ſervent, familiaritates malas effugiant, ſpiritum fornicationis evincant, mala educatione non depraventur, ex mente Dei ſtatum vitæ deligant, ineant, ſervent.

3. Reprimenda rabie Dæmonum, in impedienda converſione hominum, paceque Chriſtianorum.

4. Adipiſcendo neglectu rerum humanarum, contemptuque reſpectuum, victoria tentationum, à me & meis & &c. N. N.

5. Congruis auxiliis ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, Miſſæque ſacrificium ritè obeundum.

6. Ea gratia impetranda, quam Deus vult pro me à ſe nunc poſci, quæque ille mihi dare diſponit, & quâ ego potiſſimum nunc indigeo.

7. Statu Sacerdotali & ejus profectu ſpirituali.

Aſſumptio affectus SS. Angelorum, Archangelorum, Virtutum.

SUperreverendiſſima Trinitas Domine Deus meus, laudo & glorifico Te per Tertiam, omnesque actiones & paſſiones meas & omnium, illa depurata & illa defæcata charitate, quam primæ tuorum Hierarchiæ Angelorum pro famulari & militari donativo retribuis, retribuiſti & in æternum retribues.

MYSTERIA.

1. A Pentecoſte ad Adventum. Baptiſmus Chriſti, Jejunium, & Tentatio in deſerto.

2. Ab Adventu ad Nativitatem. Solicitudo B. V. & Joſephi metu poſt Conceptionem.

3. A Nativitate ad Purificationem. Trium Regum adoratio, munerum oblatio.

4. A Purificatione ad Pascha. Christi ad columnam denudatio, flagellatio, coronatio.

5. A Pascha ad Dominicam in Albis. Apparitio Christi Petro, & duobus discipulis in Emaus.

6. A Pascha ad Trinitatem. Apparitio Thomæ & ad mare.

7. In Festis B.V. & Sabbathis. Annunciatio, & verbi ex sanguine Virgineo Incarnatio.

Gratiarum actio pro donis supernaturalibus.

INcipit ut supra in Matutino. Specialiter autem & tota totius animi contentione, gratias tuæ ago bonitati, quod superegentissimam, indignissimã ingratissimamque animam meam, tot Sacramentorum, aliorumque spiritualium beneficiorum, tot satisfactionum & visitationum, ut sanctarum gratiarum thesauros, profudisti, imo prodegisti, ut faceres bone Deus de me, quod placitum fuit ab æterno ante Te, facere aliquando de me. O quàm ingeniosas Deus meus adhibuisti artes, quàm astutos exprompsisti dolos, ut caperes & inescares, & haberes tibi stultam & rebellem cæcam voluntatẽ meam. Gratias & gratias tuæ bonitati æternas, im̃ortalesq; ago.

Ad Sextam.

Volo Sextam dicere ut supra. Et pro:

Die Dominico. Levatione dolorum his, qui nunc morbis corporaliter affliguntur.

Feria 2. Necessitatibus negotiisque Patriæ, & pro his qui ea curant ac defendunt.

3. Superioribus Status Clericalis, ut statui in flore conservando, perpetuo, efficaciter, suaviterq; invigilent.

4. Gratia ad universas virtutes assequendas & exercendas, mihi & meis N.N.

5. Con-

5. Congruis auxiliis Spiritusque S. Donis, ad Sacramentum pœnitentiæ, prudenter, patienter, assiduè, libenter, avidè, fructuosè, humiliter, ministrandum.

6. Dono semper vivendi sine obligatione culpæ & pœnæ, præsertim pro expiandis peccatis mihi occultis.

7. Repressione Spiritus fornicationis, & conversione pœnitentiaq; finali magnorũ peccatorum, eorum præsertim, qui suo exemplo multum nocere possent.

Assumptio affectus Principatuum Potestatuum Dominationum.

SUpercolendissima Trinitas, Domine DEUS meus, laudo & dignifico Te per Sextam, omnesq; actiones ac passiones meas & omnium, illâ reverentiâ & illa quieti amoris vehementia, quâ dominatricem Tuæ divinitatis Majestatem, adorant Dominationes, tremunt Potestates, venerantur & mirantur Principatus, nunc, ante & in perpetuum.

MYSTERIA.

1. A Pentecoste ad Adventum. Vocatio discipulorum, Prædicatio, labores Christi.

2. Ab Adventu ad Nativitatẽ. Vita, actiones, passionesq; Christi, in Visceribus dulcissimæ Virginis Mariæ.

3. A Nativitate ad Purificationem. Purificatio B. V. Oblatio Christi, & Simeonis prædictio.

4. A Purificatione ad Pascha, Christi damnatio, Crucis bajulatio, Crucifixio.

5. A Pascha ad Dominicam in Albis. Apparitio Christi clausis januis, absente, præsenteque Thoma.

6. A Pascha ad Trinit. Ascensio & triumphus Christi.

7. In festis B. V. & Sabbathis, Visitatio Elisabeth à B. V.

Gratiarum actio pro donis naturalibus.

Incipit ut supra: Specialiter a. humilimas Divinæ Providẽtiæ tuæ gratias habeo, pro omnibus singulisq; donis

& bo-

&bonis naturalibus, quæ in me immerentem, in tanta varietate, cum tot, tantaque liberalitate gratis profudisti, cumque ingratus illis, & me, in sinu tuo abuterer, me & illa fœdare non vererer, tamen misericorditer me cum illis sustinuisti & paternis manibus protexisti? O quoties & quoties ô miser homuncio! Vindicem Dei justitiam, ad te tuaque perdenda armabas, à qua te perdi & perire, Dominica Misericordia non permittebat.

Ad Nonam.

VOlo Nonam dicere ut supra. Et pro Die Dominico. Solatio eorum quæ animæ tribulationes internas & externas patiuntur.

Feria II. Diminutione peccatorum, præcipue sacrilegiorum, impuritatum, hæreticorum, malorum Politicorum.

III. Necessitatibus Cleri Universi præsertim hujus Archidiceœsis, potissimum hujus Archidiaconatus.

IV. Dono orationis & intimæ cum Deo familiaritatis, mihi & meis N.N.

V. Dono opportune ad indigentiam & cor audientium, cum fructu loquendi.

VI. Dono Jesu Christi passionem, Mariæque compassionem, animo & corpore intime sentiendi.

VII. Dono concionandi & conversandi.

Assumptio Affectus Thronorum Cherubinorum & Seraphinorum.

SUperamandissima Trinitas Domine Deus meus, laudo & superexalto Te per Nonam, & omnes actiones passionesque meas, ac omnium, tota contentione

&omni intentione, puri igniti extatici amoris illius, quo felicissimi Tuæ Majestatis Cubicularii, & Beatissimæ Tuæ Divinitatis Secretarii, Supremæ Hierarchiæ Spiritus, per te inflammantur, à te absorbentur, in te transformantur, & tibi ipsi per te ipsum sine medio, feliciter uniuntur.

Mysteria.

I. A Pentecoste ad Adventum. Passio Domini nostri Jesu Christi, mors, sepultura.

II. Ab Adventu ad Navitatem. Vita, pretium, vota dulcissimæ Virginis, Christum in visceribus gestantis.

III. A Nativitate ad Purificationem. Cædes infantium, Fuga in Ægyptum.

IV. A Purificatione ad Pascha. Christus inter latrones orans, septem verba pronuntians.

V. A Pascha ad Dominicam in Albis. Christi apparitio ad mare Tyberiadis.

VI. A Dominica in Albis ad Trinitatem. Missio Spiritus Sancti in Discipulos.

VII. In Festis B.V. & Sabbathis. Purificatio B.V. Mariæ, dolor ex Simeonis prædictione.

Gratiarum actio pro Beneficio Vocationis.

INcipit ut supra; Specialiter autem omnem gratiarum actionem piissimæ bonitati Tuæ exhibeo, quod mihi indignissimo, Te audire, Tuæq; voci obedire donasti, speciali privilegio in hujus sancti status Paradiso implantasti, quot tot illuminationum & tot inflammationum stimulis, me ad in eo proficiendum excitasti. Non fecit bonitas tua taliter omni orationi.

Ad Vesperas.

VOlo Vesperas dicere ut supra. Et pro Die Dominico Morientium, agonizantiumque efficaci, ac finali à Deo auxilio.

Feria II. Positis inter propinquas peccati mortalis occasiones, ac pro Moribundis.

Feria III. Bene-factoribus ac male-factoribus Cleri, aut Religionis (si Religiosus) præsertim à meis, tam vivis, quam defunctis.

IV. Obtinenda Humilitate interna, Patientia illæsa, Charitate incessabili, valetudine commoda, ad labores apta, mihi & meis N.N.

V. Habendis, cognoscendis, arripiendis occasionibus, merendi de Dei gloria & animarum salute.

VI. Dono libertatis & industriæ, ad Dei gloriam promovendam, utq; me utatur Deus, ad confundendum me, ad exaltandum se.

VII. Expiando ac supplendis defectibus, tota hebdomoda commissis.

Assumptio affectus omnium Sanctorum Comprehensorum.

SUperpientissima Trinitas Domine Deus meus, laudo, amplector Te per Vesperas, & omnes actiones passionesque meas, & omnium, illa puritate & ubertate affectionis, & deliciosæ fruitionis, qua omnes electi, & Tuæ Sanctissimæ voluntati ab æterno dilecti, jamq; ab omni extranea imaginatione & recordatione in Te unum collecti, omnes Sancti Tui, Te infelicitatis Patria amplectuntur, venerantur, amant, prædicant, & in sempiternas prædicabunt æternitates.

Myſteria.

I. A Pentecoſte ad Adventum. Reſurrectio Chriſti, Aſcenſio, & S. Spiritus miſſio.
II. Ab Adventu ad Nativitatem. Vota Patrum in limbo, pro Chriſti Nativitate acceleranda.
III. A Nativitate ad Purificationem. In Ægypto manſio, & ex ea reditus.
IV. A Purificatione ad Paſcha. Chriſtus in latere vulneratus, de cruce depoſitus, unctus.
V. A Paſcha ad Dominicam in Albis. Chriſti apparitio in monte Thabor.
VI. A Dominica in Albis ad Trinitatem. Chriſti conſeſſus ad dexteram Patris.
VII. In feſtis B.V. & Sabbathis. Mors, & Aſſumptio B.V.

Gratiarum Actio pro peccatorum Toleratione & ad Pœnitentiam Vocatione.

INcipit ut ſupra. Specialiter autem per Veſperas, tota ſua contentione, miſerrima hæc vilitas mea, pientiſſimæ bonitati Tuæ, gratias agit agetque in æternum, pro Tua illa infinita patientia, & illa mihi peccatori undique indebita tolerantia, gratiaque; quod cum abjiciebam Te, Tu tamen non projiciebas me. Cum ſtultus fugiebam à Te, Tu ſequebaris ac tenebas me, cum contemnebã & averſabar Te, Tu æſtimabas & convertebas me. Cum prodebam me inimicis Tuo & meo, Tu quærebas me & de unguibus Leonis rapiebas unicam meã. O quoties mortalia illa vulnera mea clementiſſime alligaſti, quoties in fœdiſſima ulcera mea Sacratiſſimum Sanguinem Tuum deſtillaſti, ne inveteraſcerem & computreſcerem in iniquitatibus meis, ut jumentum in ſtercore

re suo computrescere solet, & pro his omnibus, solum à me, ingratitudinis amplioris & in peccando licentiæ projectioris fructum reportasti.

Ad Completorium.

VOlo Completorium dicere &c. ut supra. Et pro Die Dominico. Animabus in purgatorio, & pro augmento pietatis ac misericordiæ super illas inter homines.

Feria II. His rebus, pro quibus orare deberem aut vellem, & vel negligo vel nescio.

III. Animabus Clericorum, vel Religiosorum, (si Religiosus es) qui ultimo obierunt, vel pro quibus nulla suffragia fiunt.

IV. Obtinendo perfectione Charitatis, donoque perseverantiæ mihi & meis N.N.

V. Defectibus commissis in administratione Sacramentorum, Pœnitentiæ & Eucharistiæ, in Missa, in consulendo, in concionando, & conversando.

VI. Concordia & pace domus in qua vivo, præsertim mea cum omnibus.

VII. Gratia horas Canonicas semper cum fructu & sine defectu recitandi.

Assumptio Affectus omnium Sanctorum Viatorum.

SUperbeneficientissima Trinitas Domine Deus meus, laudo & honorifico Te per Completorium, & omnes actiones passionesque meas, ac omniũ omni affectu, omnium Sanctorum (qui fuerunt, sunt & erunt) viatorum, eorumq; potissimum, quorũ Tu Domine nudam

dam essentiam & fundum animæ plene possedisti, quorum vires & potentias, Tuo Divino cordi intraxisti, & ab omni creatura avulsisti, quos per dulcem Synthere-sin & supremam affectionem ita in te absorpsisti, ut ab omni propria operatione deficientes, tuam solam in actionem paterentur. Si horum mi Deus omnium affectum habere mererer, Te solum, eo Toto avidissime complecterer, Toto in te ardentissime raperer, Toto apud Te libentissime morarer, dum morerer.

Mysteria.

I. A Pentecoste ad Adventum. Christi adventus ad extremum Judicium particulare & generale.

II. Ab Adventu ad Nativitatem. Vota ipsius Christi Domini ad nascendum, & homini subveniendum.

III. A Nativitate ad Purificationem. Deliciæ Matris cum Christo infante.

IV. A Purificatione ad Pascha. Christi sepultura, & descensus ad inferos.

V. A Pascha ad Dominicam in Albis. Conversatio Christi cum SS. Patribus, ex limbo eductis.

VI. A Dominica in Albis ad Trinitatem. Mundi consummatio, Christi adventus, & Sanctorum regnum.

VII. In Festis B. V. & Sabbathis. Coronatio & glorificatio Beatissimæ Virginis.

Gratiarum Actio pro collata Sacerdotii dignitate.

INcipit ut supra'; Specialiter autem per Completorium, cum omni quam habere & cupere possum vili-

tatis meæ humiliatione & exinanitione, omni-possibiles Tuæ gratias bonitati ago, quod me despicabilem catellum, misericorditer, de pulvere & stercore erigere, tuis sacris Altaribus adstare, Tuam & Tuæ Sponsæ personam gestare, Tuum Sacratissimũ corpus, impuris toties manibus, contrectare, toties manducare, toties consecrare voluisti; quod clavos Regni cœlorum in has manus peccatrices tradidisti, quod me peccatorem tuarum gratiarum dispensatorem, Tuæ passionis meritorum distributorem constituisti, ô mira dignatio & miseratio Tuæ Deus meus bonitatis.

Observanda circa & præter prædicta.

1. PRædictis consuetudinibus non esse anxiè serviriliter seu scrupulosè utendum, sed magis ductum & instinctum Spiritus Sancti sequendum, cujus Divina unctio optima est devotio. 2. Posse quaudoq; aliquas prædictarum consuetudinum perstringi compendio, ut semel duntaxat ad plures Divini officii partes præmitti, præsertim si plures simul recitandæ erunt. 3. Posse ad singulos nocturnos vel psalmos, peculiarem adhiberi considerationem, si ea in nobis majorem excitet attentionem, ut V.G. in matutino singulis Psalmis singula honorare Dei attributa, puta Uno Omnipotentiam, altero omni-scientiam, aliis misericordiam, Providentiam, Justitiam, Necessitatem, Æternitatem, Immensitatem, Dignitatem, Bonitatem, Liberalitatem cum affectibus admirationis, Dilectionis, Gaudii, Gratulationis, Complacentiæ, Quietis, Fruitionis &c. Vel si matutinum sit trium Nocturnorum, in primo adoretur Pater perennis gloriæ. 1. Qui à nullo genitus vel procedens, se & omnia simul intelligens, unicum intus Verbum, verum mentis suæ filium

genuit,& ſemper generat. 2. Qui totam ſuam ſubſtantiam æterno Filio & totam cum eo eſſentiam, æterno Spiritui S. communicat. 3. Quem amant,amanter adorant & reverenter poſſident omnes beati. Supplicando 1. Ut eum firma fide & viva credamus, nobisque intime præſentem ſentiamus. 2. Ut eum ſupremo cultu latriæ in Spiritu & veritate veneremur & adoremus. 3. Ut eum ſecure poſſideamus,& ab eo in æternum poſſideamur. In ſecundo Nocturno; Laudetur ſplendor paternæ gloriæ, Deus Filius. 1. Qui à Patre ab æterno genitus, ipſum perfectiſſime repræſentat, eidem per omnia ſimilis, coæqualis, conſubſtantialis. 2. Qui æternum Patrem ignitiſſime amat, & cum eo, Spiritum Sanctum, amorem condilectum, coæternum, conſubſtantialem ſpirat. 3. Qui ad ejus contemplationem & laudem Electos elevat ac illuminat. Orando. 1. Ut in eo, & per eum, ac in eo gloriam æterni Patris clare contemplemur. 2. Ut ſimul cum eo Patrem laudemus & glorificemus. 3. Ut in claritatem Divinam nobis deficientes transformemur. In tertio Nocturno. Glorificetur deliciæ Patris & Filii Spiritus Sanctus. 1. Qui eſt ſubſtantialis amor & complacentia. Pater & Filius in ſe, & in eo ſibi invicem optime complacent. 2. Qui in Patre ſimiliter deliciatur, ſibique complacet. 3. Qui deliciis ſuperſuaviſſimæ Trinitatis Sanctos afficit, replet & inebriat. Poſtulando. 1. Ut per eum in Patris & Filii gloria delectemur. 2. Ut ejus deliciis ſic afficiamur, quo aliis oblectari renuamus. 3. Affectus qui ſupra, potiſſimum etiam Gratulationis dulciſſimæ Societatis, ſuaviſſimæq; ac indiſſolubili Sanctiſſimæ Trinitatis amicitiæ & propinquitati, per quam ſolitudinis triſtitiam neſciens, propter æternam emanationem & inſuperabilem unionem ac inexiſtentiam ineffabilem in ſe ipſa, ad intra habet jucunditatem, continuam voluptatem, omnem dele-

delectabilitatem, infinitam complacentiam, pleniſſimam opulentiam &c. Similiter in Laudibus ſinguli Pſalmi, in ſingula Jeſu Chriſti vulnera reverenter deponi poterunt Capitulum & Hymnus ad genua. Benedictus ad Caput. In Prima. Primus Pſalmus dici poteſt affectu dulciſſimæ Virginis, quem illa aliquando ante Filii Dei conceptum habuit. 2dus. Affectu ejusdem jam puerperæ, & ſuo pariter ac filiali reſpirantis ad Deumque aſpirantis habitu. 3tius. Affectu ejusdem Matris Dei, Reginæ cœli, poſt partum. Ad preces; Affectu ſanctiſſimæ Matris Advocatæ miſerorum in cœlo. In Tertia, Sexta, Nona. Singuli pſalmi ſingulorum affectu Angelicorum Chororum recitari poterunt ut ſupra. In Veſperis: 1mus Pſalmus, affectu ſanctorum Patriarcharum. 2dus. Prophetarum. 3. Apoſtolorum. 4. Martyrum. 5. Confeſſorum & Virginum. Reliqua affectu omnitudinis Marianæ. In Completorio ſicut & in Veſperis addito. Nunc dimittis. Affectu S. Simeonis. 4. Poſſet ad ſingulos pſalmos horæ repeti vel fieri Invocatio ejus Ordinis Sanctorum, cujus affectu hora recitatur; V. G. Adeſte Angeli ſancti, Veſtro affectu SS. Trinitatem laudate hoc pſalmo, hac hora &c. volo & deſidero. 5. Poſſet etiam (præſertim ab eo qui ſolus recitat) poſt dictos vel pſalmos integros, vel medios, vel aliquot verſus, excitandi cordis gratia, fieri cordialis & ignita repetitio aliquorum verborum, ad cor ignefaciendum; V. G. JESUS MARIA vel JESUS & MARIA amore dulciſſimi vel Deus meus & omnia, vel ô Amor qui ſemper ardes, accende me. Proderit hoc ad impediendas diſtractiones, præcipitationes, tepiditates 6. Qui recitat horas Canonicas, inter alia ſtudioſe caveat ne ſe unquam in tempus anguſtum recitatione conjiciat. Multa enim hinc incommoda. Debitum ergo opportunum & redundans tempus recitatio officii occupet. 7. Utiliter inſtitua-

tur ſupra prædictas conſuetudines earumq; uſurpationem aliquando examen ſpeciale, quo videamus, an eas ſervemus, qua applicatione, quo fructu, conſtantia, quid impediat, quid omittatur. Alia præclara ſupra eodem argumento vide tum alibi, tum in Epiſtola P. Claudii ſcripta hac de re.

§. V.

Alius modus devotè recitandi officium Divinum, partim ex eodem P. Gaſp. Druzbicki, partim ex aliis.

PRæmiſſa communi Oratione; Aperi Domine os meum &c. ut ab initio diurnalis poſitum, confer te ad SS. Trinitatem productioni Verbi, proceſſioni Spiritus Sancti, unio hanc ſacrorum verborum amore tui prolationem. O Sanctiſſima & Dulciſſima Trinitas.

Ad Chriſtum Dominum tuis ô Verbum in carne verbis, & Orationi, unio & conſecro ſingula verba.

Ad dulciſſimam Virginem tuis ô Sanctiſſima ad Deum, Jeſum, Angelos, homines, veſtriſque Sancti omnes verbis & orationibus, unio hæc precum verba.

O dulciſſima Trinitas! quot verba, literæ, apices, tot multiplicatis in infinitum vicibus, amo te Deum ſummum bonum ſupra omnia.

O dulciſſime Jeſu! intingo linguam meam, & os in tuo amantiſſime Jeſu ſanguine.

O dulciſſima Mater & Virgo in tuo lacte, ô ſancti Patroni mei Martyres & in veſtro ſanguine intingo linguam meam.

O Sancte hujus diei, de quo nunc officium abſolvere volo, Tuo ſancto affectu & ore dicenti, impetra amorem Dei ſupra omnia &c. Amorem Chriſti crucifixi &c.

xi &c. Amorem dulcissimæ Virginis, si officium non fuerit de Sancto, dirigantur petitiones ad SS. Trinitatem ad Christum Dominum, ad Beatissimam Virginem, V.G. Da mihi amorem tuum super omnia &c.

Ipsum Officium.

PAter noster. Dic cum viva memoria præsentis Dei, filiali fiducia, reverentia, resignatione, & zelo gloriæ Dei, petendo septem contenta in illo.

Ave Maria. Excitando desiderium laudandi Beatissimam & Dulcissimam Virginem, benedicendi Christum, dulcissimum fructum ventris ejus, & impetrandi per ejus Matrisq; merita, gratiam bene vivendi & moriendi.

Credo. Excitando fidem, spem, charitatem, desideriumq; participandi merita Christi.

Domine labia mea &c. Deus in adjutorium &c. Recitando cum affectu fiduciæ in Deum, per merita Christi, & diffidentiæ sui amoris, gratitudinis, zeli, glorificandi Deum.

Invitatorium. Omnes Choros Sanctorum, & tuas potentias omnes ad laudandum Deum invitando.

Ad Matutinum.

ORatio Mysterii Domine Jesu, in unione illius Orationis, quam in horto angustiatus Patri obtulisti, & tormentorum omnium, quæ Passionis Tuæ nocte pertulisti, offero Tibi hoc matutinæ laudis obsequium, ut illud acceptare digneris, in compesationem tot blasphemiarum. *A cap.* Psalmi recitandi eo affectu quem verba præseferunt, & quidem vel uno aliquo præ-

cipuo

cipuo; V.G. Contritionis, Pſ.50. vel Laudis, Pſ. 145.143. vel gratiarum actionis, ut Pſ. 102. 104. 105. 106. vel affectu Divini beneplaciti perfecte adimplendi, in exacta obſervatione divinorum præceptorum, conſiliorum, inſpirationum, ut Pſ.118. & alios nonnullos Pſalmos, qui unum tantum præcipue affectum continent, vel diverſis affectibus, cæteros qui miram affectuum varietatem ſuppeditant decurrendo. Videlicet juxta S. Auguſt. in Pſ. 30. *Timendo cum timet Propheta, amando cum amat, laudando cum laudat, plorando cum plorat, poſtulando cum poſtulat, humiliando cum ipſe ſe vilem agnoſcit, gratias agendo pro beneficiis, nobis ſpiritualiter collatis, quæ Iſraelitis corporaliter collata refert.* Similiter Antiphona, Verſus, Lectiones, Hymni, Orationes recitandæ cum affectibus, deſideriis & ſuſpiriis congruentibus. Nota in *Te Deum laudamus* flectere genua ad illa verba. Tu ad liberandum &c. Revelavit enim B.V.S. Lutgardi Virgini, gratiſſimum eſſe Filio ſuo obſequium, inclinationem profundam in memoriam beneficii Incarnationis. Surius in ejus vita 16. Junii. In fine cum memoria brevitatis vitæ, & deſiderio beatæ mortis orandum pro Defunctis, ferventer prout pro te orari optares, dum fidelium animæ &c. dicendo ſingulas horas concludis.

Ad Laudes.

ORatio Myſterii. Domine Deus in memoriam omnium laborum, viarum, lachrymarum, orationum, miraculorum & perſecutionum tuarum, quas à Nativitate per 30. annos totius prædicationis pertuliſti, & Patri obtuliſti, hoc cordis noſtri obſequium ſuſcipere digneris, & Patri æterno, munus in amore amo-

ris

ris ac laudum tuarum, cum gestu, suavitate, ac dulcedine maxima offerrè, ad majorem laudem & gloriam ipsius.

Psalmi.

DOminus regnavit Affectu gratulantis Deo regalem gloriam, eamque ostendentis creaturis digne Deo.

Jubilate. Affectu cupientis Deum laudari ab omni creatura, invitantis ad id ad saginandum gustum Dei.

Deus Deus meus. Affectu vigilantis & sitientis ad Deum.

Deus misereatur. Affectu poscentis benedictionem à Deo, ut exaltetur Deus, & cupientis, ut omnes Gentiles & Hæretici convertantur, vel maxime in illis versibus; Confiteantur tibi populi, Deus confiteantur &c. Toto mè [id est] omnibus membris, sensibus, potentiis &c. meis. Ad saginandum gustum Dei.

Benedicite. Affectu omnis creaturæ, digne Deo, vel affectu humiliantis se, quod non sit dignus laudare Deum, cum sit peccator, & in ore peccatoris non est speciosa laus, ideo irrationales invitat creaturas quæ non peccarunt, ut pro se Deum benedicant & laudent.

Laudate. Affectu eodem.

Cantate. Affectu omnium Electorum.

Laudate. Affectu omnis spiritus.

Hymnus. Affectu omnis Ecclesiæ militantis digne Deo.

Benedictus. Affectu exultantis, pro impletis Deo promissis omnibus de Christo, Toto me Toto Te ô Deus meus.

Ad

Ad Primam.

ORatio Mysterii: Domine Jesu, in memoriam sputorum, alaparum, conviciorum, illusionum, quas initio diei pro nobis pertulisti, & Patri obtulisti, hoc oris & cordis nostri obsequium suscipere digneris, ut Patri æterno gratum sit, in unione tui amoris.

Psalmi.

DEus in nomine Tuo. Affectu petentis eripi de medio hostium & se Deo in sacrificium offerentis.

Confitemini. Affectu agentis gratias Deo pro beneficiis antiquis, nova autem petentis.

Beati immaculati. Affectu petentis doceri legem Dei.

Retribue. Affectu petentis provectum & executionem legis Divinæ.

Quicunque. Affectu protestantis fidem Catholicam.

Feria II. Domini est terra. Affectu confitentis Deum, omnium auctorem, petentis viam ad ipsum, aperientis ei gloriæ justitiæque domicilium.

III. Ad te levavi. Affectu levantis animam ad Deum, pro misericordia, & liberatione ab inimicis & tribulationibus.

IV. Judica me. Affectu candidè cor suum aperientis, nec abnuentis ab eo judicari & probari.

V. Dominus regit me. Affectu securè quiescentis in cura Dei.

VI. Deus Deus meus. Affectu Christi & Christiani in doloribus positi, eosque Patri offerentis, pro mundo ejus applicari postulantis, exaltetur Deus salutis meæ.

Ad Tertiam.

ORatio Mysterii. Domine JESU, in memoriam acerbissimæ flagellationis & ignominiosissimæ coronæ tuæ, te modo orare, te adorare cupio, & hoc sit obsequium servitutis meæ, quo te Regem æternum profiteor & agnosco.

Psalmi.

LEgem Pone. Affectu ejus qui satur errorum in vita, ad Legem deinceps vult vivere. Ad saginandum gustum Dei.

Memor esto. Affectu deligentis sibi Legem Dei in portionem præ omnibus bonis digne Deo.

Bonitatem. Affectu humiliati à veritate, voluntate, bonitate Dei, subdentisq; se tandem Deo plenè toto me.

Ad Sextam.

ORatio Mysterii. Domine Jesu, in memoriam Crucis acerbæ quam bajulasti, in qua erectus, & te Patri hostiam obtulisti, hoc laudis sacrificium à nobis digneris suscipere, & Patri offerre, ut sit acceptum in oblationis Tuæ unione.

Psalmi.

DEfecit in Salutare. Affectu languentis amore Divino & cupientis adesse amato Toto me.

Quomodo dilexi. Affectu agnoscentis & adscribentis beneficia accepta Deo Toto me Toti Tibi.

Iniquos odio habui. Affectu gratitudinem præstantes Deo, per detestationem peccatorum, pro beneficiis acceptis, & invocantis ad hoc auxilium Divinum.

Ad Nonam.

ORatio Mysterii. Domine Jesu, in memoriam cordis Tui, tribus horis in cruce angustiati, & post expi-

pirationem lanceâ aperti, offero Tibi hoc precis & amoris obsequium, ut cor nostrum jungere digneris Tuo cordi amore insatiabili.

Vel.

O Domine Jesu Salvator misericordissime, qui in cruce moriens animam tuam Patri commendasti, da nobis in hac vita sic tibi spiritualiter commori, ut in novissima hora possimus cum memoria integra, fide pura, spe firma & charitate perfecta, Tibi spiritus nostros in manus tuas, & quidem sic commendare, ut abs te nobis dici mereamur dulcissimum verbum. Hodie mecum eris in Paradiso.

Psalmi.

MIrabilia testimonia tua. Affectu agnoscentis justitiam Dei supra se, & rogantis intellectum, ut caute ambulet, ne offendat Justitiam & vivat.

Clamavi in toto. Affectu aspirantis ad Patriam, & tædio affecti in exilio.

Principes. Affectu detestantis aulicismos, & rogantis auxilium cum proposito laudis Divinæ.

Ad Vesperas.

ORatio Mysterii. Domine Jesu in memoriam capitis tui lanpuidi & corporis tui plagis undiq; afflicti, è cruce in sinu Matris depositi, hoc officium orationis suscipe, ut tibi acceptum sit in unione dolorum Matris tuæ.

Psalmi.

DIxit Dominus. Affectu elevantis & glorificantis Christum Dominum supra hostes suos.

Confitebor. Affectu agnoscentis beneficia Dei ex affectu amoris cordis totius.

Beatus vir. Affectu invitantis ad timorem Dei pec-

catô-

catores [hic Psalmus plane quadrat Concionatoribus admonentibus peccatores & abstrahentibus à peccato.]

Laudate pueri. Affectu exultantis ex conversione peccatorum, qui plane pauperes in stercore, elevati ad amplexum Dei.

In exitu. Affectu plangentis adhuc in hoc exilio ubi plurimæ illecebræ & quasi idola.

Ad Completorium.

ORatio Mysterii. Domine Jesu in memoriam unctionis & sacræ sepulturæ, accipe hoc officium servitutis & devotionis nostræ diurnæ, & ut tibi gratum sit, conjungo cum lachrymis quas tibi tunc obtulerunt piæ animæ.

Psalmi.

COnfiteor. Affectu confitentis peccata & ingratitudinem suam.

Cum invocarem. Affectu habentis fiduciam in Deum.

In te Domine. Eodem affectu.

Qui habitat. Affectu subjicientis se sub alas protectionis Divinæ.

Ecce nunc. Affectu gratias agentis pro beneficiis hujus diei, imo & totius vitæ.

Hymnus Cap. Resp. Affectu minorennis recurrentis ad Tutorem.

Nunc dimittis. Affectu feliciter morientis.

Post Officium.

ODulcissima Trinitas accipe per manus & vulnera Jesu has preces.

O Dulcissime Jesu Deus meus accipe per manus Sanctissimæ Tuæ Matris.

O Dulcissima Domina mea accipe per manus Sancti N. vel si non de Sancto officium, per manus S. Angeli cu-

li custodis, vel sanctorum Patronorum meorum, repetendæ petitiones ante officium factæ. Possunt autem eæ mutari pro diversitate status & gradus sancti, de quo officium, sic: Proportionate ad Apostolos petendus Apostolicus Spiritus.

Ad Martyres petes desiderium Martyrii, Amorem Crucis, fortitudinem & magnanimitatem in adversis &c. Ad Confessores. Per sublimem sanctitatem &c. Ad Virgines. Pete puritatem mentis & corporis.

O dulcissima Trinitas. Suppleo defectus meritis & sanguine Jesu.

O dulcissime Jesu. Suppleo meritis S. Matris Tuæ.

O dulcissima Mater. Suppleo meritis S. N. vel S. Angeli custodis vel sanctorum Patronorum meorum.

Brevius.

PIe Jesu suscipe, & supple hoc imperfectum orationis meæ obsequium & unitum tuis, beatissimæ Virginis Matris Tuæ, & omnium Sanctorum meritis, offer æterno Patri ad prædictas intentiones. Pater respice in faciem Christi Filii Tui, & miserere nobis sicut scis & vis & potes, per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Vel sic.

CUm sancta Gertrude, edocta à Christo Domino teste Blosio Mun. Spual. cap. 3. Bone Jesu propitius esto mihi peccatori. Ego tepidum & distractum ac imperfectum servitium meum commendo mellifluo cordi tuo emendandum & perficiendum. Tibique offerre pro salute omnium, in unione illius perfectissimæ attentionis, qua Patrem orasti

& lau-

laudasti in terris. Responde quæso, satisfac, & supple pro me plenissime.

Deinde, priusquam è loco orationis abscedas, optime facturus es si primum aspectu, pietatem & amorem præ se ferente, Christum dilectum Tuum respicias, quasi ab eo facultatem ad corporalia servitia & Ministeria transeundi suscepturus: Aut certè, si tibi imagineris, sed breviter, & quasi in transitu, cernere à dextris tuis Christum Salvatorem, à sinistris Sanctissimam ejus Matrem, te vero indignissimum & flagitiosissimum in medio, tam eximiæ Matris, & tam singularis Filii consistere, atque hæc in verba prorumpere; Te adoro ô divinissime Fili cultu latriæ, teque obsecro ut è vulnere sacri lateris Tui scaturire facias, vel saltem unicam pretiosi sanguinis guttulam, quâ anima mea purificetur, & sanctificetur abundantissime, priusquam hinc abscedam. Te autem ô beatissima Mater, cultu hyperduliæ venerans obtestor, ut famelicam & sitibundam animam meam, lacte cœlestis gratiæ Tuæ singularis pascas atque reficias.

§. VI.

Modus dicendi Psalmos pœnitentiales.

SEptem Psalmi pœnitenitales ad honorem septem Christi Domini insignium vulnerum applicari possunt: 1mus Psal: Ad honorem capitis spinis acutissimis crudeliter lacerati applicetur, quæ ad arundines, pugnorumque indignissimos ictus, suum quoque novo ingenio supplicium addiderunt, ut venia peccatorum cogitatione admissorum impetrari possit. 2dus Ad honorem vulnerum innocentissimo Christi dorso inflictorum applicetur, quæ in flagellatione ignomi-

 niosa,

niosa, reliquisque injuriosissimis verberationibus, patientissimè sustinuit, ut omnium peccatorum verbo admissorum venia obtineri possit. 3tius Ad honorem vulneris in dextera manu patefacti applicetur, ut omnium peccatorum opere admissorum venia obtineri possit. 4tus Ad honorem vulneris in sinistra aperti applicetur, ut omnium peccatorum omissione admissorum venia obtineri possit. 5tus Ad honorem vulneris in dextero pede accepti applicetur, ut omnium peccatorum affectibus incitatis admissorum venia obtineri possit. 6tus Ad honorem vulneris in sinistro pede facti applicetur, ut omnium peccatorum scandalo maloque exemplo admissorum venia obtineri possit. 7timus Ad honorem vulneris in latere late patento, relati applicetur, ut omnium peccatorum animæ corporisque dissolutis potentiis admissorum venia obtineri possit. Non insipide etiam iidem Psalmi in recogitatione 7. dolorum Beatissimæ V. aut 7. donorum Spiritus Sancti recitari poterunt ut eædem Dei gratiæ obtineantur.

§. VII.

Modus dicendi Officium Defunctorum.

PRimum Nocturnum in memoriam Christi gravissimè cum timore in horto confligentis, & devotissime Deum Patrem deprecantis recitetur, ut animabus in purgatorio detentis, pœnæ temporalis remissio, quam pro peccatis cogitatione admissis perpeti coguntur obtineri possit. Secundum Nocturnum in memoriam Christi columnæ publicæ alligati, & condensatis verberibus afflicti recitetur, ut animabus in purgatorio detentis, remissio pœnæ, quam pro peccatis verbo admissis ferre coguntur obtineri possit. Tertium Nocturnum

num in memoriam Christi spinea coronatione immaniter cruciati recitetur, ut animabus iisdem remissio pœnæ, quam pro peccatis opere perpetratis exsolvere coguntur obtineri possit. Laudes in memoriam Christi crucis patibulo ignominiose affixi recitentur, ut iisdem animabus remissio pœnæ quam pro peccatis omissione perfectis luere coguntur obtineri possit.

CAPUT V.

Confessio facienda.

§. I.

Dispositio ad Confessionem.

IMaginare te stare coram Majestate sanctissimæ Trinitatis, & quasi audires vocem similem illi Apostoli: Judica te & ego te non judicabo: Itaque expansis manibus in solitudine dic; ô Domine ecce paratum cor meum Deus, paratum cor meum, peccavi coram te, & tibi soli peccavi, ac malum coram te feci. Ecce paratus sum resipiscere, dummodo sciam quæ desint mihi, delicta quis intelligit? Dignare itaque modò mihi suggerere, quocunque contra Te Deum meum egi. Ausculta itaque, quæcunque tibi Spiritus Sanctus dirigens te suggesserit. Si vis examen incipere & facere per 10. Præcepta, habes decem digitos, quilibet digitus habet tres Articulos, ubi potes ponere cogitationes, verba & opera, & in quolibet digito tuos potes notare Defectus. Si per 5. Præcepta Ecclesiæ, habes in una manu 5. digitos similiter examina te, defectusque annota.

Postquam reperceris deflenda, reflecte te, & perpende quàm turpia sint, quam inconvenientia statui tuo,

 qui

qui debes esse velut sol sine macula, minus enim est tantũ peccatum scire, si non adverteris ad turpitudinem ejus, vel ex amore Dei, vel ex turpitudine in situ unicuiq; peccato, minimè propositum factum in examine & confessione servabis. Reflecte igitur te & actum contritionis elice ex his motivis. 1. Deus summum bonum tuum, à quo omnia habes, & sine ipso nihil, & pro omni bono tibi præstito, nihil nisi sordes & peccata retribuisti. 2. Quid tibi profuit peccare contra divinam Majestatem? 3. Quis tu es? Vermis unus, ulcus unum, & ausus es contra divinam Majestatem insurgere, illam ad iram, & vindictam provocare. Dic corde contrito. Peccavi Pater dulcissime Domine Deus meus contra te. En paratum cor meũ ad resipiendum, ad te, toto me, amandum. Infelix hora, infelix momentum, quo pluris æstimavi sordes, peccata, quã te summum bonum meum, quam gratiam tuã. Ah! Utinam nunquam te offendissem! Pudet me ingratitudinis & stultitiæ meæ quæ maxima est. Cum tamen major sit misericordia tua quam iniquitas mea, potentiaq; tua infinita sit, quæ de im̃undis potest facere mundos, de peccatoribus justos & sanctos. Et qui non vis mortem peccatoris, fretus hac bonitate tua, recurro ad te rebellis servus tuus, provolvo me ad pedes tuos misericordissimos. Spero non rejicies me revertentem qui quæsivisti me errantem. Voluntas tua ut peccator convertatur & vivat, ideo tot ei reliquisti media. En paratus sum illa arripere, Confitebor tibi Domine in toto corde meo iniquitates meas contra me, en confusionem mei, in detestationem turpitudinis meæ, ad maximam tuam gloriam, misericordiamque prædicandam.

Abiit jam dulcissime amor mi Jesu Deus meus, ut te aliquando offendam, & me à te, per turpitudines & peccata separem. Tibi jam in perpetuum adhærere volo, quia bonum mihi adhærere tibi Deo meo. Vide infra cultum Patronorum.

§. II.

§. II.

Ipsa Confessio.

MOdus confitendi jam olim à me traditus in opusculo edito Anno 1667. ſub titulo Bona dies & bona nox. Cum autem non omnibus ſit ad manus, hic eundem appono & augeo. Cum itaque pergis ad Confeſſionem, utere verbis dilectæ ſponſæ, affectu amoroſo dic: Ibo & quæram quem diligit anima mea. Quæram quem perdidi per ingratitudinem, per ſcelera & peccata mea, quæram donec inveniam. Introduc illũ in cor meũ, & non dimittam, donec bene dixerit mihi in æternum.

Dum ingrederis templum, profundè coram Venerabili te proſterne, dicendo quinquies: Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum. Adde: Ah! mi Jeſu video te extendere manus tuas divinas, ut me ingratum fugitivum, non filium, ſed rebellem ſervum recipias. Cum ſim turpitudo una tu me amplecti cupis! Unde mihi hæc gratia? Niſi ex ſpeciali profundiſſimo ineffabili amore tuo. Audeamne ruere in amplexus tuos? Qui me projeci per peccata mea infra pedes Luciferi? Ah! non faciã. Indignus enim ſum. Sufficit mihi jacere ad pedes tuos ut caniculus & lambere pedes tuos pro me fatigatos & affixos, ad hos omnes turpitudines meas, peccata mea, emovere volo, ut tu ea conculces ne uſquã compareant in cõſpectu tuo.

O Virgo dulciſſima dignare offerre merita tua, merita dilectiſſimi Filii Tui, & omnium Sanctorũ dulciſſimo Filio Tuo, ut offerat amantiſſimo Patri ſuo, pro me peccatore, ut poſſim digne, & accurate abſolvere hanc confeſſionẽ. O Jeſu dulciſſime dignare offerre merita tua, merita ſanctiſſimæ Matris Tuæ, & omnium Sanctorũ, dilectiſſimo Patri tuo, ut concedat mihi gratiã, ſibi placentẽ facere confeſſionẽ. O Pater amantiſſime, Deus dilectiſſime, ſuſcipe merita dilectiſſimi Filii Tui, ſanctiſſimæq; Matris ejus, pro me miſerrimo peccatore, & concede mihi gratiã, ut ſincere, cũ vera contritione & propoſito inte-

integro hanc confeſſionem abſolvam , ad maximam tuam gloriam , ad lætitiam Angelorum,& ſalutem miſeræ animæ meæ. Accede itaque ad Confeſſarium tanquam ad Judicem,quem Deus conſtituit, ut te judicet ſecundum miſericordiem ſuam magnam. Cum maxima humilitate , accede tanquam ad balneum ex ſanguine dilectiſſimi & unici Filii Dei præparatum, ad abluendas ſordes animæ tuæ. Accepta benedictione à Sacerdote , & dicta confeſſione generali, proferas peccata tua,clarè, diſtinctè, cum dolore , ſincere. Dum confeſſarius ſupra te profert formam abſolutionis imaginare tibi Jeſum tuum, lavantem te ſanguine ſuo ſacratiſſimo de latere ſuo ſumpto , inclina caput cum ſumma contritione , & propoſito firmo amplius non peccandi. Poſt Confeſſionem reflecte te ſupra te , qualis fueris ante Confeſſionem, turpitudo una, mancipium Diaboli , ſordes coram Deo,& Sanctis,& Angelis, quam nunc prope ſis Deo Tuo,ut dicaris ſponſa ejus. Agnoſce nunc dignitatem tuam,erige te, & amplius noli te ſubjcere turpiſſimis cupiditatibus. Agnoſce miſericordiam Dei , qui te in tam periculoſo ſtatu exiſtem recepit in gratiam. Quot in peccatis ſuis ſunt mortui,& ad infernum vel ad graviſſima tormenta purgatorii perrexerunt ? Et fortè meliores te , quibus miſericordia tanta non eſt conceſſa ſicut tibi, agnoſce hanc gratiam & ſecundum illam meliorem inſtituas vitam.

CAPUT VI.

Exceptio Confeſſionum.

ANtequam accedas ad excipiendas confeſſiones, recollige te , cujus vices geras, quanta poteſtas tibi

tibi sit tradita, ut etiam maximis peccatoribus, dignis æterna damnatione, non semel, sed millies portas cœli aperire possis. Cave interim, ne dum cœlum aliis aperis, tibi infernum reseres. Mundo itaque, humili, zelosto accede corde, non te ducat curiositas, acceptio personarum non sit ulla, idem tibi sint tam formosus quam deformis, pauper quam dives &c. Animam cogita Sanguine Christi Redemptam liberare à laqueis infernalibus, & illam repræsentare Deo mundam & sine macula atque ruga. Cum autem hoc ultra vires tuas proprias sit, invoca Virginem & Filium ejus Redemptorem animarum; ut tibi communicet Redemptionis activæ gratias, sanctissimam Redemptoris Matrem, sanctos Sacerdotes, viros Apostolicos Redemptoris D. cooperatores, ut tibi impetrent easdem.

§ I.

Invocatio Auxilii.

O Dulcissima Virgo dignare offerre merita tua, merita dilectissimi Filii Tui, & sanctorum omnium dulcissimo Filio Tuo, ut offerat amantissimo Patri suo pro me & pro pœnitentibus meis, ut ego illos possim quam optimè dirigere & juvare. Et ut illi sincerè ac integrè cum vera contritione & proposito amplius non peccandi confiteantur. Sic & Filium Dei roga, ut in hunc finem offerat merita sua, merita sanctissimæ Matris, merita Sanctorum, sanctissimæ Trinitati. *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui & Spiritu principali confirma me.* Docebo *iniquas vias tuas, & impii ad te convertentur.* Oremus Omnipotens & misericors Deus,

qui me indignum sacerdotalis officii Ministrum fecisti atque ad orandum & interpellandum ad Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum pro peccatoribus & ad pœnitentiam revertentibus mediatorem constituisti, concede mihi propitius beata Maria semper Virgine intercedente, cum B.B. Angelis custodibus nostris & omnibus sanctis, tuæ Divinæ charitatis affectum, ut quæ mei sunt muneris, dignè valeam implere, ac famulis famulabusque tuis ad pœnitentiam revertentibus spiritum veræ compunctionis largiri digneris, ut resipiscant à Diaboli laqueis, quibus adstricti tenentur, & ad te, per dignam satisfactionem & emendationem revertantur. Per eundem Dominum nostrum. &c. *Vel* dignare Domine, per me indignum, has animas, quas sic redemisti, purgare, illuminare, perficere, ut tibi perfectissimè per omnia placere mereantur. *Vel* utinam mecum servi tui & omnes peccatores sincerè ad te convertantur! Et millecuplo amplius te ament & glorificent, quam ante oderint & dishonorarint. *Vel* Domine Jesu sitientissime zelator animarum qui appropinquabas peccatoribus, & manducabas cum illis. En peccatores in conscientia sua timidi, ad Te recurrunt. Excipe illos benigne & salva. En pretium sanguinis Tui, en pretium sponsæ Tuæ ab hoste vulneratæ. Doce me, ut prudenter & humaniter eos ad Te adducam. Mi Jesu da verbis meis lucem & flammam, ut penetrent ad divisionem animæ. Da donum discretionis inter bonum & malum, donum consilii atq; mansuetudinis. Da pœnitentibus filialem simplicemq; ad me confidentiam, ut mihi causas suas effundant, nihilq; peccatorē celent. Suggere industrias unumquēq; secundū necessitatē ejus congruè dirigendi, & unicuiq; largire gratiā parendi. Me quoq; ab omni puritatis, tranquillitatis damno, omniq; negligentia in officio meo, præserva. Hæc à Te Salvator dilectissime per omnia quæcunq; in causa peccatorū fecisti obnixè precor.

cor. Virgo beatissima refugium peccatorum, ora pro me & pœnitentibus meis. O sancte Apostolatus precare Dominum Jesum, ne gratia administrandi pœnitentiæ Sacramentum, quæ in te viguit culpa mea extinguatur, sed tanto magis augentur, quanto malignior est mundus. Detestor dilectissime Redemptor omnia peccata mea ex amore Tui, & doleo pro illis, quæ me impediunt, ne id munus cum tanta, quanta dignus es perfectione obeam. Doleo & pro peccatis pœnitentium meorum, ô quis mihi det ita illos promovere & instruere, ut non tantum finem hujus Sacramenti consequantur, verũ etiam peccare pœnitus desistant, & Sanctam incant vitã!

Vel etiam sic ex R.P. Mlodzianowki. Gratias tibi ago Domine, anticipato, pro gratiis & benedictionibus tuis, quas mihi dignaberis dare in audiendis confessionibus & pro iis quas hactenus liberaliter dedisti, & pro miranda ordinatione tua, qua diriges & hactenus direxisti varios ad me pœnitentes. Sed una etiam tibi gratias ago, pro beneficiis, & gratiis quas impendisti pœnitentibus meis. Emendico à tua benignissima sanctitate, ut ad me quam maximos dirigere digneris peccatores, ut ita pro magnis meis peccatis, magnis conversis peccatoribus, tibi exsolvam. Et si quid proximis meis sacerdotibus tuis invidere deberẽ, conversionem magnorum peccatorum inviderem. Sed convertant illos alii quam felicissime, quam sanctissime, nam me, & ineptum & indignum instrumentũ esse, sincere tibi confiteor. Da Domine hodie confessuris gratiã sinceræ & dolorosæ confessionis. Oro vos sancti Patroni quorũ nomina ferunt hodierni pœnitentes mei, oro & vos sancti illorum Angeli custodes, ut impetretis gratiam, illis sancte faciendæ, mihi sanctæ audiendæ concessionis illorum. Assistite mihi sancti in cœlo jam triumphantes, qui vos audiendis in hac vita confessionibus singularius impendistis, talentumq; vestrum mihi amore Dei impetrate. Eligo te S.N.N. pro speciali Patrono, hodie à me audiendarum confessionum. Laboriosum tædium audiendarum confessionem, offero Domine tuo sancto affectui, quem habes ad conversionem peccatorum. Tuóque ô beatissima Virgo; offero autem pro peccatis pœnitentium

hodier-

hodiernorum, & ut impetrem mihi gratiam, digne & competenter, in conspectu Tuo excipiendi confessiones. Intingo linguam meam in vulneribus Tuis Domine, ut Deo mihi gratiam penetrative loquendi ad cor pœnitentium. Inmitte & Tu Beatissima stillam lactis Virginei in os meum, ut efficaciter commendare possim fugam carnalium peccatorum.

Conjuro vos per nomen SS. Trinitatis. Per nomen JESU & MARIÆ, omnes maligni Spiritus, ne præpedieritis cursum confessionum sanctè obeundarum. Hinc Domine, quoties signum crucis ante & post confessionem, supra pœnitentes meos faciam, toties malignos Spiritus abactos vellem & fugatos.

§ II.
Ipsa Auditio.

IN ipso confessionis decursu ut prudenter instruere, juvare & in via salutis ac perfectionis promovere pœnitentes singulos, prout capaces sunt, sollicite studeas, hæc potissimum sunt observanda. I. Quærendum initio ex pœnitente nisi ante noris hæc quatuor. Quando ultimò confessus, an peregerit pœnitentiam impositam, an se examinarit & præpararit, quis ejus status & vivendi ratio. Permittas illum dicere quantumvis imperfectè, quæ ipsi occurrunt, deinde suppleas defectum interrogationibus, primum in genere, quærendo communia talibus personis, ac deinde sensim & cautè ad particularia descende, & quidem accuratè coneris, in peccatis omnibus gravioribus & periculosis extorquere tria, omninò necessaria, speciem, numerum, circumstantias speciem mutantes. Nec ea omitta urgere in junioribus simplicibus ac piis, quando in genere, confitentur, ea quæ gravia vel levia peccata esse possunt V.G.

quod

quod habuerint malas cogitationes, quod furati sint, quòd detraxerint; Imò consultissimum est, omnes pœnitentes, à pueritia assuefacere, ut in peccatis etiam Venialibus, maximè gravioribus, magisque deliberatis, hæc tria non omittant confiteri, alias sensim etiam mortalia graviora, imò gravissima, assuescunt confiteri in genere non in specie, absque numero, & circumstantiis essentialiter necessariis, idque cum certo damnationis periculo, quorum omnium malorum caussa est, nimia laxitas, simplicitas, & incuria confessarii, omnium peccatorum, juniorum, & simplicium hominum peccata excusantis, & venialia reputantis. 3. Si quis peccata malitiosè reticeret, inducendus ad officium erit, rationibus efficacibus, quales sunt; quod Deus omnia peccata nostra videat, quod non sit aliud remedium ea expiandi, quod nisi omnia manifestentur, nullius venia possit obtineri, quod in die Judicii, omnia sint toti mundo propulanda, quod peccatum occultum sit perpetuus carnifex conscientiæ, in hac & futura vita, quod magna præmia vincentibus pudorem inordinatum sint promissa, ut quies animæ, gloria æterna, Exemplis item ob reticentiam unius peccati damnatorum de quibus latius Ludov. de ponte Tom.4. n.5. c.7.

§. III.

Propositum in Pœnitente.

QUoad propositum emendationis; Pœnitentem prout opus esse animadvertit, discretè moneat, sine proposito emendationis non valere confessionem, periculosum esse non evellere radicem peccati; Humanum esse peccare, Diabolicum perseverare in peccato juxta D.Aug. l.2.cap.5. De visitatione infirm. *Eum, qui negligit tam salutari nunc uti remedio, dignum*

gnum ut in hora mortis illi id negetur. Hæc diligentia cognoſcendi,& urgendi propoſitum emendationis, exactius adhibenda, circa tres potiſſimum materias, iræ atque odii,luxuriæ,& reſtitutionis. Ludov. de Ponte.Ibidem ut ſupra.

§. IV.

Contritio in pœnitente.

QUod contritionem excitandam; Habeat in promptu motiva contritionis,hæc ſeptem; Quod peccatum ſit infinita quædam injuria contra infinitam majeſtatem Dei.Quod ſit infinita ingratitudo contra infinitũ benefactorem. Quod ſit contumelia illata pretioſo ſanguini Jeſu Chriſti veri Dei & hominis, Hebr.6. pro nobis fuſo,quod ſit jactura æternæ felicitatis, quod peccatorem reum faciat æternorum cruciatuum,ignis infernalis de quibus Job.24. *Ad nimium calorem tranſibunt,ab aquis nivium.* Et Eſa.65. *Ecce ſervi mei comedent & vos eſurietis.* Quod mirum horrorem & anguſtiam animæ peccatrici in hora mortis afferet. Quod abominabili fælicitate eandem inficiat, Divinæ gratiæ nitore ſpoliat, Diabolus ſimilem reddat. Hæc communia motiva ſunt contritionis pro omnibus peccatis deteſtandis, ſpecialia pro ſpecialibus,alia erunt ſuggerenda Ludov. de Ponte. Ibidem c.9.

§. V.

Reprehenſio.

REprehenſio etiam ſubinde adhibenda, cum Samaritano, in qua obſervandum.1. Ne aſperè reprehendas pœnitentem,dum in ſuis peccatis,quantumvis gravibus progreditur. 2. Sit ordinariè in reprehendendo parvus oſtendens paternum affectum. Juxta D. Gregorium Nazianzenum orat. 26.circa finem. *Chriſti diſcipulus & mitis & benigni,qui noſtras infirmitates pertulit.* Nihilominus delictorum gravitas oſtendenda,& periculũ æternæ damnationis ſeriò inculcandum, erit iis, qui vel parum contriti, vel ad relapſum proclives eſſe videntur.

3. Si pœnitens accedit notabiliter contritus, non est reprehendendus, sed animandus in concepto proposito, & in spem erigendus, juxta parabolam filii prodigi. 4. Seniores non increpandi, sed moderatè & reverenter monendi officii. *Seniorē non increpaveris*. 1. Tim. 5. 5. Cum pœnitente timido & pusillamini, cautè & mansuetè agendum, juxta illud: *Calamum conquassatum non conteres.* Isa. 42. 6. Pœnitentes durioris naturæ, & exiguæ capacitatis, minis & terroribus, ad officium exstimulandi. 7. Cum multa gravia peccata confitetur pœnitens, paucorum, duorum vel trium enormitas, præcipue ob oculos ponenda, & pœnarum quas hic promeruit atrocitas, & simul infinita Dei in parcendo liberalitas, & benignitas, ac bonitas exaggerenda. Idem ibidem c. 10.

§. VI.

Pœnitentiæ.

IN imponendis pœnitentiis, duo vitiosa extema, vita, attendas pœnitentis contritionis quantitatem Spiritus & corporis debilitatem, ac dispositionem, & peccatorum gravitatem, & qualitatem, & secundum hæc prudenter modereris, pœnitentiam injungendam, juxta illud, *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Sap. 11. Coneris quoq; pœnitenti præservativam præscribere, contra relabendi periculum, quale est illud. *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonū, & quid Dominus requirat à te, utiq; facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitè ambulare cum Deo.* Mich. 6. Semper tamen oleū misericordiæ emineat, & in dubio ad lenitatem propendendum. Idem ibidem. 11.

§. VII.

Vitia extirpanda.

QUoad vitia tibi commissorū extirpanda. 1. Magna spe accedas ad ea curanda, nam juxta S. Basiliū in reg. fus. 10. *In rerum natura nihil est, quod non diligentia corrigatur.* 2. Ores frequenter, & ferventer pro tuis exemplo Job. 3. Intime coneris cognoscere naturā, & propensionē

eorum, instar boni pastoris. 4. Non simul omnium curationem inchoes, sed sensim. 5. Non omnia simul remedia adhibeas, sed paulatim, unum post alterum, & ordinariè prius faciliora. 6. Non in superficie tantum curationem adhibeas, sed ad radices vitiorum, quæ sunt passiones malæ, ut Amor, Timor, Gaudium, Tristitia, remedia applices. 7. Prudenter, exspectes subinde opportunitatem, hæc remedia applicandi. Idem, Ibidem. c.12.

§. VIII.
Profectus in virtutibus.

QUoad profectum in virtutibus in suis promovendum. 1. Studeas eorum propensiones bonas cognoscere. 2. Fructum jacti seminis in corda pœnitentium, potius à Deo expectes, quam ex propriâ industriâ, 3. Nihilominus adhibe omnem diligentiam, arguendo, docendo, observando, increpando, ut Paulus monet. 4. Ne sis nimis zelosus, festinesque, pœnitentes urgere, quasi uno volatu ascendere ad culmen sanctitatis. 5. Præscribas iis modum bene vivendi. 6. Coneris omnes ad summam perfectionem statui convenientiam provehere, juxta illud: Col.1. *Docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum, in Christo JESU.*

§. IX.
Finis Confessionis.

MEminerit subinde, præsertim in confessionibus prolixioribus, mentem elevare ad Christum præsentem, in dubiis consulendo, opem petendo, actus humilitatis, amoris, gratitudinis, contritionis, commisera-

ratio-

rationis, ſpei, &c. Excercendo caveat tamen, ne his attentio neceſſaria impediatur. Sub finem confeſſionis, ſi opus videbitur, actualem, contritionem, & emendationis propoſitum in pœnitente excitare coneris, revocando illi in memoriam, motiva aliqua, præcipuè: Contritionis, & deinde quærendo, an ex animo doleat, ſe Deum tam bonum, & infinitè amabilem propter ſe, qui eum creavit, redemit, lavit, in ſanguine ſuo, huc uſq; tam miſericorditer toleravit, conſervavit, inſuper, æterna gloria coronare paratus eſt, unquam, omnibus & ſingulis ſuis, totius vitæ peccatis, offendiſſe, an ſeriò cupiat, proponatq; omnia & ſingula emendare, & contrariis piis obſequiis, & virtutum operibus compenſare.

Dum abſolvis pœnitentem, magno affectu fiduciæ, charitatis, zeli, commiſerationis, petas à Deo, ut veniam, miſericordiam, & gratiam ipſi largiri, & defectus omnes ſupplere dignetur, per merita Chriſti Domini, beatiſſimæ Virginis, & omnium Sanctorum. Inſuper dum dimittis pœnitentem, ipſi, & omnibus, ardentiſſimum zelum Deo quam devotiſſimè ſerviendi, in omni ſanctitate, & juſtitia, preceris hoc vel ſimili ſuſpirio: Utinam deinceps Deus infinitè bonus, à me, à te, & ab omnibus perfectiſſimè ametur, & glorificetur, gratis, propter ſe infinitè, ſuper omnia in æternum, & ultra.

§. X.

Poſt auditas Confeſſiones.

EXpeditis pœnitentibus, pro temporis opportunitate, ad quietem ſe recipiens recolligensque pius confeſſarius. 1. Examinet, num quid omiſerit, aut neglexerit, ad munus ſuum, pertinens, ſi erraſſe ſe deprehendat, doleat, proponatque, prout neceſſarium videbitur, emendare, ſi nihil occurrat, Divinæ bonitati gra-

tias agat. 2. Pro collata pœnitentibus gratia, eidem gratias, & ſuo, & illorum, imò omnium vere converſorum affectu, agat. 3. Nova gratiæ auxilia illis expoſcat, per merita Chriſti, beatiſſimæ Virginis, & ſanctorum maxime SS. Angelorum tutelarium. 4. Suum, conatum offerat Chriſto perficiendum, in unione ſuorum meritorum maxime zeli, & charitatis, olim ab ipſo, velut bono paſtore, peccatoribus, tanquam ovibus errantibus, quærendis & reducendis exhibitæ. 5. Humilitatis actus frequentet, omnibus ſuis pœnitentibus ingratiorem ſe agnoſcendo, ob majus lumen, uberiorem griatiam, plura & efficaciora præſidia, quibus tam ſegniter cooperatur, memor illius D. Auguſtin. *Non eſſe peccatum, quod fecerit homo, quod non faceret alter homo.* 6. Conetur obliviſci omnium auditorum in confeſſione, & ſurda aure recurrentes ſpecies, moleſteque allatrantes pertranſire. In hunc finem dic ſequentem orationem. Pag. 104. ſub fin.

§. XI.

Alii actus poſt auditas Confeſſiones Ex R.P. Mlodzianovvski, Soc. Ieſu.

GRatias age pro benedictionibus, & gratiis tibi, & tuis pœnitentibus, hodie à Domino Deo collatis. Offer Domino laborem tuum transactum, & pœnitentium dolores in particulari ejus, ſi quem ad te Deus ſpecialius direxit. Pete à Chriſto Domino, ut crucifixa ſua manu benedicat hodiernos pœnitentes tuos, & ut ratum & acceptabile fiat ſacrificium confeſſionis morum. Pete item à Domino, ut det pœnitentibus tuis gratiam retinendæ ſanctitatis, ab hodierna confeſſione inchoandæ. Deduc hodiernæ diei pœnitentes ſub pallium beatiſſimæ, illicque eoſdem colloca, ut tutiores à tent ationibus vivant. Recommenda eosdem ſanctis illorum patronis, & præcipuè Angelis illorum cuſtodibus,

bus. Non tam ingemiſcas, quam irrugias dolore, ſi forte aliquando ſacrilega tibi ſit facta confeſſio, pete ut talis anima redeat ad Dominum. In ſacro quod primum facies ab auditis confeſſionibus, intinge omnes, præcipue illius diei pœnitentes, cum particula Euchariſtiæ in ſanguine Chriſti. Quando benedices poſt ſacrum, ſpecialiter benedicas pœnitentibus illius diei, quaſi clavo quodam affigere volens gratiam illis collatam. Deteſtare peccata in confeſſionibus audita, plane ex corde, deſiderans, ne in poſterum à tuis pœnitentibus vel à quoquam fiant. Deſidera animas, corda, & voluntates tuorum præcipuè hodie pœnitentium in te transfundi, & elice, quam intenſiſſimum actum amoris Dei, pro cordibus & corde illorum. Dic orationem illam ſupra pœnitentes tuos: Reſpice Domine ſuper hanc familiam tuam pœnitentium meorum pro qua &c. &c. Elice actum ad beatiſſimam: Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus præcipue pœnitentibus diei nunc &c.

§. XII.

Sigillum Confeſſionis.

Confeſſarius ſigillum ſervet inviolabiliter, ita ut neque cum ipſomet pœnitente de peccatis in confeſſione auditis loquatur ſine ipſius ſaltem tacita licentia, cum aliis verò, in nullo caſu, niſi cum licentia ejus expreſſa. Et tunc curandum, ut ſine ſcandalo, àc ſine ejus periculo, aut damno ullo fiat. Ad ſigillum autem pertinent omnia peccata audita in confeſſione, etiam cum negata fuit abſolutio. Item, audita extra confeſſionem, ſed tamen in ordine ad illam, & verè etiam peccata aliorum, in ea quomodolibet revelata. Caveat præterea ut non ſolum directè, ſed nec etiam indirectè, revelet ſic audita, etiam poſt

mortem pœnitentis, quod multis modis poteſt accidere. De quibus Silv. V. Confeſ. 3. Navar. c. 8. Toletus lib. 3. c. 16. & alii. Propterea, caveat ne dum unum pœnitentem laudat, alteri detrahere videatur, vel dum ſibi videtur generatim loqui, alter propter circumſtantias veniat in cognitionem peccatoris. Optimum igitur conſilium eſt, ut confeſſarius, nunquam temerè, de rebus auditis in confeſſione, loquatur, nec etiam universè. Imo verò, neque cum ad petendum conſilium dubia proponit, dicat ſe quidquam in confeſſione audiviſſe, ſed generatim poſtulet, quid agendum ſi talis caſus accideret? &c. Cum autem petit à Prælatis facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis, in genere (quantum fieri poteſt) loquatur: Ne dum incautè ad ſingulares circumſtantias deſcendit, pœnitentis perſonam prodat. Unde peſſimè faciunt ſuperiores, qui à novis confeſſariis expiſcantur, quos caſus audierint eo die ut proferant pro reſolutione caſuum, ut in quodam loco contigit. Quid ſi tantum eo die unus fuiſſet pœnitens, quem non tantum ſuperior, ſed & alii confitentem vidiſſent, nonne eſſet violatio ſigilli? Sic Deus vult ſervari ſigillum, ut quaſi diſpenſare videatur in honore ſuo, ut patet in caſu: Si quis accedat ad confeſſionem, vel ſine contritione, & propoſito, vel cum aliquo defectu eſſentiali, ut abſolvi non poſſit, ſi interim accedat (non abſolutus, exiſtens in peccato mortali, licet graviſſimo) ad communionem, non poteſt ipſi denegari communio, niſi ſit concubinarius publicus, aut &c. Licet ſummus dishonor irrogetur Deo per indignam communionem.

Domine Jeſu Chriſte dulcis amator & ſanctificator animarum, purifica obſecro per infuſionem San-

Sancti Spiritus cor meum, ab omni affectione & cogitatione vitiosa, & quidquid à me, in meo munere, sive per negligentiam, sive per ignorantiam, peccatum est, pro tua infinita pietate, & misericordia, supplere digneris. Commendo in tuis amabilissimis vulneribus, omnes animas, quas ad pœnitentiam traxisti, & tuo pretiosissimo sanguine sanctificasti, ut eas à peccatis custodias, & in tuo timore, & amore conserves, in virtutibus in dies magis promoveas, atque ad vitam perducas æternam. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT VII.

Auditio Confessionis Sagarum.

ARs non postrema, sagarum confessiones excipere, & ad bonam frugem adducere, quod cum gratia Divina sic efficere potes: Invocato Divino auxilio, ut supra, cum summo desiderio liberandi hanc animam ex faciebus Diaboli, & illam mundam præsentandi Redemptori animarum, ad audiendum confessionem accede, invocando ad hoc sublime negotium pro auxilio, tam tuum, quam sagæ Angelum custodem. Consultissimum autē fuerit ante omnia eas inducere ad abrenuntiandum Diabolo, & omnibus ejus actibus, præconceptis verbis eisdem pereundo tali vel simili modo. Domine Deus meus protestor in conspectu tuo, quod nunc & in æternum abrenuntio Diabolo & omnibus ejus operibus, revertor & recedo ab illo toto mente & corde meo, & accedo ac converto me ad te Deum vivum & verum, meque tibi ex tota anima, mente, & corde meo cum anima & corpore do, dedo, dedico nunc & in æternum &c. Tum excitandi in eisdem erunt alii actus doloris de peccatis, fidei,

ſpei, amoris &c. Novi enim hic in Polonia quendamè Societate Jeſu Confeſſariũ, qui cum in Miſſionibus verſaretur magnas moleſtias & difficultates paſſus eſt, per aliquot horas ad magnam ſuam & alterius ſacerdotis Parochi illius loci cui ante jam fuerat confeſſa defatigationem, ut quandam notoriam & publicam ſagam jamjam ad rogum deducendam, quæ etiam Venerabile in ſumptione communionis occultè ſervaverat ad veneficia, ut ipſa coram judicio palam faſſa eſt, induceret ad revocandam aliam fœminam quam ante inſimulaverat veneficiorum, dicebatque unà ſecum fuiſſe in Calvo monte, ut vulgò vocant, omninoque volebat ut unà ſecum rogo imponeretur, atq; cremaretur: Ad quam illius in ſimulationẽ à judicibus, equuleo torqueri juſſa ſed nihil faſſa eſt, quæ res valde perplexum reddidit judicium; hinc illa affirmante, inde verò hac negante ſe eſſe ream. Tandem cum jam ad rogum duceretur, eidemque appropinquaret, judicio magnaque hominum turba ſequente, præmemoratus confeſſarius Divina ope implorata cœlitus inſpirari ſibi ſenſit, ut cum illa eliceret prædictum actum abrenuntiationis: Subſtitit itaq; paululum cum illa, & ſequẽte hominum turba, indictoq; omnibus ſilentio attentioneq; facta: Quæſivit clara voce à ſaga an vellet adhuc unum actum ſecum elicere, ſiquidem jam multos alios elicuit? Illaq; reſpondente volo; continuò præivit dicendo magno ardore illum actum abrenuntiationis, illaq; etiam continuò ſubſecuta eſt repetendo cum ſimili fervore; quo facto perrectum eſt ad rogum, prope rogum interrogata à confeſſario, an de illa fæmina quam inſimulaverat complicitatis aliquid ſciret? Reſpondi, nihil ſcio revoco omnia quæ dixi, innocentem pronuntio: Tum interrogata quare ergo antea illam ream complicitatis accuſaverat? Reſpondit quia id mihi aliquid (indubiè malus genius) ad aures inſuſurrabat. Tũ confeſſarius ille juſſit Parochũ ſolũ qui ejus conſcientiæ

peritus fuerat denuo à turba populi seorsim abductam confessionem audire & denuo absolvere à peccatis: quo facto tum vel maximè petiit ut ad mortem bene disponeretur ab utroq; sacerdote cum summo ardore orabat neq; se ab oratione avelli patiebatur: Tandem cum judicium mandasset ut carnifex exequereter officium suũ imposita est rogo succenso, invocandoq; Dominum Jesum exspiravit. Cum autem sagæ communiter sint simplices in bono, magis expiscanda sunt peccata, quam expectandæ ut sponte confiteantur. Sunt autem illorum peccata grandia & extraordinaria. Sit igitur.

§. I.

Casus Sagarum.

QUærendum; Cur Dæmonem susceperint, num ex odio aliquo contra quem, vel animo vindictæ cupido, quod communiter contingere solet, vel maximè in fæminis. Num interfuerint conventiculis. 3. Num etiã ad ea conventicula vinum, cerevisiã, aut carnes, cum aliorum injuria, adduxerint. 4. Num ibidẽ rebaptizati fuerint à Dæmone, & quale nomẽ acceperint. 5. Quale offertorium fecerint, num etiã proles suas Dæmoni obtulerint, num jam natas, num nondũ natas. 6. Num Dæmoni homagiũ præstiterint, & Deũ beatissimã Virginẽ, & sanctos abjuraverint. 7. Num etiã infantes non baptizatos occiderint, coxerint, & malagma aliquod, aut unguẽtũ ex illis sibi fecerint, quo ungãtur ut deferãntur ad convẽticula sua. 8. Num etiã patrini fuerint apud alios rebaptizatos à Dæmone, & quid obtulerint. 9. Num etiã negotiũ aliquod carnale habuerint cum Dæmone, num succubo, an incubo. 10. An etiã in convẽticulis promiscuè cõcubuerint, cũ sociis, & quomodo, num contra naturã, aut etiã cũ uxoratis. 11. Num etiã Venerabile Diabolo tradiderint, & in quẽ finẽ. 12. Sacramentũ pœnitẽtiæ, cum quali intentione absolverint. 13. Preces suas in tẽplo, vel etiã cãdelas, aut sacra, num non obtulerint Diabolo, vel maxime in elevatione, uti ũ etiam in elevatione Deũ maledixerint. 14. Num etiã

alias, aut alias, sua persuasioue adjunxerint Diabolo, 15. Num aliis nocuerint, & per quid, num per res sacras, & Deo dicatas, & ex odio. Vide Voglerum, in libello Germanico intitulato: Trost-Brunn. Ibi alios, & plures invenies casus, idiomate latino conscriptos.

§ II.

Num sagis deneganda Communio.

SCio plurimis in partibus, denegari sagis ac maleficis, licet pœniteant, communionem, ea ratione, quod sint indignæ, ut suscipiant Venerabile, & quod fere communiter sacrilegè confiteantur, vel etiam nituntur sententia Theologorum aliquorum, quod morte puniendis, ex causa possit negari communio. Certe, non tantum morte puniendis, sed & aliis moribundis, ex causa negari potest communio. Causa autem esse potest: Si adversariis suis nolint dimittere, sed odium inveteratum servent, quod non solum in sagis, sed etiam in aliis plurimis, supplicio afficiendis, reperitur, procul dubio, si hoc odium suum publice extra confessionem proferunt, neganda communio. Causa secunda, si reus sit blasphemus, & à blasphemia cessare nolit, neganda communio, in his & similibus casibus denegandum viaticum, non sagis, aut maleficis pœnitentibus. In Hispania fuit consuetudo, negare reis interficiendis Eucharistiam, sed sublata est, motu proprio Pii V. cui lex Regia accessit. Procul dubio, pontificem motum, quod communicare in articulo mortis, sit præceptum Divinum, secundum Theologos, licet aliqui putent esse præceptum Ecclesiæ, tamen obligans sub peccato mortali. Rationes quoque pro sagis, & maleficis, videntur mihi hæ. 1. Quod nulli pœnitenti petenti denegandum sit viaticum, siquidem id moribūdus tenetur suscipere, sub peccato mortali, & quilibet peccator, etiā gravissimus, pœnitens, habet jus ad illud. Si ergo ei denegetur, injuria ipsi fit, contra justitiam.

tiam. 2. Videtur aliquomodo violari ſigillum confeſſionis, vel enim mihi conſtat illam eſſe ſagam, ex delatione, vel ex confeſſione. Si ex delatione, certe magis eſt credendum pœnitenti in confeſſione, quam eidem ex tormentis, aut delatoribus. Plurimum enim conſtat, confeſſata ob tormenta falſiſſima ſæpiſſimè eſſe, delationes etiam ad judicium, licet juramento aliquando confirmatæ, ſæpiſſimè falſæ inventæ, & ex mero odio aut ſuſpicione factæ. Si igitur Sacerdos deneget viaticum, videtur aliqua certiore, & infallibiliore ſcientia debere eſſe præditum, quæ non eſt, niſi confeſſio Sacramentalis, quâ uti nullo modo, etiam ad evitandam mortem licet. 3. Sed ſacrilegè ſolent confiteri? Reſp. mihi non conſtat num ſacrilege confiteatur an non, Deus ſcrutator cordium? Interim in confeſſione teneor ei credere. 4. Sed quædam certò ſcio ab illa commiſſa, & tamen ea reticet? Reſp. Macerata tormentis, ex vi dolorum, memoria quoque ſcelerum præteritorum debilitata. 5. Communiter ſimplices ſagæ putant ſe ſatis confeſſionis feciſſe coram carnifice in tormentis. Conſultum itaque prudenti confeſſario, ut inveſtiget apud Notarium confeſſata, & ex iis ſagam examinet, cum proteſtatione, ut verum fateatur coram ſe, ſe nullo modo illa revelaturum, hoc unicum intendere, ut anima ejus evadat munda, & illi bene ſit in illo ſæculo. Nec enim ſperet ſe liberam fore ſi neget, imo ſi in confeſſione verum negaverit, quod graviora ſit tormenta paſſura in alio ſæculo. 6. Utique ſæpe contingit alios pœnitentes facere confeſſiones ſacrilegas, licet confeſſarius ſciat illorum peccata, imo viderit, examinati tamen negant, teneor tamen illis credere; & communionem illis nullo modo negare poſſum; Cur denegem moribundo, qui jam ſcit & videt, ſe pergere ad ſeverum Tribunal Chriſti. 7. Vel maxime illi dandum viaticum, ut eo ſecurius evadat inſidias

&laqueos Diaboli, Deus nullum etiam nefandissimam peccatorem, â sua gratia & auxilio repellit. Sit licet infamis coram mundo, non tamen coram Deo, qui non respicit personam hominis, nec est acceptor personarum. Si ipsemet Filius Dei, sacrilego Judæ, quem scivit esse sacrilegum, tamen dedit ei corpus & sanguinem suum, cur nos denegemus pœnitenti, (de cujus sacrilegio nobis tam certo non constat sicut Christo Domino constitit, sacrilegium Judæ) viaticum salutare; ne nobis objiciat S. Chrysostomus super illud Matthæi onera gravia. *Ubi Paterfamilias est largus, dispensator non debet esse avarus.* Et si Deus benignus, ut quid Sacerdos austerus.

CAPUT VIII.

Sacrificium Missæ.

ANte tremendum Missæ sacrificium, absolve modo superius in visitatione Venerabilis Sacramenti monstrato folio 30. Coronulas parvas tres per versus sequentes.

1. Ignem sui amoris accendat Deus in cordibus nostris Amen.

2. Spiritus Sancti gratia illuminet sensus & corda nostra Amen.

3. Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.

§ I.

Dispositio pro Sacro R.P. Casparis Druzbicki Soc. Iesu P.M. ex M.S.

PUlchra est dispositio pro sacrificio Missæ magni in

vita ſpirituali aſcetæ P. Gaſp. Druzbicki quam incipit à pulſu pro ſacro, quem dicit eſſe linguã univerſitatis creaturæ, invitantis homines ad glorificandum Deũ, per hoc ſacrificium & gratias agendum pro beneficiis in ipſam collatis. Eſt vox Sancti, cujus eſt feſtum, vel ad quem eſt ſtatio, & ut recolas virtutum gratias ei collatas, ergo gratias age, gratulare, confundere, aſpira. Eſt vox omnium afflictorum animarum purgatorii &c. auxilium tuum implorantium, ergo concucutiantur viſcera tua. Tum dic: Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti, delicias tuas eſſe cum Filiis hominum; Majeſtatem tuam ſupplex oro, ut fidelium tuorum corda, ad quorum aures ſonus hic pervenerit, gratiæ tuæ impulſu, per beatos Angelos tuos excitare digneris. Quatenus ad hoc tuum S. Sacrificium, per indignas manus meas offerendum, frequentes conveniant, illique ſic aſſiſtere valeant, ut corde compuncti, animo immutati cœleſtium donorum incrementis aucti, & Divina tua benedictione repleti, revertantur, percutientes pectora ſua, per Te Domine Jeſu Chriſte, qui vivis & regnas &c. Flexus ante imaginem beatiſſimæ Virginis, vel pergens ad Altare, recitabis hanc ſancti Bernardi orationem. Per te acceſſum habeamus ad filium, ô benedicta inventrix gratiæ, Genetrix vitæ, Mater ſalutis, ut per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis. Excuſet apud ipſum integritas tua, culpam noſtræ corruptionis, & humilitas Deo grata, noſtræ veniam impetret vanitati.

Copioſa charitas tua noſtrorum cooperit multitudinẽ peccatorum, & fœcunditas glorioſa, fœcunditatem nobis conferat meritorũ. Domina noſtra, mediatrix noſtra Tuo filio nos reconcilia, Tuo filio nos commenda,

Tuo

Tuo filio nos reconcilia, Tuo filio nos commenda, Tuo filio nos repræsenta. Fac ô benedicta per gratiam quam invenisti, per prærogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps, infirmitatis & miseriæ nostræ, Te quoque intercedente, participes faciat nos gloriæ, & beatitudinis suæ, JESUS Christus Filius Tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula Amen.

Positis manibus super reliquis SS. Adjuvate me sancti & sanctæ Dei omnes, quorum ergo hic veneror reliquias, & obtinete mihi apud Dominum, ut à peccatis meis omnibus absolutus, ab omni perturbatione mentis, & sensuum, motuumque meorum inquietudine, expeditus, cum ea puritate, humilitate, modestia, compunctione, devotionis, & dilectionis ardore, tremore & reverentia, peragam sanctum hoc Sacrificium, quam divinissimorum, quæ in eo tractantur mysteriorum, celsitudo & excellentia requirit. Sancta Maria Mater Dei & Virgo, fac ut cum ea humilitate, devotione, reverentia, & amore contingam superbenedictum fructum ventris tui, cum qua Tu eundem portasti, lactasti, lavisti, pannis involvisti, reclinasti.

Beatissime præcursor Baptista & martyr Christi, inveniatur in me illa humilitas, quâ te non dignum judicasti, solvere corrigiam calceamenti hujus Domini, & agni immaculati, cujus verticem sacrum tangere meruisti. Experiar in hujus Sacramenti pœnitentia, illam fidei vivacitatem, quam in confessione Christi Filii Dei vivi, exhibuisti beatissime Princeps Apostolorum Petre, & quæ in bea-

to Coapostolo tuo Thoma, ad contactum sacri vulneris enituit. Merear tecum ô Doctor gentium Paule, venienti ad me Domino, devota voluntate dicere. Quid me vis facere Domine, & cum Coapostolo tuo Petro, veræ submissionis affectu, exi à me Domine quia peccator sum. Redundet unica gutta fluentorum cœlestium, in animam meam, dilecte Christi discipule Joannes, quæ in prima Sacramenti hujus institutione, ex ipsius Dominici pectoris fonte potasti. O beatissimi tres Reges, ô felicissime Simeon & Anna, degustem illam Spiritus vestri dulcedinem in hujus contactu Sacramenti, qua diffluebatis, cum cor vestrum, & caro vestra, exultaverunt in Deum vivum. Sentiam in corde meo illum ardorem, & intellectu lucem, quam beatus Cleophas in fractione supersubstantialis panis hujus, una cum suo comite expertus est &c. Liceat mihi ad pedes clementissimi judicis, in Sacramento hoc existentis, provoluto, beatissima vestigia ejus, compuncti cordis lachrymis, cum peccatrice Magdalena riganti, & caput ejus unguento devotionis, & dilectionis ungenti, desideratam illam vocem audire, dimittuntur tibi peccata tua. Inveniatur in me, & ad aliorum ædificationem, eluceat, in tractione hujus Sacramenti, ille charitatis fervor, compassionis affectus, in agendo dexteritas, in loquendo efficacia, modestia, reverentia, diligentia, cum qua vos funeris Dominici curatores diligentissimi, Joseph & Nicodeme, hoc ipsum corpus ejus de cruce deposuistis, lavistis, vexistis, ligastis, & magnifico monumento condidistis. O beatissimi sacerdotes Christi; Gregori, Ambrosi, Augustine, Hieronyme, Carole, &c. cæterique

omnes ſancti, & ſanctæ Dei, Apoſtoli & diſcipuli Domini, Patriarchæ & Prophetæ, Martyres & Confeſſores, Pontifices, Sacerdotes & Levitæ, Virgines, viduæ, & conjugatæ, liceat mihi ſanctis veſtris precibus, cum ea puritate, modeſtia, diligentia, dexteritate, devotione, & reverentia, Sanctiſſimum hoc Miſſæ ſacrificium peragere, cum qua vos illud aliquando peregiſtis, aut illi adſtitiſtis, aut adſtare deſideraſtis. O ſancti Angeli & Archangeli, excitate, & cuſtodite me, ſancti Throni pacificate cor meum, ſancti Dominationes gubernate me, ſancti Poteſtates protegite & defendite me, ſancti Virtutes diſponite me, ſancti Cherubim illuminate me, ſancti Seraphim purificate & inflammate, me, ut dignus merear, ad ſancta Sanctorum introire, & digne valeam conficere, offerre, & ſumere corpus & ſanguinem ſancti Domini, Regis & Dei veſtri Jeſu Chriſti qui cum S. Spiritu eſt Deus benedictus in ſæcula Amen.

Profunde inclinatus dic: Sancta Dei genitrix Virgo Maria, ſancte Michael, Joannes Baptiſta, Petre & Paule, ſancte N. omnes ſancti & ſanctæ Dei, ſuccurrite mihi, & adjuvate me, ut digne & competenter, offeram ei ſanctum ſacrificium ſuum, ad laudem & gloriam nominis ejus, veſtrum honorem, & meam, totiusque generis humani utilitatem. Ecce jam de veſtro confiſus ſuffragio, ad tremendum munus hoc offerendum, indignus licet procedo, in nomine Domini Amen.

Sacriſtiam ingreſſus crucem adora. Aderamus

paſſio-

te Chriſte & benedicamus tibi, quia per crucem ſanctam tuam redemiſti mundum. Te per amaram paſſionem & mortem tuam ſupplex oro, ut ſicut te in te crucefixum pro me immolare dignatus es, ita cor meum, cogitatio, & affectus ſenſusque omnes, in ſacris vulneribus tuis, ſub tempus ſancti Sacrificii fixa permaneant Amen.

§. II.

In Sacro.

IN toto ſacro affectum Reverentiæ retine, ut omnia verba, omnes ritus, omnes etiam obſervantias, infra poſitas, reverentiſſime expedias, tam interna quam externa reverentia, profunda tuiq; præſentia & Dei. Actualiter propones majori quam unquam Spiritus fervore, milliesque millies majori proportione, ac devotione, ſacrum, & omnia quæ in eo dicendo ages, vel dices, ita, ut quemvis, actum, motum, literæ pronunciationem, intendas, majori intenſione fervoris recitare, ut magis magisque exaltetur Deus, ut magis humilieris tu, ad purum guſtum Dei, ad nullum præmium tuum, quia hæc eſt voluntas Dei.

1. Pergens ad Altare: Recitabis orationem D. Bernardi per te acceſſum habeamus ad Filium &c. &c. ut ſupra. Vel incedens excita vivam fidem, cœlum ſupra Altare apertum, cogita, & mox adora Deum cum Angelis præſentem dic: Gloria Patri &c. Credo Domine, in te ſpero, &

ex toto corde amo. Tum accedas ad altare, manens in Dei præſentia.

1. Collocans in Altari calicem & miſſale aperiens: Omnitudinis in Deum actum elicies, hoc V.G. modo. Superdigniſſime Domine Deus meus, omnitudinem tuam omnitudo mea; ſeraphicâ Marianâ omnipoſſibili omnitudine, nunc & ſemper glorificat, adorat, benedicit, honorat, affectuoſiſſime amat, æſtimat, concupiſcit, exaltat ignitiſſimè, laudat amabiliſſime, magnificat magnificentiſſime, reveretur reverentiſſime ſitit ſitibundiſſime. Vel; Superhonorabiliſſime Deus, omnitudini tuæ, omnitudo mea, omnitudine ſeraphicâ, Mariana, Chriſtiformi, nunc & in perpetuum, benedicit amoroſiſſime, omnem communicabilitatem tuam concupiſcit æſtuantiſſime, ſuam tibi vilitatem fingendam, formandam, & figurandam tradit pleniſſimè te & tua tibi bona-gratulatur exultantiſſime ſe & ſibi à te oblata dona regratiatur demiſiſſime, Te exaltat, & ſuperexaltat omniſtudionaliter, ſe autem annihilat, humiliat humilificatq; humilime, &c. Hi actus breviari poſſunt à dicente pro libitu & tempore.

3. Ante & inter deſcenſum ad primum gradum Altaris, dices hæc & ſimilia: Mi Jeſu per illam generoſiſſimam reſolutionem tuam, qua te reſolviſti, nobiſcum eſſe, à nobis immolari, manducari, & communicari, in hoc ſacrificio & Sacramento, peto à te, ut mihi partem hujus tuæ reſolutionis communices, quo te, quam digniſſime immolare, manducare, communicare valeam.

4. Confeſſionem generalem fac & dic: Ea devotione ac ſi coram. Deo præſente, coram cœlo & terra confitereris vitam tuam.

5. Dum

5. Dum oſcularis Altare poſt Kyrie vel poſt Gloria in Excelſis,dic : Benedic Pater æterne vires & opera Filii Tui, aut aliquibus aliis verbis pete benedictionem à Deo Patre.

6. Lecto Evangelio dum oſcularis librum dicens: Per Evangelia dicta &c. elicies actum contritionis de omnibus peccatis. Proteſtor Excellentiſſime Deus, me peccata mea omnia , maxima & minima, quibus frequentiſſime , infinitam bonitatem tuam, & excellentiſſimam dignitatem offendi , ex animo deteſtari , & odiſſe , nec non ea impoſterum omni conatu vitare velle , deque illis contritione , qua poſſum, & par eſt maxima dolere, dolere autem,non ob ulla damna,nec ob ulla ſupplicia , quæ meritus ſum, quæque ſubire in ſatisfactionem non recuſo, ſed ob id ſolum , quia dignitatem, & bonitatem offendi , quam ſummè amare debui , & æſtimare, quemadmodum nunc amo , & æſtimo, in æternumque amare & æſtimare propono , ac ei in omni perfectione ſervire.

7. Dum poſt Evangelium vel Credo, oſcularis Altare, dices : Benedic Deus Verbum , verba ſervi tui,idem dici poteſt à Concionatore, ante concionem immediate.

8. Dum dicto offertorio diſcooperis Calicem, elice prævium actum oblationis : V.G. Omnipotentia, ſapientia , bonitas , prudentia, providentia , dignitas,voluntas, amor præveniens. Ecce ego & omnia opera mea,coram Te , non propter me , non propter conſuetudinem, non propter alios , ſed propter Te Deus meus, & omnia, quia hæc eſt voluntas tua & dignitas voluntatis tuæ.

9. Offerendo Panem & Vinum : Pone in patena Cor proprium, omniumque circumstantium, imo omnium fidelium, offer que illa Deo, cum ea intentione, quod sicut hostiam offers, quæ est panis purus, ut ejus substantia destruatur, convertatur in corpus Christi, ita cor tuum, & omnium fidelium offeras, ut in eis destruat, quidquid terrenum est, ut convertat, ac per amorem, & imitationem transformet in ipsum Christum, ita ut desinant esse quod erant, incipiant esse & vivere sicut Christus.

10. Infundendo vinum. Immerge te in abyssum sanguinis Christi, sicut aqua illa mergitur, & convertitur in vinum.

11. Dum ante orate Fratres, oscularis Altare; Benedic S. Spiritus consilia, vota, & cogitationes discipuli tui.

12. In memento Vivorum. Revoca te ad id quod fecisti ante Sacrum, commenda Personas, res officia, quæ voles.

13. Ad Præfationem & ad Sanctus. Elice actum Reverentiæ, ac fervoris, nomine Cœlestium, Terrestrium, ac Infernorum.

14. Consecrationem panis in corpus Christi, facies in unione affectus unius ex sequentibus.

Die Dominico. Consecrabis affectu SS. Trinitatis, quo illa sibi Jesum Christum, sub his speciebus, & in cruce, immolari voluit.

Feria 2. Consecrabis affectu Patris æterni, quo illud sibi Verbo, & Spiritui S. Jesum in speciebus, & in cruce immolare voluit.

Feria 3. Consecrabis affectu Verbi æterni, quo sibi Patri & Spiritui Sancto Jesum in cruce & speciebus immolari voluit.

Feria

Feria 4. Consecrabis affectu Spiritus Sancti, quo ille sibi, Patri, & Filio, Jesum immolari, in speciebus, & cruce voluit.

Feria 5. Consecrabis affectu Jesu Christi, quo ille se, in ultima cæna, Patri, & sibi, & Spiritui Sancto immolavit.

Feria 6. Consecrabis affectu Jesu Christi, quo ille se, in ara crucis, Patri, sibi, & Spiritui Sancto, ad gustum, nobis autem ad salutem, immolavit.

Sabbatho consecrabis affectu SS. Trinitatis, Jesu Christi, & B.V. & SS. omnium, quo illi Jesum, vel immolari voluerunt, vel immolaverunt. Porro; Semper adjunges, tuimetipsius plenum Deo Sacrificium, illudque cum Sacrificio Christi offeres, persacratissime Jesu Christi humanitatis manus, & beatissimæ Virginis Mariæ.

15. Ante elevationem Hostiæ genuflectens, commendabis instans mortis tuæ, instanti mortis Christi, beatissimæ Virginis, & si placebit alicujus peculiariter Sancti, vel illius diei, dicens: Mi Jesu, instanti mortis tuæ, instanti mortis Matris Tuæ dulcissimæ, & instanti S. N. instans mortis meæ commendo, benedic quæso isti, propter ista.

Ad Elevationem Hostiæ, actualiter omnia quæ Christus Jesus assumpsit, gessit, pertulitque Sanctissimæ Trinitati, pro tuis, & aliorum necessitatibus offer. Vel invita creaturas, ad adorendum, omnes creaturæ cœlestes, terrestres & infernales, venite & hunc Jesum, propter honorem, & obedientiam Dei Patris, & propter nostrûm omnium salutem humiliatum, confusum, & in cruce probrosè

elevatum, recognoſcite, adorate, glorificate. Vel, vos Angeli, & Beati omnes, adorate, & exultate, jubilate, & reverentiam facite huic Jeſu, qui eſt etiam in manibus meis, ſicut in Divino Throno, ad dexteram Patris: Vel, dum extollitur. Proponatur omnibus mundi creaturis ad adorandum; cum omni lætitia, prout fuit propoſita, ſtatua Nabuchodonoſor ſub illis enim accidentibus, velut ſub aurea ſtatua, eſt verè Chriſtus, Rex Regum, proferes etiam edictum Regis, ſi quis non adoraverit, mittetur in fornacem ipſis ardentis Dan. 3. Vel, proponatur Deo Patri, ad ejus juſtitiam placendam &c. ſicut Chriſtus Dominus fecit in cruce, ad impetrandam gentibus, hæreticis peccatoribus, converſationis gratiam. Vel, nomine creaturarum adorabis dicens: Ego indignus peccator, in unione omnium creaturarum, ſcilicet Angelorum atque Sanctorum. Terreſtrium, id eſt: Animarum Purgatorii, & nomine omnium Juſtorum, Te adoro, confiteor, laudo, benedico, exalto, in tua æternitate glorioſa. Et vos peccatores, & infideles omnes, venite ad Jeſum, convertimini, recognoſcite, adorate, diligite, ſuper omnia in æternum. At vos infernales beſtiæ, confundamini, & contremiſcite, omnes maligni ſpiritus à facie Jeſu, qui eſt etiam in manibus meis, ſicut in Divino Throno, fugite, & in latebras Inferni vos abſcondite. Depoſita Hoſtia. Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, qui tantum bonum nobis contuliſtis.

17. Ante conſecrationem Calicis. Vota tua, ſi quæ habes, ratifica, eaque ſanguinis Chriſti conſecratione confirma, dicens: Placet mihi, & placeat Tibi, mi Deus, quod promiſi &c. &c.

18. In

In Elevatione calicis, elicies actus sequentes. 1. Pie Pelicane Jesu Domine, me immundum munda tuo sanguine. 2. Mi Jesu, fac me &c. (exprime id quod pro te præcipue impetrare sacrificando intendis.) 3. Mi Jesu, accende me amore tui Seraphico, Mariano, Tuo incessabili cruciformi. 4. Instanti mortis tuæ mi Jesu, & instanti mortis Matris Tuæ, instans &c. ut supra. Vel dum adoratur; consideretur, prout fluxit sanguis ex manibus, pedibus, & corde Jesu. Dum extollitur: Considera, ut exivit ex fluminibus Paradisi terrestris, corporis Christi, aurum gignens, gemmas & pretiosos fructus vitæ.

Item, ut est sanguis Sacrificiorum, in antiqua lege, homines emundans, Deum placans, & bona omnia impetrans. Dum deponitur & adoratur, dic: Sitio te sicut cervus fontes aquarum, sicut infans ubera matris, sicut Samaritana aquas viventes, & sitim explentes, & salientes in vitam æternam, & sicut tu desiderasti illum effundere, ad gloriam Patris, & ad nostram salutem.

19. Signans te ac dicens; (omni benedictione cœlesti) dilata totius tuæ substantiæ capacitatem, eamque gratiis ex Altari, ex manibus Dei, ex vulneribus Christi defluentibus suppone, ut implearis.

20. In Mortuorum memento. Revoca te ad id quod fecisti ante Sacrum: Nominatim, orabis pro his, pro quibus totus Clerus, vel tota Religio intendit, quos Deus prædestinavit, per te juvare, pro quibus orare debes & intendis, pro quibus orare vel-

les,si mortuos scires, pro iis qui magis devoti erant beatissimæ Virgini, pro iis qui gravius, aut diutius patiuntur. Pro iis, quarum instat liberationis hora, pro quibus nullus orat, quos Deus juvare vult præsente Sacrificio.

21. Dum signas cruces Hostiâ inter Calicem & pectus dicens: (esto tibi Deo Patri) Amans congratulaberis dulcissimæ Patris, Filii & Spiritus Sancti Societati, & mutuæ jucunditati, dulcique charitati, tuumque cor,& tua omnia interiora reserans sanctissimæ Trinitati,te ipsum benedices Hostiâ.

22. Post dicta illa Verba [omnis honor & gloria] adde: Omnis ignitissima dilectio, omnis profundissima [genuflectens, intende animo infra inferorum abyssos] reverentia, omnis eminentissima (intende animo supra omnes cœlos surgens ab genuflexione) exaltatio.

23. In Oratione Dominica. Singulas partes ejus dic peculiari affectu. Pater Noster qui es in cœlis: Affectu fiduciæ in Patrem tam bonum. Sanctificetur &c. desidera glorificationem Dei plenam, & adæquatam Dei dignitati, inter creaturas. Adveniat regnum. Desidera, ut Deus regnet in te, & in omni creatura. Fiat Voluntas tua. Hæc dicens: Adora voluntatem Dei, & tam corpus quam animam, cum omnibus viribus, potentiisque ei substerne, ac resigna. Sicut in cœlo &c. id est. 1. Sicut in corde Dei,& in decretis voluntatis ejus, sic in te, & in omni creatura. 2. Sicut in humanitate Christi, ita & in te. 3. Sicut in pretiosissima Parente, ita & in te. 4. Sicut

&in Beatis , ita &in te , atque in terra degentibus. 5. Sicut in ſancto N. ita & in te. Panem noſtrum &c. intellige Sacrificii, Sacramenti, gratiarum, ac cœleſtium benedictionem. Dimitte nobis &c. Te Domino dante & teſte. Et ne nos inducas &c. (NN. certi generis in qua cadamus) Sed libera nos &c. Vitæ futuræ , & præſentis , quod commeriti ſumus , & vitare neſcimus.

24. Dicto hæc commixtio. Immerge te in balneo & fonte ſanguinis Jeſu Chriſti, inſtansque mortis tuæ commenda.

25. Ad ſingulas repetitiones Agnus Dei: Pete veniam , ſeu miſericordiam , & pacem tibi, vivis, & mortuis. Vel, ad primum indue perſonam peccatorum, infidelium, & Hæreticorum. In ſecundo; Perſonarum in purgatorio exiſtentium affectum indue. In tertio; Perſonam Regum , & Principum Chriſtianorum. Vel, Agnus Dei. Miſerere vivorum in te credentium. 2. Miſerere mortuorum in te pie quieſcentium. 3. Miſerere, da pacem vivis & defunctis, in te pie regnantibus. Ita carebant Angeli in dedicatione miraculoſa ſacelli Deiparæ in Eremo Helvetica.

26. Puta te videre Chriſtum ante te, ſicut revera eſt, & hunc vel in cruce, vel ex illa depoſitum , in ſinu Matris, quam etiam Adjutricem tuæ orationis aſſumes , concipiendo in illo facilitatem ignoſcendi & miſerendi, prout egit cum latrone & crucifixoribus, & dona tria principalia poſtulabis. Pacem & unionem in tota Eccleſia. Pacem & unionem inſeparabilem

inter te illumque consecutionem fructus illius Sacramenti.

27. In secunda oratione communionem præcedente cum dixeris, & fac me tuis semper inhærere mandatis & à te (subjunges) atque à tua Sanctissima voluntate, eminentissima dignitate, ignitissima & incessabili charitate, nunquam,nunquam, nunquam separari permittas,qui cum eodem &c.

28. Tertia oratione dicta, subjunges hanc quartam; Domine Deus meus, per pretiosissimum hoc corpus, & hunc sanguinem tuum, & per omnem cordis tui Divini bonitatem, & per omnes viscerum tuorum miserationes, peto à te,ut des mihi, Superiobus, Parentibus,fratribus, carne & spiritu, consanguineis meis charissimis N.N. totique clero, aut Religioni, pœnitentibus meis, præteritis & futuris, gratias tuas, congruas, frequentes, efficaces, finales,des NN. finalem pœnitentiam, des Benefactoribus N.N. temporalium sufficientiam, des mihi officiorum & negotiorum meorum felicem successum, des mihi gratiam orationis, indivinationis, puritatis, des mihi & mundo universo notitiam tui, & sui repressionesque spiritus fornicationis. (Hæc dices, dum genu flectes) da mihi ut possim, da mihi amorem inimicorum meorum, utere illorum linguis, calamis, judiciis, ad humiliandum me & ad exaltandum Te, da mihi per merita, & preces illorum, meritis, precibusque conjunctus commutari, in virum voluntatis tuæ, da mihi digne hoc munere defungi, ad puram gloriam tuam, ad puram & meram confusionem meam, denique da mihi,

hi, amicis, inimicis, æmulis, & ingratis meis, gratias & misericordias, quod scis & vis. Hic subjunges;

29. Panem cœlestem &c. Panem. Considera excellentiam panis illius, quem non gustant canes, id est, animales homines, quomodo tu accipies? Sine quo non sunt vere felices Domini hujusmodi, quomodo tu vilissimus accipies? Quem ita avide esuriunt servi Dei, pro quo tam strenuè serviunt, & quo refecti fortiter laborant, quomodo tu &c. &c.? Cœlestem. Qui justo Dei judicio condemnatus es, ad vescendum herbis, in sudore vultus, cur præsumis cœlestem panem attingere? Qui relicto Patre, & substantia consumpta, factus es custos pecorum, & vesceris siliquis eorum. Cur dicis, panem cœlestem accipiam? Qui adeo delectaris terrenis, ut alter epulo, si in inferno esurie & siti cruciari mereris, cur dicis; Panem cœlestem &c.? Accipiam. Unde? de sinu Matris? Sed quomodo immundus audebis comparere coram illa, qui nihil propter illam facis? Unde, de sinu Patris. Sed quomodo, causa occisionis ejus cum sis, id audebis? Vide, ne sanguis ejus clamet, & fluat ex vulneribus contra te. Unde? A mensa Beatorum? Sed qui toties ad illam invitatus, te excusasti, & modo non habes vestem nuptialem, similem sponso, id est, mores &c. Quomodo audebis.

30. Dicens Domine non sum dignus. Elicies affectum, singulis diebus per hebdomadam unum.

Die Dominico. Pronuntiabis illa affectu refugientis, & humiliter reverenterque resistentis Domino, intrare volenti.

Feria 2. Affectu deprecantis ingressum Dei tui à te.

Feria 3. Affectu admirantis, & obstupescentis Dominum intrare volentem.

Feria 4. Affectu dissuadentis, & indignitatem facti, Domino dignissimo intrare volenti proponentis.

Feria 5. Affectu protestantis in conspectu omnis creaturæ, & maximè præsentium Angelorum, quod sis undequaque indignus, ut domo animæ tuæ Deum Dominum recipias, quodque tibi vis, ab illo fiat.

Feria 6. Affectu cognoscentis quidem, & confitentis propriam indignitatem, permittentis tamen, imò desiderantis ingressum Domini.

Sabbatho. Affectu ostendentis, tanto opus labore non esse, ut ad te Dominus majestatis veniat, utpote, qui unico tantum dicto verbo totum salutis tuæ negotium (cujus perficiendi causa ad te intrare vult) absolvere posset.

31. Ad singula Domine non sum dignus. Postquam dixeris & sanabitur anima mea. Addes ad 1. Quæ se tota credit & agnoscit. Ad 2. Quæ te tota se amat & adorat. Ad 3. Quæ te, tota se, desiderat, concupiscit, manducat. Possunt etiam hæc omnia dici tantum ad ultimum.

O cor meum, vita mea, felicitas animæ, & omne bonum, & desiderium meum, ubi te constituam, in qua parte cordis, & animæ meæ? Quamdiu manebis mecum, utinam non recedas à me in æternum. Quando te videbo absque his velis & involucris, sicut tu es divinus, amabilis, & gloriosus. Quando solventur mihi vincula, & relaxabuntur habenæ, ut spiritus meus veloci-

lociter currere poſſit ad te,& in te,laudando, & amando, quieſcere in æternum. In actu communicandi, inclinando te ad Hoſtiæ adorationem dic : Domine Jeſu,te adoro, laudo, benedico, glorifico, & ago gratias pro charitate tua,pro doloribus tuis, pro patientia in me habita,uſque in hanc horam, offero tibi vota mea & vitam meam, & obſecro, ut des mihi perſeverantiam in Tuo ſancto ſervitio, uſque ad finem vitæ meæ. Domine Jeſu Chriſte,qui te recipere volo, ille ego ſum,qui voluntati tuæ non obedivi, ut filius prodigus,recedens à gubernatione tua, diſſipavi omnem ſubſtantiam,quam dederas mihi, itaque non ſum dignus vocari filius tuus, tamen fac me ſicut unum de mercenariis,& mendicis tuis, ecce cum erubeſcentia & pœnitentia revertor ad te,rogans ut iterum ſuſcipias me.

Ecce Dominus, plus quam Lazarus à Bethania languens, præ Spirituum cœleſtium inopia, deſiderio & amore tui, domum me panis conſtituere volens, langueo: Tu ſpiritus, & vita mea, domum me dignam te conſtitue,imple me te ipſo,languentem refove. Veni Jeſu mi,inermis ſum, hoſtibus cinctus ſum, arma volo, tu eſto armatura,tu lorica,tu clypeus,tu galea ſalutis,antequam ſaucier, communi me, & veni in me. Jeſu cujus illa vox fuit in cruce: Pater dimitte. Non enim ſcivit ipſe homo,quid fecit,& ego ſimul tecum clamo pro me: Pater ignoſce mihi,non enim ſcivi quid feci, quando Majeſtatem tuam,tam bonam, offendi: Tu ſcis, quoniam nunquam fuit in me expreſſa intentio, neque affectus,etiã in deliciis meis,non amandi te, clamo, & pro toto mundo. Dimitte peccata, & imperfectiones meas, ſed & ſuper delicta totius mundi,& totius populi præſentis, defectus,quibus te offendimus, & ad iram provocamus,ſcio,quia iniquitatem deteſtaris, ſcis,quod & mihi diſplicet maximè,conjuramus in eam uterque, tu ponis car-

carnem & ſanguinem, ego iſta in cibum & potum ſumo, omnibus ergo viribus impugnemus, extirpemus, eradicemus peccata omnia, in me, in populo, in toto mundo, neque tibi confœderatum eſſe ſcito. In manus meas commendas corpus, ſpiritum & ſanguinem tuum, excipiam amanter, & hauriam, ut intret in me Spiritus tuus, & vivat in me. Per totum mundum inſidiæ tibi ſtruuntur dulciſſime Jeſu, pericula parantur, ad necem quærunt te peccatores, ſed quia ad manus meas perfugii & ſecuritatis cauſa confugiſti, in corde meo reconde te, non enim ſecuriorem locum invenio. Jam captivus vinctus in manibus meis & vinculis teneris. Si cœlum, terram, bona omnia, in commutationem pro tui liberatione mihi dare volueris, accipere nolo, cum hæc omnia, minora te ſint, & omnia melius in te, quam in ſe ſunt, vis liberari, da mihi tantum pro te, quod tibi æquivaleat, non habes, ergo da te ipſum. Jeſu mi! quid times? Ingreſſum oris, cordis & viſcerum meorum horres? Et in manibus palpas? Rectè quidem, quia immundus, peccator ſum maximus, ſed tamen revoca tibi in memoriam tempus illud, quo ad redimendos homines dura morte deſcenſurus, magnam quidem occaſionem habuiſti exhorreſcendi, tamen puritate mentis, & corporis Virginis Matris, delectatus, non horruiſti illius uterum. Per illam ergo Virginis puritatem, obſecro te, ingredi ad me non horreas, ex tunc ego mundus eſſe volo, quo fiam dignum te, cum gratia tua, habitaculum. Quid hic ſtabis Jeſu mi otioſus, nemo

mo te conduxit? Ito in vineam animæ meæ, convenio tecum ex denario diurno, tot actus virtutum, humilitatis, charitatis, mortificationis, adorationis hodie faciam. Similes actus ſuggeret Miſſa diei Epiſtola Evangelium &c.

32. Antequam dicas, vel etiam poſtquam dixeris: Corpus Domini noſtri &c. dices: Majori quam unquam fervore ſpiritus, milliesque, & millies majori, ac majori proportione, illius, ad purum guſtum tuum, ad nullum præmium meum, omnium Sanctorum, & omnium Angelorum, atque Seraphinorum, ipſiusque B. V. M. ac Tuæ JESU humanitatis Sacratiſſimæ affectu, te hic præſentem amo, æſtimo, adoro, deſidero, recipio.

33. Dicens Corpus Domini &c. ſignansque te Hoſtiâ, aperies ac dilatabis totam animam, totumque cor tuum, ut Dominica Benedictio, id in eo operetur, quod placitum eſt in oculis ejus. Totus igneſces amore, æſtuabis deſiderio, abſorbeberis reverentia, & tantæ dignitatis ſtupore.

34. Immediatè communicaturus, facies conventionem cum Chriſto Domino, & beatiſſima Virgine, tanquam cum operariis, & mittes eos in vineam animæ tuæ, ut inibi operentur, vel id quod maxime vellent, vel id quod maxime indiges, vel certum aliquod opus perfectionis. Merces autem cœleſtibus hiſce operariis erit certus actuum numerus, vel unius, vel plurium virtutum; V.G. 37. 60.

60. 100. &c. ſemper autem, præter alia, ordinariè tua in vinea, petes perfici, majorem ſpiritus fervorem, ut majori majorique, & in ſingula momenta creſcente fervore, quodlibet opus tuum facere, & Deo Tuo in omnibus ſervire poſſis. Mercedem autem tam B. V. Mariæ, quam Chriſto Jeſu, ſtatim poſt Sacrum ſolves.

34. Sumpto Sanctiſſimo Sacramento, omnem in te, tuaque capacitate, amoris ardorem excitabis, eumque, & ejus intenſionem, per ſingula momenta, millies, millies, majori proportione creſcere deſiderabis.

35. Communionem offeres ſemper pro aliqua tua intentione, ordinariè autem offeres illam, pro auxilio animæ, vel animarum, maximè indigentium, ex eis qui tecum domi manent, vel pro animabus purgatorii, ea intentione & fine, ut ipſæ liberatæ à pœnis, ferventius orent quam tu. Pro exiſtentibus in terribili ſtatu peccati mortalis, & pro agonizantibus.

36. Sanctiſſimum Sacramentum in ore tenens, atque etiam deglutiens, pete à Domino Jeſu puritatem animæ & corporis, gulæ & linguæ; hoc modo; Mi JEſu! puriſſimo Corpore Tuo purifica corpus meum, puriſſimo cibo tuo purifica gulam meam, puriſſimo verbo Tuo pacifica mentem & linguam meam.

37. Glutiendo & communicando ſanctam Hoſtiam, fac adorationem non tantum corpore toto, ſed etiam tota anima, totaque latitudine, & capacitate, & multitudine partium, & potentiarum tuarum,

ita,

ita, ut nulla ſit atomica in te particula, quâ non adores, glutias, & manduces Chriſtum, & elice actus intenſiſſimos Fidei Spei, & Charitatis.

38. Sumpturus Calicem, Genuflectione, antequam ſumas ſanguinem, adora Chriſtum in cruce pendentem, & ſanguinem è vulneribus ſtillantem, & contemplare affectum internum, quo illum tibi præparavit, & tanto cum amore, & dolore, Deo Patri & tibi offert. Vel, Eundem aſpice de cruce depoſitum, in ſinu Matris, ubi poteris facilius, ejus vulneribus os infigere, & ſanguinem ſugere. 2. Virtutem ſanguinis conſidera, ſuper ſanguinem Pelicani ad filios ſanandos, ſupra ſanguinem vermiculi, ad frangendum vitrum, & inde pullum ſuum incluſum educendum, ſupra ſanguinem vituli oblati, ad populum ſanctificandum, & ad dignum ingreſſum, ad ſancta Sanctorum præſtandum, ſupra ſanguinem Abel, non vindictam ſed miſericordiam clamantem, ſuper ſanguinem aſperſum, in tunica Joſeph, Patris viſcera commoventem, eſt enim infinitæ virtutis, & valoris, ad ſuperandum, ſatisfaciendum, nobilitandum, delectandum, in amorem ſui rapiendum, ad uniendum cum Deo. 3. In ipſa ſumptione. In primo hauſtu, ex vulnere cordis, pete charitatem, humilitatem & puritatem. In ſecundo; Ex vulneribus manuum pete vires & gratiam, ad laborandum, & faciendum bona opera. In tertio; Ex vulneribus pedum pete perſeverantiam & progreſſum in obſequio ejus. Vel, in primo hauſtu pete à Deo Patre deguſtationē,

ac

ac participationem ejus potentiæ. In ſecundo. Participationem à Filio, ejus Sapientiæ. In tertio. Participationem ejus Bonitatis.

39. Ratificabis quoque Teſtamentum tuum, [quod Teſtamentum habebis infra] dicens: Mi Jeſu, Teſtamentum meum pro me ratum habeo, illudque Sanguinis tui ſumptione confirmo, ſumo illum, ut Sacrificium, ut Sacramentum, ut Teſtamentum, & victimam. Peculiaris portio tua, in Sacrificio quolibet, erit ſanguinis conſecratio, & ſumptio, in qua etiam [ſi Religioſus es] ratam habebis profeſſionem tuam, & vota.

40. Sumens Calicem dices: Mi Jeſu, puriſſimo ſanguine tuo purifica ſanguinem meum, puriſſimo potu gulam meam, puriſſimo verbo tuo purifica mentem & linguam meam, applicansque os cordis tui, ad amoroſum lateris Jeſu vulnus, bibes & ſuges, omnibus poris, atque atomis tuis, de Diviniſſimo præſentis Domini corde, gratiæ, charitatis, puritatis, aliarumque virtutum influxus, prægustans quantum dabitur, deſiderabiles jucunditatis æternæ ſorbitiunculas.

41. Extergens & componens Calicem, præſentem Dominum ſalutare concupiſces, affectu, quo ille Patrem æternum, in cœlo aſcendens ſalutavit, quo ipſum in ſe conceptum, & de ſe natum, & poſt reſurrectionem ſibi apparentem beatiſſima Virgo ſalutabat, quo illum omnes Sancti, poſt primum in cœlos ingreſſum, ſalutant.

42. Dicta post Communione, dum oscularis Altare, dic: Benedic Creator, Creaturæ Tuæ memoriam.

43. Dum finitis collectis oscularis Altare, dic: Benedic Redemptor, Redempti tui intellectum.

44. Post placeat, dum oscularis Altare, dic: Benedic Sanctificator, voluntatem Sanctificati tui.

45. Quotiescunque genu flectis in Sacrificio Missæ, flecte affectu omnium sanctorum Angelorum, Sanctorum, Sanctarumque, & omnium creaturarum, quæ Deum debent adorare. V. G. Hac genuflexione adoro te, omnium creaturarum possibili affectu, quo te omnes creaturæ laudant, ac benedicunt, laudare ac benedicere debent in æternum.

46. Dum ea recitas quæ in Sacro, ex Missali dicenda sunt, dabis operam, ut ea non cursim proferas, sed cum intellectu, attentione, & affectuum, (qui in verbis latent, & ad quos, Deo exponendos, Ecclesia verba talia, & non alia adhibuit) expressione, sensu, seu experimento recites. Magna enim mysteria, & documenta, miræ & variæ Dei laudes, miri & varii in Deum affectus, coram Deo humiliationes, obsecrationes meritorum Christi & SS. interpositione continentur, in verbis Missæ, unde cursim ea dici non expedit, nec fieri potest, sine magna jactura, & propriæ devotionis, & meritorum, & Divinæ gloriæ, & Ecclesiæ bonorum, suam nobis personam, & verba communicantis.

47. In communi illa Orationum clausula. Per Dominum nostrum &c. dictæ orationes, speciali reflexione, per transfixum cor Domini Jesu, in Sancti Spiritus virtute, Deo Trino & Uno offerantur, & ea

omnia, quæ poſt Communionem recitantur, magis ſpiritu & halitu Chriſti, inexiſtentis, quam noſtro recitentur.

§. III.

Idem modus abbreviatus & parum mutatus.

PErgens ad Templum pro Sacrificio Miſſæ, greſſus tuos offeres Deo Patri, per manus beatiſſimæ Virginis, Dominique Jeſu, in unione greſſuum, quos fecit dulcis Jeſus, dum pergeret ad montem Calvariæ. Offeres autem greſſus tuos, per ſanguinem, cum ſanguine, in ſanguine, Domini JEſu, ex virtute Religionis, ut Sacrificio hoc colas Deum tuum, cultu latriæ, ad optimum guſtum Dei tui. Invitabis Patronos tuos, & Angelos cuſtodes illorum Sanctorum, quorum Reliquias habes, & domeſticorum tuorum, qui domi tuæ ſunt, ut tecum pergant, & Deum optimum, tecum quam ferventiſſime & ignitiſſime colant. Cum perveneris ad Templum, ſaluta Venerabile ſic: Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum, tot laudibus, quot in cœlo ſtellæ, in igne ſcintillæ, in aere atomi, in mari guttæ, in terra pulveres, quot Vere flores, Æſtate grana, Autumno folia, Hieme nives, & grandines, quot corporeæ in univerſo creaturæ, quia dignus es Domine univerſorum. Qui ſub corporeis, Vini, Paniſque ſpeciebus latens, vere Deus abſconditus es. Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum. Tot laudibus, quot ullo opere exhiberi, quot ore proferri, quot corde omnium hominum excogitari unquam potuêre, vel poſſunt. Quia dignus es Tu Domine, Pater Noſter. Qui nos cibas, & potas, quo-

quotidie,quo redempti sumus, semel pretioso Corpore, & Sanguine,quasi agni immaculati. Laudetur Sanctissimum Sacramentum. Tot laudibus, quot omnes Angeli, quot sanctissima Trinitas, sua potentia depromere,sapientia concipere, bonitate optare potest, omni modo, omni loco, omni tempore, in æternum, & ultra. Quia dignus es Tu Domine Deus meus. Qui mihi donas, non tantum Humanitatem, verum etiam Divinitatem Tuam,Domine Deus meus, laudabilis,& gloriosus, & superexaltatus in sæcula, salutato Venerabili Sacramento quam amorosissimè. Recitabis ter; Laudate Dominum omnes Gentes. Post 1. Rogabis Deum Patrem, ut concedat tibi Filium suum, cum illis donis & gratiis, cum quibus illum concessit mundo,dum incarnaretur. Post 2. Rogabis Deum Filium,ut se concedat tibi, cum illis donis, cum quibus se concessit mundo,dum incarnaretur. Post 3. Rogabis Spiritum Sanctum, ut disponat cor tuum, ad digne suscipiendum Filium Dei, sicut disposuit cor B.V. dum illa susciperet Filium Dei. Iterum ad B.V.accedes. V.G. O dulcissima Virgo, dignare offerre merita tua, merita dilectissimi Filii Tui, merita omnium Sanctorum, & electorum Dei,dulcissimo Filio Tuo, ut offerat pro me dilectissimo Patri suo, ut mihi concedat gratiam, digne celebrandi, hoc sanctissimum Sacrificium. O Virgo amantissima,dignare hunc Filium Tuum dulcissimum, (quem nunc offerre intendo sanctissimæ Trinitati) per me, offerre eidem cum illo affectu,quo illum obtulisti, quando illum peperisti, & in templo præsentasti. O Jesu dulcissime, dignare offerre merita tua, merita sanctissimæ Matris Tuæ, & omnium Sanctorum, & Electorum tuorum

rum dilectissimo Patri Tuo, pro me miserrimo peccatore, ut concedat mihi gratiam, digne celebrandi, sanctissimum Missæ Sacrificium. Suscipe illud de manibus meis, & offer illud dulcissimo Patri Tuo, illo affectu, quo Tu illud cruentum obtulisti, in ara crucis, pro nobis miseris peccatoribus. O Pater amantissime, suscipe merita dilectissimi Filii Tui, & merita sanctissimæ Matris ejus, & omnium Sanctorum Tuorum, pro me miserrimo peccatore, & concede mihi gratiam, digne celebrandi, sanctissimum Missæ Sacrificium. Sacristiam ingressus. Pergens ad Altare, collocans in Altari Calicem &c. ut supra. Rediens à Missali ad medium Altare, pone manus supra lapidem, ubi sunt Reliquiæ, dicque: Adjuvate me Sancti, & Sanctæ Dei omnes, quorum ego hic veneror Reliquias, & obtinete mihi apud Dominum, ut à peccatis meis omnibus absolutus, ab omni perturbatione mentis, & sensuum, motuumque meorum inquietudine expeditus, cum ea puritate, humilitate, modestiâ, compunctione, devotionis & dilectionis ardore, tremore & reverentia peragam sanctum hoc Sacrificium, quam divinissimorum, quæ in eo tractantur mysteriorum, celsitudo & excellentia requirit.

Potest hic actus abbreviari.

Inter descensum ad imum Altaris. Confiteor. Osculum Altaris post Kyrie, ut supra.

Lecto Evangelio, dum oscularis librum, dicens: Per Evangelia &c. Elice actum contritionis; Doleo

leo mi Deus, pure propter Te, omni possibili fervore contritionis, quod mandata tua non custodierim, & Te summum bonum offenderim. Osculum Altaris post Evangelium. Panem offerendo. Vinum infundendo. Osculum ante Orate fratres. Ad Præfationem, Consecrationem; ut supra. Ante Elevationem Hostiæ, dum genu flectis adorando illam, dic: Adoro Te, Dominum Deum meum, hic præsentem. O Pater æterne! En offero Tibi Filium tuum dilectissimum, pro N. N. (renova intentionem ad quam sacrificas) In ipsa Elevatione, dic: O Jesu dulcissime! Dirige vincula amoris in cor meum, en habes cor meum pro scopo. Paulatim demittendo Hostiam pro depositione, dic: O Jesu! instanti mortis Tuæ, instanti mortis Matris Tuæ, instanti mortis hodiernorum Sanctorum, commendo Tibi instans mortis meæ, vel nostræ, benedic illis propter illa, miserere illorum propter illa. In secunda genuflexione post depositionem Hostiæ, dic: Hac genuflexione adoratoria, laudo, benedico, & adoro Te, omni possibili fervore laudis, benedictionis, & adorationis, quo te omnes creaturæ adorant, laudant, benedicunt, & benedicere debent in æternum. NB. Hunc Actum elicies in qualibet genuflexione adoratoria.

In prima genuflexione adoratoria Calicis, post Consecrationem statim dic: Salve Nobilissime san-

guis de vulneribus Domini mei Jesu profluens, ablue peccata mea, quibus Te summum bonum offendi.

In Elevatione Calicis. O Pater æterne! En sanguinem dilectissimi Filii Tui, offero Tibi, pro NN. & cum hoc sanguine dilecti Filii Tui, offero tibi sanguinem meum, quem pro te effundere paratus sum. Utinam cum tanto amore, sicut illum Dominus Jesus effudit. Hoc sanguine Tuo dulcissime Jesu, ratum habeo, & confirmo, omne propositum meum bonum, sive votum meum.

Dimittendo Calicem dic: Per hunc sanguinem Tuum dulcissime Jesu, fac me, vel nos, (si pro pluribus sacrificas) Sanctos ad majorem Tuam gloriam. Pie Pelicane Jesu Domine &c.

Pater Noster, Agnus Dei, Orationes ante Communionem, Domine non sum dignus, ut supra. In actu Communicandi, Parumper Jesum amorem tuum tene, & alloquere. Vere dulcissime Jesu, indignus sum, ob peccata & scelera mea, sed major est misericordia Tua, quam iniquitas mea, potentia infinita, qui potes de immundis facere mundos, de peccatoribus justos & sanctos, fretus hac bonitate & potentia tua. Credo omnia, quæcunque credenda proponit, sancta Mater Ecclesia Romana, pro qua, & in qua fide millies mori paratus sum. Spero, quia non rejicies me revertentem ad te, quem quæsivisti errantem. Amo te Deum meum super omnia, & desidero te amare, omni possibili fervore amoris. En habes cor meum pro scopo, dirige jacula amoris tui, in illud, ut te ignitissime amem.

Ex amore tui, doleo de omnibus peccatis meis, omni possibili fervore contritionis, pure propter te, doleo quod unquam offendaris, ab aliqua creatura. Ex amore Tui, omnia Tibi resigno, quidquid habeo, vel possideo, memoriam, intellectum, & voluntatem. Desidero te millies, mi Jesu, quando venies, me lætum quando facies, me de te quando saties, quando erit hæc felix hora, quando te videbo facie ad faciem, millies moriar, dummodo videam Te amorem meum. O Pater amantissime! en Filium Tuum dilectissimum, Tibi in amplexum offero, ut miserearis animæ meæ, & animæ N.N. O Mater dulcissima! en Filium tuum dulcissimum tibi offero, in amplexum, ut intercedas pro me, apud illum, & impetres mihi & NN. hoc NN. O SS. Patroni mëi, adeste mihi, in hac tremenda actione, ne mihi mortem æternam manducem, sed vitam æternam. Impetrate mihi perfectam unionem, cum Domino Deo meo. O dulcis Sponse animæ meæ, veni jam, veni Amor mi, veni, desiderat te sponsa Tua, anima mea, ad Te anhelat, veni, dic animæ meæ, salus tua ego sum. Orna illam gratia sanctificante & finali. Sic ardentissimo corde, & affectu, accipe & sume JESUM amorem cordis Tui. Post Sumptionem; Accede quinque Vulnera JESU, sic: ô Mi JESU! Dulcis sponse animæ meæ, non dimittam Te, nisi benedixeris mihi. Sacratissimo vulneri sinistri pedis

Tui, offero Tibi omnia ſcelera, & delicta mea, quæ commiſi contra Te, Deum meum, ſcelera mea,& delicta illius N.N. conculca, ne unquam reviviſcant, minimam guttulam ſacratiſſimi ſanguinis Tui, mitte ſuper illa, ut deleantur, ne uſquam compareant. Sacratiſſimo vulneri dexteri pedis, recommendo omnes obſtinatos peccatores, & obſtinatos hæreticos, ut convertantur, ne tot animæ pereant. Siniſtræ manus SS. vulneri commendo omnes perſecutores meos, oblocutores, & inimicos meos, concede illis remiſſionem peccatorum, & vitam æternam.

Sanctiſſimo vulneri dexteræ manus, commendo omnes amicos, Benefactores, conſanguineos meos, vivos, & defunctos, Defunctis concede requiem ſempiternam, Vivis remiſſionem peccatorum, quoad culpam & pœnam, eximiam ſanctitatem, & altum Beatitudinis locum in cœlo, defende illos ab omnibus periculis, animæ & corporis. Sanctiſſimo lateri tuo commendo animam meam, ut illam ornes virtutibus ſanctis, vel maxime caſtitate, Amore, humilitate. &c. &c. ut ſim jucundum Objectum tuum. Sanctiſſimo cordi tuo offero cor meum, ut illud accendas, igne amoris tui, Amore tui moriar, qui amore mei dignatus es mori. En Pater amantiſſime! Hic eſt Jeſus, dilectiſſimus Filius Tuus, qui ſe mihi communicavit, & me in ſe convertit. Amo te itaque, amore

re ipſius. Adoro te, adoratione ipſius. Deteſtor omnia deteſtanda, deteſtatione ipſius, cupio quam plurimas animas lucrari, zelo animarum ipſius. Gratias ago pro univerſis beneficiis, ejus Sanctiſſimæ humanitati, Matri ejus ſanctiſſimæ, hodiernis Sanctis, & mihi miſerrimo peccatori conceſſis, gratiarum actione ipſius. Offero Tibi omnes actus ejus Heroicos, & Theandricos, ad majorem guſtum tuum. Sis millies in æternum benedictus. Sis & Tu dulciſſime mi Jeſu, millies, in æternum benedictus, quod me miſerrimum peccatorem, hac miſericordia affeceris, accipe, & redde me, Altiſſimo Patri Tuo. Ego me tibi trado, & offero, & me una Tecum, & per Te, dulciſſimo Patri, Spirituique Sancto, ſuper aram amoroſiſſimi cordis Tui, offero in holocauſtum.

Ante ſumptionem venerabilis Sanguinis. Proximè aſpice Venerabilem ſanguinem, in calice, & amoroſo affectu dic: O Dulciſſime Jeſu! bibam cum hoc ſanguine Tuo dulciſſimo, Amorem tuum. O utinam ſic penetret amor tuus, omnia viſcera & præcordia mea, ut hæ S. Species penetrabunt, ut te ex totis viſceribus, & præcordiis meis, amare poſſim. Jeſu dulcisſime, Sacratiſſima Æterni Patris mamilla, accedo ad te, infans ego, Tu adimple vota, & deſideria mea, Spiritu tuo, ô uber mundi, exhibe Te mihi, lacta me ſucco Tuo, inebria me lacte tuo, ut nutriar & inebrier Te totus, Tu noſti, quoniam tibi ſoli in-

hiat anima mea, Tu noſti, quoniam ſicut oculi, & labia lactentis, ad ubera Matris ſuæ, ita oculi mei, ad te uberrimam æterni Dei mamillam. Poſtea ſume Venerabilem ſanguinem, per tres hauſtus. In primo hauſtu, ſuge guttatim hunc Venerabilem ſanguinem, ex vulnere cordis dulciſſimi JESU, amoris tui, & per illum roga, caſtitatem, puritatem, humilitatem, Amorem Dei & proximi. In ſecundo hauſtu ſuge guttatim ex vulneribus manuum JESU, pete vires & gratiam ad bene operandum. In tertio hauſtu ſuge ſanguinem guttatim ex SS. pedibus Chriſti Domini, roga progreſſum in virtutibus, & gratiam finalem. Sumpto Venerabili Sanguine, interne roga hæc: Sanguine Tuo Chriſte JESU, à peccatis omnibus lava me, & concede, ut anima mea, cum à corpore migraverit, ante Tribunal tuum appareat munda. O Bone JESU! ne deſeras me, in multis anguſtiis, in ſuprema mortis lucta, à qua tota pendet æternitas. Cætera ut ſupra.

§. IV.

Poſt Sacrum.

1. ELicies quinque ſequentes affectus hoc, E.G. modo: Dulciſſime Hoſpes animæ meæ JESU, pro eo affectu, & charitate, qua hoc Sacrificium, atque Sacramentum, in ultima Cœna inſtituiſti, & me ad illud peragendum, ſumendumque admittere dignatus es. 2. Obſecro, ignoſce, quod non debita

bita præparatione, puritate, & humilitate, ad tantum mysterium accesserim. Omnem porrò irreverentiam, distractionem, negligentiam, & culpam, in hujus Sacrificii oblatione, Sacramentique sumptione commissam, dele ac remitte. Supplendo hos defectus, tam positivos quos commisi, quam privativos, ex defectu dignæ dispositionis ortos, actibus tuæ profundissimæ reverentiæ, intensissimæque charitatis, quos tu ipse, in diebus carnis tuæ, circa hoc Sacrificium, Sacramentumque exercuisti, & quos unquam, ex dono tuo, servi tui, huic Sacrificio, & Sacramento addictissimi, exercuerunt, exercent, exercebuntque, usque ad consummationem sæculi, includendo illum ultimum actum, ante diem Judicii exercendum. Quos quidem actus omnes, collectim, & seorsim, singulos, in sua intensione, latitudine, cæterisque circumstantiis, tuis Theandricis actibus, infinite dignis, unitos, offero nunc, ex totis cordis mei medullis, sanctissimæ Trinitati, in supplementum eorum omnium. Quæ mihi defuerunt, petens simul, impedimenta, fructus & gratiæ Sacrificialis, à me removeri. 2. Intro trahe mi JESU, totam hanc Sacrificii actionem, in cor tuum amabile, illamque tui cordis detentione nobilitatem, & dignificatam, offer in gratiarum actionem, impetrationem, satisfactionem, reliquosque fines, quorum intuitu, præ-

præsens hoc Sacrificium obtuli, Sacramentumque sumpsi, præcipue vero ad gustum, & complacentiam æternam, Tuo Patri, Sanctoque Spiritui, nec non ad incrementum specialis gloriæ, omnium Sacerdotum sanctorum, in cœlo regnantium, augmentum vero gratiæ in terris adhuc degentium. 3. Uni me tecum indissolubili, eoque strictissimo unionis vinculo, ad eum, qua possibile est modum, quo Tuæ Humanitati unita fuit Divinitas, in qua subsistebat, movebatur, vivebat, operabatur. Sis tu quoque, mi Jesu, subsistentia, & vita animæ meæ, ut in te, & propter te, anima mea subsistat, vivat, moveatur, agat, & agatur, per Spiritum amabilissimi Tui cordis, in quo vita est, principiumque vitæ meæ. In te solo, mi Jesu, ab hoc momento vivam, ac spirem, magisque anima mea in Te vivat, quem amat, quam in corpore, quod animat, & informat. 4. Transforma me in Te, ut omnis substantia mea pereat in te, nec me inveniam amplius, nisi in te. Nihil sit in me non tuum, non in te transformatum, totus immuter in te, ne me amplius agnoscere possim, totus annihiler, ut tu sis meum esse, & existere. Jesu mi &c. omnia mea. 5. Admitte me, mi dulcissime Jesu! æterna Patris Sapientia, ad ignitissimam, & Seraphicam societatem, amantium, tuam Sacratissimam Humanitatem, sive in terris, sive in cœlis. Hoc autem peto, per cor & animam, maternæ dilectionis Tuæ, nempe Matris Tuæ dulcissimæ, quæ te incar-

natum,

natum , prima & principaliter, & maxime, ſuperque omnes Seraphinos , magis Seraphice dilexit , atque etiam ſub ſpeciebus Panis & Vini omnium maxime adamavit , omnium digniſſime honoravit. Peto hoc etiam per corda , & animas omnium , qui tuam Sacratiſſimam Humanitatem , ardentiſſimo ex omnibus amore , dilexerunt , colueruntque , & potiſſimum ſub ſpeciebus Panis & Vini , vel immolarunt, vel immolatum honorarunt, æſtimarunt , manducaruntque. Peto hoc denique , per iſtam ipſam tuam, ô æterna , increata , incarnataque Sapientia! humanitatem , quam immolavi , & ſumpſi , quam manducavi , ac potavi , cujus præſentia Sacramentali nunc fruor , & uſque ad ſpecierum conſumptionem fruar , ut nimirum , ſim unus ex amatoribus tuis, ignitiſſimis , Seraphicis , inceſſabilibus , neque ab eorum numero & ſocietate excludar unquam, ſive in tempore, ſive in æternitate.

2. Petes augmentum Fidei, Spei , & Charitatis, augmentum Humilitatis &c. ſic: Omnipotens, ſempiterne Deus , da nobis Fidei , Spei , & Charitatis augmentum , & ut mereamur aſſequi quod promittis , fac nos amare , quod præcipis. Deus, qui diligentibus te , bona inviſibilia præparaſti , infunde cordibus noſtris tui amoris affectum , ut te in omnibus , & ſuper omnia diligentes , promiſſiones tuas , quæ omne deſiderium ſuperant , conſe-

qua-

quamur. Deus, cui mansuetorum semper, ac humilium, placuit deprecatio, adauge quæsumus in nobis virtutem humilitatis, ut tibi semper placere possimus. Deus virtutum, cujus est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris, amorem tui nominis, & præsta in nobis, Spiritus augmentum, ut quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita, custodias per Dominum nostrum &c.

3. Reddes rationem Christo Domino, status animæ tuæ, ac vitæ. Adeste omnes sensus mei, vires, potentiæ, partes, occupationes, officia, Dominum Deum vestrum, Amorem meum JESUM, nunc in sanctissimo Sacramento, mihi præsentem, agnoscite, & adorate, oportet enim me rationem vestri Domino reddere, quomodo vobis usus fuerim, ideo enim ille ad me venit, ut videret ordinem domus hujus, & poneret rationem cum servo suo. Ades igitur intellectus, & voluntas, memoria, imaginatio, oculi, aures, lingua, dicta, facta, cogitata, omissa &c. Ecce in tua mi JESU præsentia, statuo & juro custodire judicia Justitiæ Tuæ, adjuva me, gratiæ tuæ efficacis auxilio, ut Tibi sanctissimè, ac ferventissime ad mortem serviam.

4. Petes à Christo Domino, ut loquatur Tibi, & auscultabis verbo ejus. Audiam, quid loquatur in me Dominus meus, loquetur enim pacem in plebem

bem suam, loquetur ea quæ sunt misericordiæ, correctionis, salutis. Ascende igitur dulcissime JESU, Magister mi, cathedram cordis mei, & loquere, quid me velis facere, ecce enim audit servus tuus, & conservare vult, ac conferre omnia verba tua, in corde suo, diligenter & exacte. Legem pium librum.

§. V.

Brevior modus gratias agendi post Missam.

GRatias Tibi ago, dulcissime JESU, toto me, quod volueris descendere ad me, sis millies millesies in æternum benedictus. Gratias tibi amantissime JESU, amor mi, toto me, quod permiseris te tangi à me, sis millies millesies in æternum benedictus. Gratias Tibi ago toto me, centrum cordis mei, dulcedo mea JESUS, quod volueris os meum introire, in lingua residere, & audire preces meas. Sis millies &c. &c. Gratias Tibi ago ô deliciæ animæ meæ JESU, toto me, quod volueris ingredi tuguriolum meum, ô Sponse animæ tuæ dulcissime,

ſime, dic mihi, ubi cubas, in meridie, ubi æſtuas amore mei, accende me, ut amem te, & omnia quæcunque tu amas, amem amore tuo, & quæcunque odio habes, habeam & ego odio tuo. O Sapientia æterna, aſcende Cathedram cordis mei, & doce me amare te, ſervire tibi, glorificare te, diſpone cor meum, & mentem meam, ut ſit dignum habitaculum tuum, ut placeat in me habitare, ut ſim jucundum Objectum tuum. Ah! Utinam ego, & N. videamus Humanitatem tuam, & Matrem tuam dulciſſimam, Dominam noſtram clementiſſimam, oculis corporis quam proximè, oculis mentis, Divinitatem Tuam, & eandem poſſideamus. Utinam ego, & omnes Sacerdotes hic & ubique ſerviamus Tibi fideliſſimè, ferventiſſimè, ut tibi quam plurimas animas lucremur. O Pater per amorem corporis & ſanguinis tui *Filii*. O Fili per amorem corporis & ſanguinis tui proprii. O S. Spiritus per amorem corporis & ſanguinis abs te, in viſceribus ſanctiſſimæ Virginis Mariæ Matris efformati, date mihi, & toti mundo, potiſſimum autem amicis meis, amorem veſtrum perfectum. Indulgete veniam peccatoribus, lucem æternam, oſtendite animabus purgatorii: Inimicis meis privatis & communibus benefacite, date gratiam parentibus & conſanguineis meis, date veſtri cognitionem infidelibus, date ſalutem omnibus, ſubvenite mihi in omnibus operibus meis, neceſſitatibus, tribulationibus, ut vobis in tota

creatu-

creaturarum vestrarum universitate, perfecte serviam, id millies & æternaliter peto, per sanguinem & corpus JESU CHRISTI.

§. VI.

Coronulæ post missam.

SIcut ante Sacrum, sic & post Sacrum, absolve coronulas quatuor parvas, modo superius tradito.

1. Laudetur Sanctissimum Sacramentum.
2. Cor mundum crea in me DEUS.
3. In te Domine speravi.
4. In manus tuas Domine commendo Spiritum meum, ea intentione ut mane in coronula decima.

§. VII.

Recessus à Sacro.

DUm post sacrum domum vis tendere, prius antequam recedas, recommenda Te Venerabili Sacramento sic: O JESU Deus cordis mei, infinite amabilis, totus desiderabilis, esto mihi JESUS, nunc, & in hora mortis meæ, intra mellifluum cor tuum absconde me, nec permitte me in æternum separari à te. Te fruar in vita solatio, in morte viatico, post mortem præmio, & omnes mecum, per lachrymas, sudorem, & sanguinem tuum. Pete benedictionem ut mane, in visitatione Venerabilis. fol. 31. Substitue SS. ut ibidem. Gressus similiter ut ibidem offer, nisi, quod in unione illorum gressuum, quos fecit Beatissima Virgo, visitando S. Elisabeth.

§. VIII.

Modus distribuendi fructus sacrificii Missæ & actionum in eo intervenientium.

MUltiplex Sanctissimi Missæ Sacrificii fructus ac

effectus, in ſex potiſſimum Claſſes dividi commode poſſe videtur, & quælibet Claſſis ſuum ad finem cui, à Sacerdote converti.

In prima Claſſe hæc poni poſſunt. 1. Oblatio ſacrificii in honorem SS. Trinitatis. 2. In ejusdem adorationem, recognitionemque ſupremi illius in omnia Domini. 3. In gratiarum actionem, pro beneficiis cuilibet in Genere, Specie, individuo, creaturæ præſtitis. 4. In repræſentationem atque commemorationem Perſonæ, Geſtorum, paſſionis, inſtitutionisque JESU Chriſti. 5. In honorem B. V. 6. In honorem JESU Chriſti. 7. In honorem Sanctorum tum omnium in genere, tum horum & illorum nominatim, ad arbitrium Sacerdotis, vel juxta diei, aut Officii Eccleſiaſtici indigentiam. 8. Ad intentionem Eccleſiæ univerſalem.

In ſecunda Claſſe poni poſſunt hæc: 1. Fructus impetratorius ex perſona Chriſti proveniens, ex opere operato. 2. Idem fructus ex eodem perſona Chriſti proveniens, ex opere operantis, & quidem fructus triplex. Primus beneficiorum temporalium. Secundus beneficiorum ſpiritualium. Tertius Veniarum. Hæc enim tria beneficiorum genera impetrari ſolent in ſacrificio, ad horumque trium impetrationem offerri ſacrificium poteſt, quatenus eſt ex opere operato impetratorium, imo hic fructus impetrationis applicari poteſt vel debet ei, pro quo offertur ſacrificium, ſi ejus capax ſit. Dixi poteſt vel debet. Quia ſi ſacrificium offeratur pro aliquo ex debito, tunc totus iſte fructus illi debetur, conſequenterque illi applicari debet; dummodo ut dixi capax ſit illius. In mortuos enim impetratorius ſacrificii fructus non cadit &c. Atque hæc

eſt

est illa classis effectuum sacrificii, quæ illi debet applicari, cui Sacrificium debetur; quod etiam dictum volo de 4. Classe, nempe de fructu satisfactorio ex persona Christi, opereque operato proveniente. Si vero offeratur ex liberalitate sacrificium, tum hic fructus triplicium beneficiorum, potest dividi in varios, ita: ut V. G. Sacerdos aliis applicet impetrationem beneficiorum temporalium, aliis gratiarum Spiritualium, aliis veniarum, potest etiam uni ac eidem applicari totus pro arbitrio.

In tertia Classe poni possunt hæc: 1. Fructus Impetratorius, ex persona Sacerdotis proveniens, ex opere operato. 2. Idem fructus ex eadem persona, sed ex opere operantis, & quidem etiam triplex, ut in classe superiore dictum. Qui triplex fructus potest quidem à Sacerdote applicari, etiam ei, cui alias sacrificium debetur, quod absque eo, ex illo debito offertur, non tamen tenetur hoc facere, quia fructus hic, sicut & is, qui in classe quinta ponetur, non est debitus ei, cui alias sacrum deberi supponitur. Et in hoc etiam hæc fructuum classis differt à præcedente.

In quarta Classe poni possent hæc. 1. Fructus satisfactorius ex persona CHRISTI operis operati. 2. Ex Persona ejusdem operis operantis, idque sive pro hujus, sive pro alterius vitæ pœnis. De cujus fructus applicatione, idem sentiendum est, quod supra dictum de fructu impetratorio in secunda classe, illudque præterea de illo sciendum, quod solus ipse debetur animæ defuncti, quando alicui Missa debetur. Præcedentium enim fructuum capax non est defunctus. Sequens vero quintus fructus non debetur illi, esto possit cum ejus utilitate ipsi applicari.

In quinta Classe poni possunt hæc. 1. Fructus satisfactorius ex persona Sacerdotis, operis operati. 2. Ex eadem persona fructus operis operantis, tam pro hujus, quam pro alterius vitæ pœnis. Hic fructus non cadit vi sua sub debitum, (nisi quis se expressè obligat alicui, etiam quoad hunc applicandum) unde potest applicari semper pro arbitrio Sacerdotis, tam sibi, quam alteri vivo, mortuo, capaci tamen, sicut & prior, si non sit debitus, quin etiam potest vivo pars ejus applicari, & pars mortuo, illi pro pœnis hujus; isti pro pœnis alterius vitæ.

In sexta Classe poni possunt hæc. 1. Applicatio indulgentiæ ex privilegio altaris, vel personali vel alicujus numismatis. 2. Applicatio meriti, quod & maximum & multiplex est, & nulli alteri applicari potest à Sacerdote, præterquam sibi soli. 3. Applicatio Orationum seu collectarum, si alias ex vi sacri, non sint alicui debitæ, earumque fructus. 4. Applicatio communionis, seu sumptionis Eucharistiæ. Nisi quis putet esse eam de natura sacrificii, tunc enim de ea aliter esset statuendum, deberetur enim ei, cui & sacrificium deberetur, imo ei censeretur applicata cui sacrificium opinatur Scotus. 5. Applicatio fructus, sive impetratorii, seu satisfactorii, ad Sacerdotem offerentem pertinentis, & semper redundantis in omni Sacro, etiam debito, atque applicato alicui. Nunquam enim Sacerdos digne offerens, pro quocunque tandem offerat, offert absque fructu prædicto. Cujus fructus applicationem, Sacerdos semper sibi ipsi facere potest atque debet. Si quis ex Sacro redundet, aut irritus sit, ideo quod sit in capaci applicatus, aut quod non sit applicatus per incuriam, oblivionem &c. Expedit enim, ut Sacerdos talem fructum omnem, in omnem eventum applicet, semper vel sibi, vel alicui, posset tamen facillimè sibi ipsi semel pro semper.

Juxta igitur iſtas 6. Claſſes fructuum, poteſt â Sacerdote proportionaliter ſervatiſque ſervandis, applicatio eorum dividi varie, absque injuſtitia ulla, magno cum fructu ſuo, & aliorum, quo plerique Sacerdotes, & ipſi privantur, & alios privant, per meram iſtorum vel inſcitiam, vel applicandi negligentiam.

Poſſet vero addi ſeptima Claſſis, non tam fructuum ex ſacrificio dimanantium, quam piæ obſervationis, in Miſſæ celebratione propriorum, & eſt hæc. Ut Sacerdos ſemper, quodvis Sacrum ſuum, intendat offerre, omniaque Sacro connexa facere, affectu Chriſti Domini, & Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, & aliquorum Sanctorum, etiam individuorum, ita, ut cuilibet ſacro alium, aliumque ordinem ſanctorum adhibeat, quorum affectu, præter Chriſtum & Beatiſſimam Virginem celebret, & meritis ſeſe ornet. Hæc enim pietas mirificè & Deum colit, & ſanctos honorat, & Sacerdotem oblaturum, offerentemque ornat, atque acceptabilem & gratum Divinis oculis facit.

§. IX.

Quæ intentiones in quolibet miſſæ ſacrificio haberi à Sacerdote debeant.

SEx aut quinque ad minimum. E quibus 1. eſſe debet honorandi Deum, tanquam principem, & principium vitæ, eſſentiæque tam noſtræ, quam omnium rerum creatarum, conſequenterque abſolutum Dominum vitæ, ac necis noſtræ &c. Hæc intentio eſt, & eſſe debet, invariabi!is ſemper, utiliterque bifariam diſtingui poteſt, ita nt ſacrificium Miſſæ, offeramus

Deo, & affectu adoratorio, intendendo scilicet: per sacrificium adorare Deum, ut Principem & principium omnium atque absolutum Dominum, jure Authoris, & conditoris in creaturam. Et affectu: (ut sic loquar) dignificativo, quo recognoscamus, & honorare intendamus, DEUM, tanquam Ens dignissimum, & tale, cui ratione dignitatis, debeatur honor, & subjectio omnis possibilis, ab omnibus creaturis, etiam cum ipsarum perditione conjunctus.

Secunda intentio est, repræsentandi Patri æterno, CHRISTI cruentum incruentumque sacrificium, meritaque ipsius, eidem offerendi, & per hoc gratiam, Toti universo præcipuè Ecclesiæ, & aliquibus in particulari, obtinendi. Hæc intentio semper esse debet, juxta illud: Hæc quotiescunque feceritis in mei commemorationem facietis.

Tertia intentio est. Gratias offerendi, agendique DEO, pro beneficiis ab eo collatis, sive creaturis in communi, sive beatis in cœlo, sive Ecclesiæ in terra, sive tibi uni, sive certis aliquibus, idque sive rogatus sis, vel obligaris, vel sponte inclinatus sis, ad hanc gratiarum actionem. Hæc intentio, saltem, quatenus nomine Ecclesiæ gratiæ aguntur pro beneficiis, adesse semper debet. Semper enim Ecclesia intendit agere gratias, per hoc sacrificium, DEO pro beneficiis, esto aliquando aliquid aliud videatur velle. V. G. impetrationem doni alicujus, vel auxilium animarum in purgatorio &c.

Quarta intentio est, postulandi gratias & impetrandi, sive nomine gratiarum, intelligantur merita, sive actuales gratiæ spirituales, sive quæpiam alia dona,

etiam

etiam temporalia, ad se, vel ad alios pertinentia.

Quinta intentio est, propitiandi DEUM, satisque faciendi iis, qui aliquas pœnas temporales debent DEO, pro suis peccatis, jam alias remissis, sive is sit ipse sacrificans, sive sint alii vivi fideles, sive etiam mortui fideles, indigentes & capaces, quales sunt animæ purgatorii &c. Hæc etiam intentio semper haberi debet à Sacerdote, non solum in communi Ecclesiæ intento, sed etiam in particulari ab ipso Sacerdote, prout ab ipso sacrificatur atque offertur Sacrificium, ex natura sua propitiatorium, atque satisfactorium, alioque nisi adfuerit hæc specialis applicatio, Virtus Satisfactoria, & Propitiatoria Missæ sacrificii, remanebit magna ex parte inutilis, & inapplicata tantumque defluet ad Ecclesiæ thesaurum.

Hæc intentio applicandi vim Satisfactoriam Sacrificii Missæ, potest fieri, vel ab Ecclesia ipsa, sive à Sacerdote nomine Ecclesiæ, cujus est legatus ad DEUM, vel ab ipso Sacerdote, nomine alicujus alterius, qui Sacerdotem inducit ad sacrificium offerendum, pro suis, vel aliorum vivorum aut mortuorum peccatis ac pœnis.

Intentio Ecclesiæ, applicans vim Satisfactoriam Sacrificii, seu pro vivis, seu pro defunctis, semper est, neque dependet à directione Sacerdotis alia, nisi ab illa sola, qua Sacerdos velit facere quod facit Ecclesia.

Intentio Sacerdotis, sub ejus nomine proprio

vel sub alieno, à quo ad id motus supponitur, non semper est, sed sæpè negligitur per inscitiam atque incuriam, non absque damno eorum, pro quibus vis satisfactoria Sacrificii Missæ, specialiter applicari, vel potuit, vel debuit. Atque hujus rei ratio habenda est diligens ab iis, qui & pro suis, & pro aliorum pœnis temporalibus, hujus alteriusve vitæ, satisfacere volunt. Hæc enim satisfactio efficacior & certior est, quàm indulgentiarum, saltem propter conjunctionem, cum tam nobili actione, qualis est Sacrificii, & cum tam Nobili re sacrificata, quam Nobilis est Christus, ejusque corpus & sanguis. Atque ita benefaciet sacerdos, si sacrificaturus vim satisfactoriam sacrificii, distinctè partiatur, & explicite applicet. Partem communem & Ecclesiæ reservatam his, quibus Ecclesia intendit, applicando, partem verò Sacerdotis personæ cedentem, applicando, vel propriæ personæ, hoc est pro pœnis debitis suis peccatis, vel personæ alienæ vivæ, aut mortuæ, uni vel pluribus, prout cui applicare vel vult, vel debet. Et quia sæpe contingit personas istas, vel non indigere, ut sunt Beati, vel incapaces esse, ut in peccato mortali siti, vel damnati, ideo bonum est, ut Sacerdos dum hanc partem virtutis satisfactoriæ sacrificii applicat, alicui certæ personæ simul applicet, & alteri, atque alteri ex suppositione, si prior non indiget, vel capax non sit, ut in praxi videbimus paulo infra, dum ad hanc methodum aliquot dabimus Sacra. Sit interim nunc applicationis aut intentionis

PRAXIS

Applicandi Sacrificium missæ, ejusque effectus omnes quidem, at præcipue Impetrationis, Propitiationis, Suffragii, ac Satisfactionis.

Actus

ACtus I. Deus Domine meus, Trinitas sanctissima. Pater, Fili, Spiritus S. doleo coram Divina Majestate tua, de omnibus, & singulis peccatis, & negligentiis meis, & doleo, quia tu vis, & dignus es, ut doleam, & quia displicent, repugnantque tuæ Bonitati Divinæ, quam amare super omnia, æstimareque debui, quam nunc æstimo, ac cordialiter amo, ac amare, & super omnia æstimare, semper deinceps volo, pro commissis peccatis, deinceps, juxta mentem & gratiam tuam satisfacere, eaque semper, & in æternum diligenter cavere. Nunc verò hunc contritionis, & dilectionis tactum, offero pientissimæ Majestati tuæ, ad tuum beneplacitum & fructum animæ meæ, ad disponendum me, digne immolando Sacrificio, & sumendo SS. Tuo Sacramento, ad quod accedere propono &c.

2. Domine DEUS, plena voluntate volo, & statuo Magnificentissimæ Bonitati, & Majestati Tuæ, omnia, quæ vis & scis, à me, Tibi aliquando offerenda, offerre Sacrificia [vellem etiam oblata hactenus, si fieri posset] nominatim verò istud, ad quod accedo sacrificium, volo inquam millies, & statuo, Tibi pientissimo offerre Domino, imò jam de facto offero, omni ratione, modo, gradu, intentione, applicatione, intensione, excellentia, motivo, puritate, dispositione, qua tu scis, vis, das, hic & nunc, juxta gustum Sanctissimi beneplaciti tui, mihi misero posse.

3. Offero tibi Sacrificia omnia, & singula, & nunc pro semper, & hoc præsens, nominatim, tanquam opus Virtutis supernaturalis, & tanquam meritorum, & tanquam impetratorium, & tanquam satisfactorium. Offero tibi illud, tanquam actionem, ex se, suaque natura, excellentissimam, atque ad Te solum honorandum, adorandumque natam & ordinatam. Offero tanquam oblativum & sacrificativum Tibi, in recognitionem

absoluti, pleni, & universalis Dominii tui, in creaturas, & simul in recognitionem debitæ tibi, ab omnibus creaturis, semper, & ubique omnimodæ subjectionis ac servitutis. Offero illud tibi, tanquam immolativum, oblativumque muneris, & se dignissimi, nempe Domini ac Dei hominis JESU CHRISTI, Tibi Deo Domino, per omnia, ac super omnia, gratissimi, acceptissimi. Offero illud, tanquam debitum Tibi, non tantum ratione dominatricis omnipotentiæ, & in omnia supremum jus habentis potestatis tuæ, sed etiam hoc per impossibile excluso, ratione supremæ eminentissimæque dignitatis, honorabilitatis, æstimabilitatis, appretiabilitatis tuæ, propter quam solum, omni honore possibili dignus es, quia dignissimus & dignissima dignitas es. Offero illud tibi, tanquam excellentissimum orandi, omnesque gratias à te impetrandi modum. Offero tanquam supremam, nobilissimamque tibi, pro omnibus beneficiis tuis, cuicunque, quandocunque, præstitis, gratias agendi rationem, tanquam novam, & efficacem Tuæ beneficentiæ, ad nobis de novo benefaciendum, provocationem.

4. Offero Tibi, Domine Deus meus, tua omnia, à me, quandocunque peragenda, (vellem, quantum ex me est, etiam ab aliis Tibi, unquam, vel uspiam offerenda) sacrificia, tum imprimis, præsens istud, ad quod accedere propono sacrificium, quatenus est, vel commemorativum rerum à Christo Domino in carne possibili gestarum, vel repræsentativum omnium, tam actionum, quàm passionum, & præcipuè duorum illorum, incruenti & cruenti, sacrificiorum, ejusdem Domini nostri Jesu Christi, vel quatenus est allegativum pro nobis, applicativumque nobis meritorum à Christo apud te, propter nos, acquisitorum. Vel quatenus est exacti-

ctivum fructus illius, quem nobis apud te Christus Dominus meruit, & quem à te nobis dari, tua divina justitia, erga Filium tuum, quem tibi Deo immolamus, exigit. Vel, quatenus est ejusdem Domini nostri JESU CHRISTI, sive sacrificatum, ut gratissimæ tibi victimæ, sive Incarnativum, ac Incarnati Dei reproductivum, sive ejusdem, tanquam cibi, potusque nostri, in regali Convivio apparativum, sive denique ejusdem in Sacramento, à nobis propter sanctificationem nostram, manducatione reali recipiendo, depositivum, vel quatenus est excitativum, in amabili corde Domini nostri JESU CHRISTI, liberalitatis, ejus erga nos, illiusque fiduciæ, quam habet in gratia, qua super omnes plus pollet apud Te Patrem æternum, & valet nobis obtinere, omnis generis, copiosissimas gratias à te, vel quatenus est gratiarum actorium, eidem Domino nostro Jesu Christo, pro omnibus ejus erga nos beneficiis ac meritis. Vel quatenus est ipsius Christi, condignè honorativum, eminentissimoque modo, qui cogitari potest, imo, quem ipse Christus, sapientia æterna excogitavit, excogitatumque nobis ministris, ac Sacerdotibus suis communicavit, venerativum. Vel, denique, quatenus est novæ cujusdam, seu accidentalis gloriæ, gaudiique in Christo Domino Deo-Homine provocativum, per hoc, quod dum istud sacrificium, nos viles homunculi peragimus, salutem nostram, eo ipso multifariam, efficacissimè, dignissimèque apud te Patrem gratiarum, atque salvationis fontem, quem ille solum sitit, semper, & quo pascitur, jugiter operamur atque promovemur.

Offero quoq; tibi Domine Deus meus, mea omnia & aliorum sacrificia, præsensq; istud comprimis, quatenus

in eo, Sanctorum tuorum pia habetur memoria, preces & merita illorum, apud Te allegantur pro nobis: Tibi in eis, ac illis in te, honor & laus impenditur, fit eis gratulatio donorum omnium, abs te, in eos effusorum, Tibi pro omnibus, cumque omnibus illis, gratiæ condignæ exhibentur. Nos servi tui, adhuc in vita ista laborantes, eorum præsidio, hic impetrato, magis adjuvamur, gratiores in oculis tuis efficimur, in Orationibus, votisque nostris promptius exaudimur, ad eorum imitationem alacriores reddimur, ipsos deniq; Sanctos, amicos tuos accidentali aliquo gaudio cumulamus, & dignissimè, imò digniori quam quo alio modo possumus, colimus, ac veneramur. Quod quidem specialiter, ac nominatim facio, in memoria dulcissimæ Virginis Mariæ, Sanctorum hodiernorum omnium, Sanctorum, NN. Patronorũ omnium meorũ, Sanctorum, qui gratia devotionis, ac reverentiæ erga sanctissimum Sacramentum, Sacrificiumque excelluerunt, sanctorum Sacerdotum omnium.

6. Offero tibi, Deus meus, hoc, vel quodvis aliud, à me, vel ab aliis tibi offerendum Sacrificium, in persona Domini mei Jesu Christi. Filii tui dilectissimi, qui hujus Sacrificii, primus, principalis, ac ultimatus est oblator, simulque apud te, pro nobis, & cunctis necessitatibus nostris, gratissimus, ac per hoc, gravissimus interpellator, efficacissimusque, ac indubitatus impetrator. Offero etiam, in persona Ecclesiæ, cujus ego indignus sum actor, atque legatus, internuntiusque apud te. Offero & in persona mea propria, privataque, indigna illa quidem ex se, sed ex eo, digna tamen, quia me sacris adstare altaribus tuis ministrum, & gratia, dignitateque Sacerdotii tui, ornare voluisti. Offero etiam in persona, tam in communi, quam in particulari, omnium eorum, quorum vice ac nomine soleo, debeo,

beo, ac intendo, hic & nunc, illud Tibi offerre, vel qui Tibi illud offerunt, pro se suisque omnibus necessitatibus, animæ & corporis, juxta purum beneplacitum tuum, & juxta debitum meum, juxta intentum eorum, quorum personam sustineo.

7. Offero tibi, Domine Deus meus, hoc & quodvis aliud Sacrificium, à me, vel aliis tibi aliquando offerendorum, ad te Deum nostrum Christum Redemptorem, dulcissimam Virginem Mariam, Sanctosque omnes, Angelos & Homines, juxta cujusque gradum honorandos, colendosque, pro nunc, & pro semper, meo & totius universi creati, præsertim Hominum nomine, gratissimè, dignissimè, fidelissimè, efficacissimè. Offero deinde, ad Ecclesiæ regimen, sanctificationem, defensionem, instructionem, profectum, ad multiplicationem, & augmentum in ea bonorum ac justorum, ad aversionem calamitatum publicarum, diminutionemq; peccatorum, atque peccantium. Offero præterea, ad obtinendos à te Deo nostro affectus, fructusque omnes, ex sanctissimo Sacrificio derivari possibiles, sive ii deriventur ex persona Ecclesiæ, sive ex persona Sanctorum tuorum, sive ex persona Sacerdotum. Item sive deriventur per modum opus operati, per modum opus operantis, juxta exigentiam justitiæ, aut dispositionis, & gratiæ, juxta cujusque circumstantiæ mensuram & efficaciam, juxta naturam meriti, & juxta condignum, congruumque omnis virtutis, cujus actus aliquis in toto Sacrificio Missæ, à Christo, ab Ecclesia, à nobis Ecclesiæ ministris, exercetur, ac tibi Deo nostro exhibetur.

8. Offero tibi, Domine Deus meus, hoc sacrificium, pro Justis tuis omnibus, quos nunc habet militans Ecclesia: Da eis Domine, propter hoc sacrificium, augmentum gratiæ sanctificantis, quatenus per illud dari

potest.

poteſt. Da eis, Domine, abundantiam gratiarum actualium, piarumque inſpirationum, quibus efficaciter in te excitentur, à vitiis avertantur, & in perfectione virtutis atque ſanctitatis oblectati, confirmentur, ac ſolidentur. Da eis Domine remiſſionem culparum, & pœnarum culpis debitarum, in quantum eis obligati ſunt. Da eis Domine, omnis generis bona, beneficiaque voluntati tuæ placita, illis autem ad ſalutem animæ ac corporis, in hac & altera vita neceſſaria. Ob quod Domine Deus, hæc dum peto, non in mea, ſicut neque in ipſorum juſtorum perſona, tantum peto, ſed in perſona Eccleſiæ tuæ, imprimis autem in perſona JESU CHRISTI Domini noſtri, tibi ſupplico, Tu pro tua voluntate, miſerere omnium, ſicut ſcis, & vis, & potes.

9. Offero tibi Domine Deus, hoc ſacrificium, pro omnibus his, quibus Sacrificium, aut ſacrificii fructum debeo quemcunque, ut per hoc, nunc, debita mea, iis per diſpenſationem voluntatis tuæ ſuppleantur, debitaque mea, erga illos, conferantur à me.

10. Offero tibi, Domine Deus, hoc ſacrificium, pro omnibus in ſtatu peccati conſtitutis, excommunicatis, infidelibus, & quomodolibet extra charitatis, gratiæque tuæ ſinum, exiſtentibus, in quantum illi capaces ſunt, efficaciæ hujus ſacrificii, Divino nomini tuo oblati. Da eis Domine gratias prævenientes, neceſſarias, efficaces, ut eis excitentur, utantur, convertantur, agant pœnitentiam, & ad veniam, gratiamque tuam perveniant, ſecundum beneplacitum providentiæ tuæ.

11. Offero tibi, Domine Deus, hoc ſacrificium, pro fidelium tuorum, in tua charitate defunctorum, animabus indigentibus. Da eis Domine indulgentiam, & fac eas lucis tuæ beatitudine perfundi. Miſe-

rere

rere Domine omnibus primò animabus, quatenus eæ sunt membra Ecclesiæ tuæ, & quidem viva, valde autem indigentia. Miserere Domine illarum animarum, vel illius animæ, pro qua, vel pro quibus specialiter offero Tibi Sacrificium præsens, seu fructum ejus, in quantum eis competit, illæque capaces sunt, aut si non sint, aliis eorum loco &c. Miserere etiam iis, quibus specialiter obstrictus sum, absque tamen priorum diminutione. Miserere majoribus, Parentibus, consanguineis nostris, secundùm quod nosti à me id intendi. Miserere iis, qui ex amicis, benefactoribus, familiaribus, intimisque meis, mihi olim, in te, & propter te, amore conjunctis, in pœnis purgatorii detinentur. Miserere omnium, qui de clericis nostris mortui sunt, & præsertim eorum, cum quibus specialiorem conjunctionem, revelationemque in hoc statu habui. Miserere eorum, qui de clero ultimò, aut Orationibus nostris commendati sunt, vel qui ultimò defuncti sunt, vel pro quibus orarem, si mortuos esse scirem, vel pro quibus suffragia tardant venire, vel indici negliguntur. Miserere Sacerdotum ac Religiosorum omnium, ac præcipuè Archidiaconatus, aut Decanatus nostri, (si Religiosus) Provinciæ nostræ, præcipuè eorum, qui in Curia pro mortuis juvandis negligentes fuêre. Miserere animabus, omnium operariorum Ecclesiæ, quique in obsequio animarum Tibi Deo lucrandarum, operam aut vitam posuerunt. Miserere animarum ab omnibus desertarum, neque intercessores particulares in hac vita habentium. Miserere earum, quæ aut patiuntur graviùs, aut passuræ sunt diutiùs, aut quarum instat hora, & instans liberationis. Miserere his, quarum corpora, seu in hoc templo, seu in vicinia sepulta sunt,

quique

quique ideò hic ſepulti ſunt,ut animæ ipſorum ſacrificiorum, quæ iſthinc fiunt participes fiant. Miſerere his,qui aut Clero noſtro, aut mihi privatim,errore,ſive malitiâ, infenſi, inimici, æmuli, adverſarii, aut nocumento fuerunt. Da eis Domine omnibus & ſingulis requiem, & locum indulgentiæ, ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm beneplacitum, ſanctiſſimæ voluntatis tuæ,& ſecundùm Jeſu Chriſti Filii tui, quem in hoc ſacrificio tibi immolo,meritorum,& gratiæ apud te, multitudinem, perſonæque dignitatem.

12. Offero tibi Domine Deus meus Sacrificium hoc, pro omnibus & ſingulis pœnitentibus meis,atque in Spiritu S. filiis, præteritis & futuris, pro iis, qui me in ſuis Sacrificiis & Orationibns ſpecialiter Tibi Domino meo, communiter recommendant, quos omnes viciſſim, ego tibi, nominatim & impensè commendo, efficacemque gratiam tuam in omnibus,per efficaciam Sacrificii hujus peto, juxta cujusque illorum indigentiam, & tuam voluntatem, atque ordinationem.

13. Offero etiam pro omnibus,qui aut miniſtrant, aut aſſiſtunt, aut aliquo modo cooperantur huic ſanctiſſimo Sacrificio, adſunt, illudve audiunt, vel pro ſe offerri deſiderant, vel aliquomodo, ad ejus peractionem concurrunt, aliquid ſumptu, opera,induſtria, miniſterio, devotione, oratione, ad ejus digniorem celebrationem, & oblationem conferendo, vel elaborando. Da eis omnibus & ſingulis, juxta quod capaces ſunt, ac merentur, citra damnum cujusque tuas miſericordias & gratias, quibus in corpore & anima foveantur, atque beneplacito tuo, digniores repræſententur.

14. Offero tibi, Domine Deus meus, Sacrificium hoc, pro omnibus, totius mundi, præcipuè autem totius

tius Ecclesiæ hominibus, & statibus, & necessitatibus, in genere, & in particulari, præcipuè verò, pro statibus, & hominibus, Regni, Civitatis, & loci istius, ut eos, juxta cujusque apud Te meritum, indigentiamque, adjuvare, protegere, ac eorum misereri, propter JESU Christi in hoc sacrificio immolandum merita, propterque ipsius sacrificii valorem, ac aqud te pretium, juxta voluntatis tuæ beneplacitum, digneris.

15. Offero Tibi DOMINE DEUS meus hoc sacrificium, sicut & omnia alia, ubivis locorum, hodie, vel omni tempore, à me, vel quocunque habenda, pro me paupere, infirmo, indigno servo Tuo, da DOMINE DEUS, mihi servo Tuo, si peccator, & extra gratiam Tuam positus sum, ut esse statim desinam, & in amaritudine cordis mei, peccata mea, ignita, & ardenti charitate Tua, efficaci contritione, atque exaltatione meritorum JESU CHRISTI, participatione, & gratiæ Tuæ efficacis applicatione, ac operatione, misericordiæ tuæ, ineffabilis, & inexhaustæ conditione, expiem, emendem, doleam, Filius Tuus efficiar, amicitiæ tuæ, & gratiæ reddar, hæreditati Tuæ restituar. Da mihi veniam omnium peccatorum, tam mortalium, quàm venialium. Da eorum voluntariam, semper devitationem, da veniam & indulgentiam pœnarum omnium, peccatis meis debitarum. Da mihi gratiam, auxiliorumque Tuorum illuminantium, inflammantium, delectantium, assiduam copiam, & da in eo statu atque gradu, in quo scis, me illis usurum, neque steriles ac infructuosas esse, per negligentiam meam permissurum. Da mihi si justus sum, ut justificer adhuc, & per hoc sacrificium Tuum (quatenus, illud, hujus efficax effectus est) in gratia Tua sanctificante, magnum, Tibique placitum, & à voluntate Tua, mihi destinatum incremen-

tum. Da mihi, Domine, eam meritorum copiam, quam per hoc ſacrificium me obtinere, attentis omnibus, in eo merendi fontibus ac diſpoſitionibus, Tu vis, & poſſibile eſt. Da mihi ea omnia, quæ hoc ſanctiſſimum Sacrificium in me efficere poteſt, ſub quacunque conſideratione & conditione, à me peragitur, ſive ex opere operantis, ſive ex opere operato, ſive per modum ſuffragii & impetrationis, ſive per modum ſatisfactionis, ſive prout fit à me in perſona Chriſti, Eccleſiæ, mea, vivorum, mortuorum, ſive prout fit à me, in honorem tuum, Chriſti Domini, beatiſſimæ Virginis, ac Sanctorum, ſive prout fit à me, in bonum Eccleſiæ, meum, aliorum vivorum, mortuorum, ac cujuſcunque creaturæ. Sive prout fit à me, in quacunque alia nota, ignotavê, grata autem tibi, atque placita conditione, menſura & circumſtantia, citra cujuſquam, cui aliquid debeo, precum ac ſuffragiorum, fructuumque, ex ſacrificio dimanare, aptorum præjudicium atque detrimentum. Da mihi Domine, per hoc Sacrificium diſponi, quàm optimè, ad omnem, omnis per me, vel per alium quemvis oblati, offerendive ſacrificii fructum, nominatim autem ad hunc, ut ſecundùm dignitatem, ſacrificii hujus, & ipſe ſacerdos efficiar, ſemperque permaneam. Da mihi omnia, quàm maxima dona tua, per quæ, quàm maximè tibi placeam, juxta eam menſuram, juxta quam, me tibi placere, ſuaviſſima, omnipotens, amans mei voluntas tua, ab æterno efficaciter prædeſtinavit. Da denique eos omnes, mihi fructus Sacrificii mei, tam iſtius, quàm cujuslibet alterius, qui à me vel ab aliis dirigi negliguntur, incertos, tibique placitos fines, ut iis, dante te, ac ditante diteſcam, & creſcam, & in divitem gratiæ ſervum, apud te, qui es gratiarum fons, gratiarumq; tuarum æſtimator, & augmentator evadam.

16. Of-

16. Offero Tibi DOMINE DEUS meus hoc sacrificium, & omnia alia, ratione jam sæpius prædicta, & ad hoc, ut benedicas mihi, in omnibus necessitatibus meis, spiritualibus, corporalibus, officialibus, quas tibi omnes, in genere & specie, juxta cujusque indigentiam, recommendo, eisque ex hoc sacrificio, benedictionem postulo.

17. Offero & omnes alias intentiones, aliosque fines, ad quos Sacrificium offerri meritorie à me potest, & te volente dignum est, nominatim autem ad hunc unum, ut isti omnes, quos hactenus coram divina tua Sapientia aut voluntate proposui fines, fructusque, efficaciter, sine impedimento & rationabili ullius damno, obtineantur, effectum suum habeant apud te, & apud nos, ad gloriam tuam, & salutem omnium nostrum.

18. In quem finem, advoco tuam, Deus meus, in substantia unitatem, in personis Trinitatem; Advoco omnitudinem, dignitatem, sapientiam, amorositatem, justitiam, charitatem, providentiam, misericordiam atque voluntatem. Advoco principalem & originariam Dominatricem, absolutam, & inde pendentem Naturam, Potestatem, Libertatemque tuam. Advoco Jesum Christum, tuum & Virginis Filium, cum omnibus ejus Substantiis, Persona, Gratiis, Meritis, Donis, Passionibus, Virtutibus, & apud te Deum, prærogativis, sive Justitiæ, sive misericordiæ, sive gratiæ, sive liberalitatis. In specie verò advoco illum, quatenus est Sacrificium nostrum, pro nobis, in honorem tuum, DOMINE DEUS noster. Advoco pretiosissimam Virginem MARIAM, cum tota ejus, quam apud te habet, prærogativarum mensuram.

Advoco Achangelos, Angelos, Sanctosque omnes Tuos, eorum gratias, merita, virtutes, & glorias, ac intercessiones, nominatim advoco, & interpono, Jesum Christum, quatenus ejus sacrificii est principalis Sacerdos, ac Hostia vera, & te digna. Advoco Beatissimam Virginem Mariam, omnium Sacerdotum Reginam. Advoco omnes sanctos Sacerdotes. Advoco omnes sanctos, sanctissimo sacrificio, specialius, insigniusque devotos, & addictos. Advoco omnes sanctos, templi hujus quacunque ratione Patronos. Omnes Angelos, altarium, & præcipue hujus, in quo immolaturus sum præsides. Omnes sanctos, quos Ecclesia, in Missæ sacrificio, ordinariè, ac nominatim invocat. Advoco sanctum, cujus hodie festum Ecclesia recolit. Advoco sanctos diei hodiernæ omnes. Advoco sanctos quoscunque, & quacunque ratione, meos Patronos, sive ex nominis, sive ex Religionis, sive ex Patriæ, sive ex Ecclesiæ, sive ex devotione, sive ex reliquarum apud me asservatione, sive ex speciali mea erga illos illorumve erga me affectione. Advoco sanctos, quorum reliquiæ in hoc altari sunt reconditæ. Hos omnes, & alios quoslibet, & quos Tuæ Divinæ Majestati, & beneplacito, mihi auxiliares esse placet, invito; iisque me recommendo, ac ut mihi, tam in hujus præsentis, quam in cujuslibet alterius sanctissimi Sacrificii oblatione, adesse, meque adjuvare, dignentur. Tota devotione mentis, tota prostratione cordis, tota fidei, spei, amorisque latitudine, invoco. Protestor autem Domine Deus meus, me in hac, & in omni alia, ad hoc, vel ad quodvis aliud, deinceps Sanctissimum Sacramentum dispositione nihil aliud, nihil omnino, ne meritum quidem meum, aut gratiæ augmentum, nisi, in quantum Tibi Deo, Domino meo placitum est. Nihil inquam meum privatum, ac quatenus meum, præ-

prætendere, ac sperare, ac desiderare, sed solum tuum beneplacitum, solam gloriam, solam dignitatis Tuæ exaltationem, in quantum hoc Voluntas Tua vult & desiderat, & apprǒbat. Protestor deinde me hac omni, (qualis qualis est, ex gratia autem Tua, totum est) dispositione, ejusque contentione, intendere velle, & sperare, & rogare, ut per eam disponar, quam dignissimè, non tantùm ad sacrificium, ut sacrificium est, sed etiam ad omnem aliam, in sacrificio contentam actionem. Nominatim verò, & præcipuè, ad consecrationem, & ad sumptionem, sive manducationem corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, in ea mensura, efficacia, præparatione, intensione, extensione, in eoque gradu, in quo Tu Deus dignus es, in quo Tu vis, in quo Tu das, Tibi in Trinitate, & Unitate, æterna gloria, super omnia Amen.

Praxis eadem contracta.

OFfero Tibi Domi Deus meus, tam hoc, quàm omne aliud sacrificium, quod nomini Tuo, in Ecclesia Tua sancta, ritè oblatum est, offertur, & ego nunc offero, offeramque', ad laudem Tuam, ad gloriam Christi, ad cultum & Honorem Sanctorum, ad auxilium Ecclesiæ Tuæ, ad sublevationem necessitatum nostrarum, & nominatim mearum, spiritualium, corporalium, officialium, memento tam vivorum, quam mortuorum fidelium, eorum præsertim, pro quibus orare soleo, debeo, intendo, qui pro me orant, pro quibus Tu à me orari vis, memento omnium istorum, & sacrificii hujus valorem, omnibus, juxta gustum voluntatis Tuæ, & debitum voluntatis meæ dispensa. Da tibi gloriam, honorem exaltationem & gratiarum actionem,

nem, Sanctis tuis, laudem & incrementum gloriæ, Ecclesiæ dilationem vivorum, per omnes status & gradus, gratiam & auxilium animabus purgatorii, solatium & refrigerium. Mihi omne, cujus ex hoc sacrificio (absque ullius damno) capax sum, & quovis modo derivari super me potest, meritum gratiæ actualis. efficacis & congruæ copiam, & in sanctitate, finalem perseverantiam, juxta proportionem operis operati, operis operantis, juxta impetratoriæ & satisfactoriæ efficaciæ latitudinem, juxta dispositionis meæ, tam habitualis, quam actualis, quàm ex gratia tua, mihi tu largiri dignaris, tibi gloria & gratiarum actio, & plenissima æternaque subjectio in sæcula, Amen.

§. X.

Formula faciendi; Memento ante Sacrum.

MEmento igitur Clementissime Pater, per paterna infinitæ misericordiæ viscera, per infinita dilectissimi Filii tui, quem pro nobis olim oblatum, nunc denuò offero merita, per eximia Beatissimæ Virginis Matris ejus, & omnium Sanctorum unquam, tibi exhibita obsequia, imprimis Ecclesiæ tuæ sanctæ, ejusdem Filii tui sponsæ, quam acquisivit sanguine suo, præcipuorum ejus membrorum, summi Pontificis, Episcoporum, Prælatorum, Pastorum animarum, Imperatoris, Regum, Principum, Magistratuum, omniumque, qui maximè possunt gloriæ tuæ, & saluti animarum propagandæ, prodesse, vel obesse, toto orbe terrarum, dilatando, coadunando, gubernando, protegendo, exaltando, sanctificando, absque macula, & ruga conservando, ut per eam, & in ea, perfectè,

ab omnibus glorificeris, in æternum, hos tuos in terris Vicarios ac Miniſtros, viros, ſecundùm cor tuum efficiendo, zeloque gloriæ tuæ, & ſalutis animarum inflammando, ut & ipſi, corde perfecto, omnes voluntates tuas faciant, ſubditosque ſibi, verbo, exemplo, conſilio, imperio & auxilio, ad idem inducant. Miſerere deinde omnium Statuum Eccleſiaſticorum, Religioſorum, Sæcularium, præcipue ſtatus Apoſtolici vel Ordinis, vel congregationis, vel ſocietatis. Omnium ejus Superiorum, membrorum, amicorum & inimicorum, omniumque eorum, quos horum opera vis converti, inſtrui, in via ſalutis promoveri, omnes & ſingulos, copioſæ gratiæ tuæ radiis illuſtrando, & ſinceræ charitatis tuæ flammis accendendo, ut omni humano reſpectu ſemoto, cujuscunque ſint ſtatus & ordinis, ſeſe invicem, tanquam fratres, & filios tuos chariſſimos, intime diligant, mutuis officiis juvent, exemplis excitent, non quæ ſua ſunt, quærant, ſed ad unicam tuam gloriam & animarum ſalutem promovendam, unanimiter conſpirent. Memento item, & miſerere omnium, pro quibus ſingulariter orare teneor, Parentum, Fratrum, Sororum, Conſanguineorum, Benefactorum & Amicorum meorum, omnium, qui ſe mihi commendarunt, qui me contriſtaverunt, & quos ego contriſtavi, offendi, & juvare neglexi, eorumque, quos per me indignum, vis juvari, & in viam ſalutis dirigi, omnium innocentum, in gratia conſtitorum, bona deſideria habentium, agonizantium, itẽ infirmorum, tentatorũ, afflictorum, captivorum, omnibus & ſingulis, copioſos tuæ miſericordiæ theſauros aperiendo, clementer eorum neceſſitatibus ſubveniendo, piis deſideriis aſpirando, auxiliumq; gratiæ tuæ præſtando, ut à peccatis liberari, bonis operibus abundare,

Te æterna charitate diligere, tuoque in omnibus ſanctiſſimo beneplacito, ſe in vita & morte conformare poſſint. Miſerere præterea, ô Pater miſericordiarum, tot miſerorum, peccati lethiferi laqueis conſtrictorum, impœnitentium & obſtinatorum, tot in denſis ignorantiæ, ſchismatis, hæreſeos, perfidiæ, & infidelitatis tenebris, pereuntium, benignè eos miſericordiæ tuæ oculis reſpiciendo, ſolis juſtitiæ radiis illuſtrando, dulcedine gratiæ tuæ emolliendo, ad gremium Eccleſiæ tuæ revocando, atque ad oſculum pacis admittendo, ut & ipſi agnoſcant, timeant, & diligant te, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, æternumque glorificent. Miſerere denique animarum omnium fidelium defunctorum, in virtute hujus ejuſdem pretioſiſſimi ſacrificii, rore clementiæ tuæ, ardores earum temperando, eiſque locum refrigerii, lucis, ac pacis indulgendo, ut à peccatis ereptæ, & optatiſſima dulciſſimi vultus contemplatione, potitæ æternum te pro me ardentiſſimè ament, benedicant, laudent & ſuperexaltent in cœlis, cui ego tam tepidè & imperfectè ſervio in terris. Horum inquam omnium, miſerere, & mei imprimis, tam ingrati peccatoris, tam indigni ſervuli, tam prodigi filii, per paterna viſcera tua, per merita dulciſſimi Filii, B. V. Matris ejus, & omnium Sanctorum, gratiam largiens, ut te tota virtute, gratis propter Te, ſuper omnia diligere, tuumque ſanctiſſimum beneplacitum ſemper & conſtanter, exequi valeamus. Nunc ſemper æternum.

Formula alia.

CUpio & intendo, ſumme & æterne Deus, per hoc ſacrificium laudis, laudare, benedicere, ſanctificare, glorificare ſanctum nomen Majeſtatis tuæ, ſicut illud

illud laudant, benedicunt, sanctificant & glorificant, omnes Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, Cherubim & Seraphim, & omnes Sancti, & electi tui, sive qui in cœlis jam tecum regnant, sive in terris adhuc nobiscum degunt. Horum omnium & singulorum, corde uno, & affectu, præsens sacrificium offerre tibi Deo meo, vivo & vero volo, imprimis in holocaustum suavitatis, propter magnam & incomprehensibilem gloriam Divinitatis tuæ, deinde, in gratiarum actionem, pro universis beneficiis tuis, in totum genus humanum, & omnem creaturarum universitatem, collatis: & nominatim, in pretiosissimam Jesu Christi humanitatem, in gloriosissimam semper Virginem Dei Genitricem Mariam, in N.N. [nomina Patronos tuos] aliosque Patronos meos & electos tuos, quæque in eos omnes, quorum reliquias porto, quorum hodie in Ecclesia Tua memoria habetur, tum vero, & pro beneficiis illis, quibus me indignum, in mea infantia, pueritia, adolescentia, juventute, ad præsens usque momentum donasti, quæque in meos Parentes, Fratres, Sorores, propinquos, benefactores, amicos sodales & inimicos, vivos & defunctos, contulisti, sed & offero tibi hoc sacrificium in hostiam expiationis & satisfactionis, pro innumeris peccatis & offensionibus meis, ac imperfectionibus (si Religiosus es) in sæculo, & Religione, cogitatione, verbo, opere, omissione, commissis, & pro peccatis totius mundi. Memento Domine famulorum famularumque tuarum Parentum meorum, tam carnalium, quam spiritualium, qui me tibi, (si Religiosus) & Religioni genuerunt, N. N. quique mihi exemplo & verbo ad Bonum adjumento fuerunt. Memento superiorum meorum N. N. Præceptorum N. N. Confessariorum N. N. quique aliquando mecum vixerunt,

quibus ego aliquando ſcandalo, malo exemplo, & ædificatione fui. Memento & eorum, qui apud me, ſuas aliquando conſcientias aperuerunt N. N. qui ſe meis Orationibus commendarunt N. N. quibus ego meàs preces, ad memoriam ſpopondi N.N. Quique in me, (ſi Religioſus) inque hanc Religionem, benefici ſunt N. N. qui meo odio vel ignorantia aliqua perſequuntur N.N. quique denique, intra hoc ſacrificium, ad quod accedo, Tibi vero Deo, vota ſua & deſideria exprimenr. Da vivis gratias tuas prævenientes, quas noſti, ſaluti eorum neceſſarias. Mortuis verò da rogo remiſſionem pœnarum, culpis anteactis debitarum, vitam æternam & locum indulgentiæ. Oro etiam Domine pro iis, qui ſe mihi aliquando commendarunt, vel quibus decedentibus adſtiti, qui non habent, per quos juventur, & ab omnibus ſunt derelicti, qui ſunt in puncto liberationis, qui in morte luctantur, vel intra tempus hujus ſacrificii decedent. Memento etiam Domine animarum in purgatorio, pro quibus orare tibi gratiſſimum &c. &c. Reſpice ergo clementiſſime Pater, in faciem Chriſti tui, qui divinæ Majeſtati tuæ, per manus meas indignas, immolari vult, & ut id faciam, jubet. Da ergo Domine, per memoriale hoc paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, reis veniam, peccatoribus converſionem, juſtis perſeverantiam, periclitantibus auxilium, defunctis ſolatium, captivis liberationem, infirmis ſanitatem, mihi autem omni indigniſſimo peccatori, da benedictionem congruam omnibus propriis meis neceſſitatibus, negotiis, officiis, & pro quibus debeo orare, ſoleo, volo, remiſſionem peccatorum, ſecundum beneplacitum, ſanctæ & adorandæ voluntatis Tuæ.

Memen-

Memento in Sacro.

MEmento Domine famulorum famularumque tuarum N. N. & omnium, quorum ante memini, & per charitatem tuam æternam, qua ſic mundum dilexiſti, & Filium tuum nobis tradidiſti, per omnia illius infiniti valoris ſacrificia & obſequia, & per omnium Sanctorum, qui Tibi placuerunt, merita, miſerere illorum, ſicut ſcis & vis, ut tibi perfectisſimè placeant, te cognoſcant, timeant, diligant, Tuo ſe ſanctiſſimo beneplacito, in omnibus conforment, teque æternum glorificent. Maxime vero miſerere mei, tam ingrati ſervi tui; Ecce Domine, ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ, quem tam indignum, ſic ab æterno, in æternum reſpicere & diligere dignaris. O infinita bonitas, tuus ſum ego, fac mecum quod vis in æternum. Cupio tibi gratus eſſe, & perfectè ſervire, ſed ecce Domine, vide & ſana, hanc infirmitatem meam, da gratiam emendandi hoc vitium N. N. hanc virtutem N. N. hoc donum N. concede, fac ut in ſanctitate & juſtitia, indies proficiam, in gratia perſeverem, & magno contritionis, amoris & reſignationis affectu in hora mortis, animam meam in manus tuas commendem: ſimilem gratiam, pro omnibus, pro quibus orare intendo, & Filius tuus mortuus eſt, obnixè peto; Memento igitur & miſerere mei, & omnium circumſtantium &c.

CAPUT

CAPUT IX.

Praxes quadruplicis intentionis ſecundum quadruplicem Sacrificii Miſſæ finem P.M.R.P. CaſparisDruzbicki ex M.S.

§. I.

Sacrum annuum vel menſtruum pro Societate IESV.

O Beatiſſima Trinitas Deus meus ecce oblaturus venio incruentum ſacrificium veri Dei & Hominis, vere, realiter, ſubſtantialiterque præſentis. Quod quatenus eſt.

1. *Adoratorium.* Offero in exhibitionem ſupremi cultus Latriæ, & adorationis tibi debitæ in recognitionemque tui abſoluti, ſuper creata omnia Dominii, quod facio, nomine eorum omnium, qui in hac ſocietate fuerunt, ſunt, erunt, deſiderans, omnium ſubjectionibus, omniumque adorationibus, tibi Deo meo, me ſubjicere, teque Deum meum adorare, ſicut re ipſa, Te nunc adoro, totaque cordis mei adoratione, veneror. Quatenus eſt.

2. *Gratiarum actorium.* Offero illud, in pleniſſimam Gratiarum actionem, pro omnibus beneficiis, quæcunque huic minimæ Societati præſtitiſti. Imprimis pro inſtitutione illius, & à ſede Apoſtolica confirmatione, pro fine, ad quem inſtituta eſt, & quem præfixum habet, ſcilicet zelum gloriæ tuæ Divinæ, ſalutisque ac perfectionis animarum, pro mediis efficaciſſimis, quibus illa utitur, ad præſtitutum finem, ſuosque ad eum conſequendum promovet, ac deducit, pro celeritate ejus in creſcendo, pro felicitate in fructifican-

canda, pro gratia comitatis, & effusione charitatis, ad conversandum, communicandumque cum proximo, pro sanctis confessoribus & Martyribus, eidem societati datis, denique pro omnibus prorsus beneficiis, ac si hic à me specialiter censerentur. Gratias tibi Deo meo, donorum fonti, per hoc sacrificium agere volo. Specialiter autem, pro beneficiis societati hoc anno, mense, aut sequentibus omnibus præstitis, præstandisque incipiendo, à primo usque ad ultimum, tam in bonis spiritualibus, quàm in temporalibus. Quatenus est.

3. *Propitiatorium* seu *Satisfactorium*. Offero & applico, omnes gradus satisfactionis Christi, meritorumque ipsius, correspondentes huic præsenti sacrificio, capiti Religionis hujus, scilicet P. Generali, vel hujus Provinciæ si capax est, aut illi N.N. in hac domo, collegio, in quo maneo, nunc, qui non plus pœnæ temporalis, Justitiæ divinæ, debet exsolvere pro culpis commissis, & jam remissis, nisi quantum præcisè potest tollere hoc præsens sacrificium. Offero, vel pro illa anima in purgatorio, quæ in corpore manens, & in societate laborans, plurimum in societatis instituto, promovendo laboravit, totum, medium, reliquum. Idque facio ex puro zelo Divini servitii, ut scilicet Deo, tanta puritate serviatur, nempe sine obligatione ullius culpæ & pœnæ, quanta ei à Beatis in cœlo servitur. Quatenus est.

4. *Impetratorium* in impetrationem eorum omnium, quæ huic instituto necessaria sunt, & eorum, quibus S.P. Ignatius, in Verbo nunc videt suos videre filios. In particulari autem 1. Ut Divina unitas atque simplicitas in composita, atque impatibilis natura, det omnibus societatis hominibus, sincerissimum, & purissimum, in rebus omnibus intentionem, ut nimirum in omnibus suis actionibus, nihil quærant, nisi solum & uni-

unicum Deum, & quem ille misit Jesum Christum. 2. Ut divina communicabilitas, omnibus quidem virtutibus, in tota quidem societate, sed specialiter in hac Provincia, domo, collegio, Residentia, manentibus conferat dona multa & magna, sicut contulit, magnis Sanctis, in Ecclesia sua sancta. 3. Ut Lex æterna Dei, secundum quam, ille dirigit universa, tanquam author naturæ & gratiæ, dirigat quoque omnes societatis Superiores, incipiendo à Generali, usque ad alios immediatos, ut Spiritu verè paterno, & spirituali Societati in flore conservandæ, constanter, suaviter, efficaciter, invigilent. 4. Ut divina providentia, utroque oculo, hanc minimam aspiciat Societatem. Dextero quidem, ut provideat Societati sanctos, doctos, prudentes, ferventes, sanos operarios, qui inexplebili siti, lucrandi Christo animas, ardeant eas lucrifaciendo per confessiones, conciones, Catechisationes, magno zelo, constantia infracta, Infidelium, Hæreticorum, Schismaticorum, sese opponant conatibus, sanctamque Ecclesiam Romanam, Apostolicam, etiam profusione sanguinis proprii dilatent, in quorum pectoribus, inflammata martyrii desideria, æstuent, bulliat in eorum corporibus sanguis totus, ut quantocius per extrema, pro amore Christi, sanctaque fide, exactus tormenta erumpat impetuosissime. Sinistro autem, ut intuitu hujus præsentis sacrificii, excitet multorum ad benefaciendum corda, iis locis ac domiciliis societatis, quæ maxime indigent, humanisque sunt prorsus destituta auxiliis, idque pro hoc anno, vel mense sequenti, vel hebdomada currenti. 5. Ut divina sufferentia atque sustinentia persecutorum ac malefactorum Societatis supportet defectus & peccata, detque illis prævenientis gratiæ auxilia, ut quamprimum ad statum gratiæ redeant. Si forte extra illum sunt;

Sin autem in eo sunt & tamen societatem persequuntur ex errore vel mala aliorum informatione, vel ex percepta opinione det illis Deus auxilium gratiarum actualium, ut quamprimum resipiscant, positisque privatis respectibus DEI spectent gloriam, sociisque Jesu intuitu ejus promovendæ afficiantur, nec non alios eis affectos reddant, societas verò ipsa ex persecutionibus proficiat in melius, & persecutores amet impensius, & persecutionum occasionem dare devitet diligentius.

§. II.

Sacrum annuum vel menstruum pro Fundatore domus, Religionis, vel Benefactoribus.

O Beatissima Trinitas, Deus meus, ecce oblaturus venio incruentum Sacrificium veri Dei & Hominis, vere, realiter, substantialiterque præsentis. Quod ut est;

1. *Adoratorium.* Offero in exhibitionem supremi cultus Latriæ, & adorationis tibi debitæ, in recognitionemque tui absoluti, super creata omnia Dominii, quod facio, nomine omnium creaturarum, possibilium etiam, & à tua Omnipotentia producibilium, sed in particulari offero nomine Benefactorum & Fundatorum loci hujus, ut si illi, hunc actum explicitæ adorationis, supremiq; Dominii tui recognitionis, ob ignorantiam, negligentiam, aliamve causam, non elicuerunt, ego ex zelo tui Dominii, mihi, cæterisque imprimendi, Sacrificium istud offero, & protestor, me, cum Fundatore ac Benefactoribus loci hujus, esse tibi subjectum, subjectione naturali, tam mihi, quam illis, interna & essentiali.

Accipe

Accipe mi DEUS, hujus loci Fundationem, nec non quodlibet subsidium, in recognitionem tui Dominii, nostrique ad illud debiti, de manibus nostris, deque manibus benefactorum nostrorum, quod ego per hoc præsens sacrificium testari volo. Ut est.

Gratiarum actorium. Offero in gratiarum actionem, pro tota serie beneficiorum, illorum imprimis, substantia, modo circumstantiis omnibus, in quibuscunque ea concessisti Fundatori, ac benefactori hujus loci, tam in spiritualibus quam in temporalibus. Specialiter autem, gratias agere intendo, per hoc sacrificium, pro copia rerum temporalium illis concessa, ita, ut etiam nobis, propter nomen tuum, benefacere possent. Item pro ea voluntate, bene nobis faciendi, quam eis Tu Domine inspirare efficaciter dignatus est. Item pro ea dignatione, quod Dominus universorum, dignatus sis, te honorari, substantiâ Benefactorum nostrorum. Denique, pro ea Providentia tua, quod impedimenta nobis, ab eis benefaciendi, removeris. Ut est.

Satisfactorium. Satisfactionem huic correspondentem sacrificio, applico Fundatori, Benefactorique mortuo, si est capax. Si non, applico huic, qui primus absolutè benefecit nobis in hoc loco, qui multa pro nobis passus est, à linguis hominum, cujus beneficia, & si verè magna non fiebant, tamen â nostris magni. Vel certè applico ei Benefactori vivo, qui majori cum affectu, plurioreque intentione, nobis benefacit. Vel ei, qui occultus est, nesciri vult. Item ei, qui jam desideria concepit nobis benefaciendi. Item ei, qui propositum licet inefficax habuit, aliquando benefaciendi. Vel ei, qui hoc anno, (si est annuum) Mense, (si est menstruum) hanc domum, maximè juvit, juvareque (esto non potuit) voluit. Ut est.

Impe-

Impetratorium. Offero impetrationem gratiarum actualium, Benefactoribus loci hujus, frequentium, & efficacium, prævenientium, & concomitantium, ut in benefaciendo nobis, nullo humano respectu, & motivo ducantur, sed pure propter Amorem Tuum, nobis benefaciant, ut ex beneficiis, in nos collatis, gloriam humanam non quærant. Utque cum nobis benefecerint, Tibi Deo, se id fecisse, vel potius à te, se beneficium accepisse existiment, ac proinde, nostris in circumspectionibus, in agendo, loquendove, non offendantur, neque obsequia à Societate exigant, quibus Societatis institutum, par non est, quibusque merces, apud Te, Beneficiorum, vel imminuatur, vel evacuetur. Præterea, ut non permittant, respectibus humanis, se à benefaciendo nobis absterreri, sed in firmo, stabilique nobis benefaciendi persistant proposito, contemptis humanis judiciis, & linguis. Ut benefacientes nobis, etiam alios, ad benefaciendum inducant, nec illa Zelotypia laborent, ut soli benefacere nobis videri velint, molesteque ferant æmulatores, suæ in nos beneficentiæ reperiri.

Hoc Sacrum ordinarie poterit celebrari, de Sanctis Angelis Custodibus, quibus me, locum meum, & omnes benefactores commendabo.

§. III.

Sacrum menstruum pro Regionibus Septemtrionalibus, & Hæreticorum reductione.

O Beatissima Trinitas Deus meus, ecce oblaturus

venio incruentum Sacrificium, veri Dei Hominis, vere, realiter, ſubſtantialiterque præſentis. Quod ut eſt

Adoratorium. Offero in exhibitionem ſupremi cultus Latriæ, Tibi debitæ, & in recognitionem Tui, ſuper creata omnia Dominii, quod facio, nomine eorum Hæreticorum, Schiſmaticorumque, qui, licet fortaſſis aliquando hunc actum exercuerint, quia tamen non eſt ſpecioſa laus in ore peccatorum, ideo (quamvis & ipſe ſim peccatorum peſſimus, atque primus) ego, ex obligatione Sacerdotii mei, & ex primario Sacrificii fine, Te meum, & illorum Deum adoro, adorationibus, quibus illi, in veritate, Te adorare debent, ſed non adorant, nec adorare poſſunt, niſi convertantur. Tibi me plene ſubjicio, ſubjectionibus, quibus illi ſe ſubjicere deberent, ſed non niſi in ſpeciem ſubjiciunt, retinentes ſibi præcipuum quiddam, nempe proprium Judicium, & ſenſum in rebus fidei. Ac proinde, hoc præſenti ſacrificio, intendo, eâ quâ poſſum, ex dono Tuo, contentione, teſtari, tuum ſupremum Dominium ſuper illos, eosque Tuis pedibus conculcandos ſubjicio, ac proſterno. Gemant hi rebelles filii Tui lateris, ſub ſcabello pedum Divinitatis Tuæ, lambant vero veſtigia pedum Sacratiſſimæ Humanitatis Tuæ, cujus Latreuticum, illi etiam, ob unionem cum verbo, debitum, teſtari hoc ſacrificio intendo. Atque hoc, in deteſtationem viſceralem nequitiæ AntiChriſti, per membra ſua oppugnantis, & æmulantis, Divinitatem Jeſu Chriſti impudenter blaſphemantium, quos nunc, eâ execror execratione, qua execratus es, Tu Deus, ſuperbiam Luciferi, in ejus execrationis, deteſtationis, anathematizationis luculentum teſtimonium hoc ſacrificium offero. Ad extremum hoc ſacrificio, teſtatum volo cultum Latriæ, qui debetur Chriſto, in

Sanctiſ-

Sanctissimo existenti Sacramento, quem, quia illi, Christo (per summam injuriam ejus ultimi Testamenti, quo nobis proprium, & verum suum corpus, & sanguinem legavit) eripiunt, nunc ego illorum, etiam invitorum, contumaces cervices, & in abundantia stulti sui sensus, fastuose erectas, præsenti actu inflecto, huncque adorationis Christi in Sacramento cultum, vellem, eo fervore dilectionis, fideique vivacitate elicere, qua malignitate, pertinaciaque, affectus depravati, in Christum, mentisque cæcitate, illum, eidem negant Hæretici, quorum corda, insanias falsas, despumantia, & in Christum blasphemias ructantia, tanquam æternæ contumeliæ, causa, tradi (nisi resipiscant) ignibus æternis comburenda. Premat illos corpus, urat illos sanguis tuus dulcis JESU, quem hypostaticè Divinitati unitum, adorare ingrati abnuunt, quem ego, per gratiam Tuam, cum Ecclesia Tua militante, ac triumphante, adoro. Atque id, præsenti sacrificio protestor. Ut est

Gratiarum actorium. Offero in gratiarum actionem, pro beneficiis, omnibus Hæreticis & Schismaticis concessis. Sed in particulari, pro remorsu conscientiæ, quo laborabant veritate fidei Catholicæ convicti, intimè dolens, eos hoc dono male usos; Item pro illuminationibus intellectus, quas illi contempserunt, aut certè in eis (sibi illas adscribentes) evanuerunt, sicque naufragaverunt à Fide. Item, pro Operariis fidelibus, qui conatu quo possunt maximo, nunc in Hæreticorum, Schismaticorumque conversione laborant. Item, pro Sacrosanctæ Ecclesiæ Doctoribus, omnium temporum, qui hæreses, ac lingua,

& erudito calamo confutarunt. Item, pro miraculis, quibus mysteria Fidei, (præsertim Trinitas, consubstantialitas Filii, & præsentia corporis Christi in Sacramento) confirmata sunt. Item, pro Ministrorum, aliorumque Hæreticorum à Ministris, in errorem deductorum, in via veritatis reductione. Ut est.

Satisfactorium. Applico etiam, eum Sacrificii fructum, Principi, qui zelosissime, fidem Catholicam propugnat, & promovet inter Hæreticos. Item Nobili ac Civi, qui ob fidem Catholicam passus est, patiturve nunc, jacturam bonorum. Item Doctori, qui in refutandis Hæresibus, præcipuè nunc laborat. Item operario, qui inter Hæreticos degit, præcipuè in Anglia, Hollandia. Item illi, qui maxime zelosus est, in propugnanda, promovendaque reverentia Sanctissimi Sacramenti, ac sacrificii, cultûs quoque Deiparæ, SS. Trinitatis, vel certe applico Defunctis, & illi quidem in particulari, qui maxime laboravit, in confutandis Hæresibus ac erroribus, qui ad confutandum, sibi delegerat, errores Arrianorum novorum, Sacramentariorum. Illi etiam, qui ex operariis, hac hebdomada, Mense, Anno, mortuus est inter Hæreticos, quive minimum habet ad exolvendum. Ut est.

Impetratorium. Offero, ad impetranda auxilia congrua, operariis nostris inter Hæreticos, ut cum magno animarum lucro, inter eos degant, suaque vitæ sanctitate, & doctrina, eos Sanctæ Ecclesiæ adjungant. Item, ut animæ Hæreticorum, veritatis luce irradientur, ne in mediis splendoribus sanctæ Veritatis, caligent. Item, ut Principibus, zelum propagendæ fidei Catholicæ inter Hæreticos, DEUS inserat, impedimentaque

taque hujus sanctæ Molitionis, auferat, Hæreticorum vires infringat, & intellectus hebetet, concursumque, in conatibus, quibus Fidem suam impugnent, deneget, ac dona, quibus in damnum Ecclesiæ abutantur, subtrahat.

§. IV.

Sacrum menstruum pro Indiis & gentium Conversione.

O Beatissima Trinitas DEUS meus, ecce oblaturus venio, incruentum Sacrificium, Veri Dei & Hominis, verè realiter, substantialiterque præsentis. Quod ut est.

Adoratorium. Offero in exhibitionem supremi cultus Latriæ, adorationibusque Tibi debitæ, in recognitionem Tui absoluti, super creata omnia Dominii, quod scilicet sis Dominus vitæ naturalis, & supernaturalis, mortis etiam temporalis, & æternæ. Atque id facio, nomine omnium creaturarum rationalium, sed tamen in particulari, ambarum Indiarum, omniumque gentium, cultui Idololatrico deditarum. Doleo mi Deus, de anteacto tempore, debito cultu latriæ, à Tuis creaturis rationalibus fraudatum, & nunc etiam, à quibusdam fraudari, ac proinde, ego creaturarum rationalium omnium indignissimus, ac postremus, intendo hoc sacrificio, nomine Infidelium illarum gentium omnium, testari, Tuum supremum super eas Dominium, earumque naturaliter, omnimodam ad Te subjectionem. Hoc ego Tibi Deo meo, ac illarum Deo atque Domino, Tibi, meo, & illarum creatori, atque plasmatori, confiteor, enuntio, & teste cœlo, ac terra, protestor. Ut est.

Gratiarum actorium. Offero Tibi, in gratiarum actionem, pro beneficiis à Te, in illas omnes gentes, in Esse naturali, effusis, ut quod creatæ sint à Te Deo, quod lucis ac vitæ hujus usura fruantur, quod à Te sustententur, cibo, potu, cæterisque commodis temporalibus, & breviter, quod eas quibuscunque beneficiis cumulasti, pro quibus, Tibi me nunc gratiarum actionis debitorem constituo, dolens de omnibus, gentium illarum ingratitudinibus, Tuæque in se beneficentiæ ignorationibus. In particulari, intendo gratias agere hoc sacrificio, pro omnibus Operariis, quos Tua Divina Providentia, ad illarum gentium conversionem, olim destinavit, & nunc destinat, & adhuc destinabit. Item pro omnibus auxiliis gratiæ, pro talentis Naturæ, pro donis cæteris, quibus eosdem operarios instruxisti, instruis, & adhuc instrues, pro miraculis, quæ per Tuæ veræ fidei propagatores, tanquam per electa Tua instrumenta, fecisti, facis, & facies. Item pro efficaci applicatione sanguinis, meritorumque Christi, illis animabus, jam ex parte facta, pro sanguine Martyrum, inibi fuso, fundendove in testimonium fidei. Item pro infantibus, inibi hoc ipso die ac momento baptizatis: pro illo concursu, quo Tu mi DEUS nunc, nunc concurris, cum Tuis operariis, ibi, circa animas illas laborantibus, vel propter earum laborem periclitantibus. Item pro influxu Humanitatis Christi, quo influit in Sacramenta à se instituta, & illis hominibus nunc administrata. Item pro desideriis martyriorum, quæ unquam operariis in illis partibus communicasti, communicas, & communicabis. Item pro Sacrificiis, quæ me dormiente, vel aliter occupato, in illis partibus peracta sunt, & peraguntur, & peragentur adhuc. Item pro singulis, omnibusque gratiis, in Neophytos

illos

illos, sive per Sacramenta, sive per Sacrificia, sive quolibet alio modo unquam, collatis conferendisque. Ut est

Satisfactorium. Applico hujus satisfactionis portionem isti Sacrificio debitam, illi operario, qui Judicio Dei, maxime in illarum gentium conversione laborat. Vel, qui ex omnibus operariis, primus est in beatissimæ Virginis cultu, inter illas gentes propagando. Vel, qui primus solet ad periculosas Missiones accurrere. Vel, qui primus omnium, ad confessiones omniũ excipiendas, se confert, vel, qui omnium plurimas excipit confessiones, vel, qui rudes libentissime catechisat. Vel, qui habet donum miraculorum, vel, qui minimum habet ad satisfaciendum Deo, pro peccatis suis, ut ita ejus labores, circa illas animas, sint Deo gratiores. Vel, applico medietatem satisfactionis, illi operario inter illas gentes vivo, qui est ferventissimus, medietatem defuncto, qui item inibi fuit ferventissimus. Ut est

Impetratorium. Offero, ut impetrem in persona Christi, omnes gratias actuales, maximè prævenientes, illis gentibus necessarias, efficaces, quibus disponantur ad fidem recipiendam. Item, ut impetrem operarios fideles, constantes, strenuos, idoneos, sanos, multos, ad illarum gentium conversionem, ex omnibus Religionibus & Ecclesiæ Ordinibus. Item, ut impetrem, amotionem omnium impedimentorum, ex quacunque causa, ad salutem gentium illarum oppositorum, opponendorumque, maximè autem, ratione peccatorum, quibus impediunt suam conversionem, ut est peccatum carnis. Item, ut impetrem infractionem,

prostrationemque Diabolicarum virium, obtestorque nunc omnes Sanctos Angelos hominum illorum custodes, ut specialiter nunc, apud Deum urgeant conversionem sibi commissarum animarum, viresque Diaboli reprimant, & impedimenta amoveant, offerentes hoc ipsum sacrificium, ad hoc impetrandum. in Persona Christi Jesu Domini ac Redemptoris nostri, Amen.

§. V.

Sacrum Hebdomatarium ad intentionem R. P. Generalis.

BEatissima Trinitas Deus meus, ecce oblaturus venio incruentum Sacrificium, veri Dei Hominis, vere realiter ac substantialiter præsentis. Quod ut est.

Adoratorium offero in exhibitionem supremi cultus Latriæ, & adorationis tibi debitæ, inque recognitionem tui super omnia creata absolutissimi Dominii, quod facio, omnium creaturarum, etiam irrationalium, præcipuè verò, nomine P. N. Generalis, incipiendo à primo usque ad modernum, quorum omnium actus adorationis, quos illi unquam in sua vita exercuerunt, in cor meum nunc contraho, eosque meos proprios facio, atque nunc elicio, confirmo ac ratifico. Tuæque majestati, cum cordialissima in illis complacentia, repræsento. Et si modernus P. Generalis vivens, hunc actum adorationis, aliis distentus, explicitè nunc non exercet, Ego in Persona illius, indignissimus licet filiorum ejus, te adoro in Deitate, te veneror in assumpta humanitate, te magnifico in sanctissimo Sacrificio & Sacramento, idque testor præsenti Sacrificio. Quod ut est.

Gra-

Gratiarum actorium offero, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis Patri nostro collatis, in ordine tam naturæ, quam supra Naturæ, nullo excepto. In particulari autem, intendo tibi hoc sacrificio gratias agere, pro eo beneficio, pro quo hodierna sacrificiorum applicatione, tibi Deo meo bonorum largitori, P. N. gratias agere intendit. Quod si hæc mea, vel illius intentio eget aliquo (quacunque ex causa) supplemento. Offero hoc sacrificium in gratiarum actionem, pro illo beneficio, quod tuo divino judicio fecisti unquam maximum nostræ Religioni, aut certè pro hoc, quod isto ipso momento facis, facturusve es ante consecrationem, ad Divitiarum bonitatis tuæ erga nos ostensionem. Ut est.

Satisfactorium. Applico satisfactionem huic sacrificio commensuratam, ipsi P.N. si est capax. Vel ei, cui ille applicuit, quod si hoc omisit, applico illi, qui in hoc mansionis meæ loco, hujus fructus (cum minoribus & paucioribus numero inperfectionibus) est capax, vel qui hoc loci, maxime me in Deo diligit, vel, cui ego sum plurimum obligatus, sive ob persecutiones atque linguas, quas ab eo patior, sive ob beneficia manifesta, aut occulta. Ut est.

Impetratorium. Offero hoc Sacrificium ad impetrationem eorum, quæ P. N. impetrare hodierna die, hodiernæ diei sacrificiorum applicatione intendit, hoc postulando in genere & specie, quod ille à tua divina Majestate congruè postulat.

§. VI.

Sacrum Hebdomadarium pro Mortuis de Religione extra Provinciam.

O Beatiſſima Trinitas Deus meus, ecce oblaturus venio incruentum Sacrificium, veri Dei Hominis, verè, realiter, ſubſtantialiterque præſentis. Quod ut eſt.

Adoratorium. Offero in exhibitionem ſupremi cultus Latriæ, & adorationis tibi debitæ, inque recognitionem tui ſupremi Dominii, quod olim fecerunt animæ, quæcunque nunc purgatorio, à tua Juſtitia ſunt deputatæ, quarum omnium nomine, ſed præſertim nomine animarum Defunctorum, noſtræ Religionis, poſtremò extra Provinciam. Teſtor hoc ſacrificio, te eſſe ſupremum creaturarum Dominum, in tantum, ut & nunc, in eo ſtatu, illas animas damnare vel annullare poſſes, ſi abſoluto tuo Dominio uti velles, quod abſolutum Dominium, in te Deo meo, adoro tremens, cum omnibus ſanctis illis animabus in purgatorio, agnoſcentibus ſibi deberi gloriam, ex mora tua miſericordia, & ex Jeſu Chriſti meritis, ſanguine & gratia. Ut eſt

Gratiarum actorium. Offero in gratiarum actionem, pro commutatione pœnæ æternæ in temporalem facta, iis animabus, pro quibus nunc ſacrifico, item pro deſideriis, cæteriſque piis voluntatum permotionibus, quas alicui Sanctorum, vivorum vel mortuorum, ad has animas juvandas, communicaſti, item pro iis operibus, ut jejuniis & eleemoſynis, pro operibus quoque pœnalibus, quæ fiunt pro animabus. Item, pro ſacrificiis ac orationibus, pro theſauro indulgentiarum, pro ſatisfactionibus Chriſti, Sancto-

rum-

rumque, ex quibus Ecclesiæ thesaurus ditescit, & animæ Defunctorum adjuvantur. Ut est

Satisfactorium. Applico, totam Sacrificii hujus satisfactionem, illi animæ, quæ postremò in aliqua Provincia, (nominatim illa, vel ista) corpore soluta est, & purgatorio destinata, vel certe, ante hanc consecrationem destinabitur. Item, applico illius animæ, qui hac hebdomada, die, hora, in obsequium peste infectorum, vel in castris mortuus est. Item, illius animæ, qui præ omnibus nunc in purgatorio positis, fervidus fuit, pro juvandis animabus purgatorii, per se & alios. Item, illius animæ, qui nunc gravissimis, ex nostra Religione torquetur purgatorii pœnis. Item, illi animæ, quæ de nostra Religione minimum habet, ista hebdomada, de pœnis exsolvendum. Item, illius animæ, qui caruit indifferentiâ, ad gradus Societatis, appetivit professionem, vel in ea plus justo sibi complacuit. Item, illius animæ, qui Religionem ingressus, juvit suis facultatibus, in aliqua Provincia. Illius item animæ, qui dum esset in Regimine, promovit disciplinam Religionis strenuè, & linguas, censurasque contempsit. Ut est

Impetratorium. Offero in impetrationem levaminis pœnarum, quas patiuntur illæ animæ, pro quibus sacrifico (animæ in purgatorio sunt incapaces actualium gratiarum, & prævenientium auxiliorum) offero, pro iis, qui ferventes sunt, pro juvandis animabus purgatorii, quique pro illis satisfactiones suas frequenter offerunt, ut eis Deus gratias actuales plurimas, efficacesque conferat, devotionem, pietatemque in Defunctos augeat, numerumque eorum in Ecclesia, & præcipuè in Religione nostra, multiplicet.

Deni-

Denique offero pro me ipſo, ut in me Devotio, pro animabus purgatorii augeatur, induſtriæque mihi efficaciter, atque congruè occurrant, quibus & ipſe eas adjuvem, aliosque ad eas juvandas informem, ac inducam.

§. VII.

Sacrum pro Defunctis intra Provinciam vel aliis quibuscunque.

O Beatiſſima Trinitas Deus meus, ecce oblaturus venio incruentum ſacrificium veri Dei-Hominis, verè, realiter ſubſtantialiterque præſentis. Quod ut eſt.

Adoratorium. Offero in exhibitionem ſupremi cultus Latriæ, & adorationis tibi debitæ, in recognitionemque tui abſoluti Dominii, quod cum animabus omnium quidem defunctorum, (ſed præcipuè hoc anno, menſe, ſemeſtri, mortuorum, in Collegio, Domo, Regno, Provincia, Civitate, Familia hujus vel illius, vel eorum, qui in hoc Templo vel Cœmiterio ſunt ſepulti) tibi Deo, Dominoque meo vero facio, & nunc proſtratus corde & corpore, clarè profiteor, te Deum meum & Dominum eſſe, cui me abyſſaliter ſubjicio, teque adoro, non ſolum meo, ſed omnium damnatorum nomine, quia illi indigni ſunt, qui te adorent, eorumque vicem ſuppleo gemebundus, ob diminutionem Tui Divini cultus, qui tibi ab illis debetur animabus, ſuppleat quæſo hoc ſacrificium, quo intendo te honorare ſuprema veneratione, ſoli tibi Deo meo debita. Ut eſt.

Gratiarum actorium. Offero in gratiarum actionem, pro commutatione pœnæ æternæ, in temporalem,

lem, omnibus animabus purgatorii, præcipue verò huic animæ, pro qua sacrifico. Specialiter verò gratias ago pro auxiliis gratiæ prævenientis, concomitantis, & subsequentis, pro mediis prædestinationis, hujus animæ, pro omnibus Sacrificiis, quæ fecit, (si Sacerdos fuit) aut communionibus, pro dispositionibus ad bonam mortem, pro actibus, quos hæc anima, per tuam gratiam adjuta, in puncto mortis elicuit, pro finali perseverantia, & gratia, & vocatione Religiosa, aut Christiana; denique, pro omni eo, quod huic animæ contulisti in tempore, ac in æternitate es collaturus, ago hoc sacrificio gratias. Ut est.

Satisfactorium. Applico totam satisfactionem, huic sacrificio (ex opere operato, & ex opere operantis in persona Christi & mea) debitam, illi animæ in particulari, pro qua nunc Sacrum facio, & adjungo privilegium liberationis animæ. Quod si hæc anima capax jam non est, ob aliquam causam, applico huic animæ, quæ ex Provincia hac, Collegio, Domo, Civitate, Regno, Familia, minimum habet quod exsolvat de purgatorii pœnis, vel quæ paucis, aut nullis juvatur suffragiis, vel cujus suffragia detinentur. Illi item animæ, quæ nunc est in lucta separationis à corpore vel animæ hominis, hodie supplicio affecti, submersi, naufragi, à prædonibus necati, vel illius, cujus interitus nescitur. Aut illius, qui hac in Provincia, collegio, Domo, devotionem ad B. V. immaculatè conceptam, ad Jesum passum & contemptum, ad SS. Trinitatem, ad Eucharistiæ Sacramentum, ad auxilium mortuorum, aliqua ratione promovit, vel illius, qui congregationem aliquam B. V. alicubi erexit, illius, qui nimirum in obsequio pestilentium moritur. Illius, qui bonum hujus Provinciæ suo exemplo, vel labore promovit plu-

plurimùm. Illius, qui hanc Provinciam temporalibus bonis juvit plurimùm. Illius, qui hominum linguis, præter cæteros fuit expositus. Illius, qui plurimum laboravit, sine plausu nostrorum vel externorum. Illius, cui ego sum aliqua ratione obligatus, illius, qui vivens pro me orabat sæpiùs aut diligentiùs. Ut est

Impetratorium. Offero, ut pœnæ istius animæ, hujus vi Sacrificii mitigentur, sentiatque hæc anima refrigerium, ac peculiarem sui Angeli Custodis consolationem. Ut Deus multorum corda excitet ad eam juvandam, qua Sacrificiis, qua operibus satisfactoriis, maximè autem pœnalibus. Ut Deus permittat hanc animam extraordinariis sese juvare modis, scilicet per apparitionem iis, qui eam Sacrificiis, vel aliter juvare possent. Eum autem omnem Sacrificii fructum, cujus Defuncti anima capax non est, offero & applico N. N. vel reliquis à me designatis, Tuisve Deus meus placitis necessitatibus atque intentionibus, ad gloriam tuam & salutem, consolationemque meam, & creaturarum tuarum, Amen.

§. VIII.

Pro Viventibus.

INtelligenda est intentio diligenter, petentis pro se offerri Sacrificium; Nam si petat gratias agi pro aliquo beneficio sibi collato, poscit fructum Sacrificii, in quantum est gratiarum actorium, si petat, ut sibi beneficium à Deo concedatur, petit fructum Sacrificii impetratorium. Manet igitur satisfactorius, quod si petat fructum Sacrificii, cujus ille capax est, tunc totum illi applicandum est.

Sacrum

Sacrum pro meipso.

O Beatissima Trinitas, Deus dignissime, ecce oblaturus venio incruentum sacrificium veri Dei Hominis, verè, realiter substantialiterque præsentis. Quod ut est

Adoratorium. Offero in exhibitionem supremi cultus Latriæ, & adorationis tibi debitæ, à me creatura tua, nec non in recognitionem tui absolutissimi in omni creatura Dominii, meæque naturalis ac mihi essentialissimæ subjectionis, cupio mi DEUS, eo me subjectionis modo tibi subjicere, quo tu tibi subjici creaturas vis, aut subjicere potes, proinde, nullis de me decretis obstantibus, decerne de me, nunc, quidquid tibi placet, in tempore ac æternitate, quod hoc sanctissimo Sacrificio testari volo. Teque Deum meum in tua Deitate supplex adoro, exhibeo præterea profundissimam venerationem & reverentiam incarnato Verbo, & sacramentali sacrificialique Christi præsentiæ ac dignationi, desiderans ex tota affectus intensione, supplere simul negligentias omnes eorum, qui se totos explicite cultui Latrico abyssalique veneratione DEI in carne, & Domini Jesu Christi in Sacramento Eucharistiæ, non impenderunt. Ecce ego nunc, ex zelo Honoris Dei-Hominis, offero totius universitatis, Sanctorum, prædestinatorum, glorificatorum, & glorificandorum, omnem actum Latreuticorum collectionem, quâ suppleo meos & alienos, hac in parte defectus, atque insufficientias. Ut est

Gratiarum actorium. Offero in plenissimam gratiarum actionem, pro omnibus prorsus beneficiis, toti creaturarum populo, tam in ordine naturali, quam supernaturali, per generalem vel specialem, individualemque concursum Dei, per influxum SSæ. Christi Humanitati præstitis, perq; totam æternitatem præstandis

ac præſtabilibus, cujus tam amplæ gratiarum actionis debitorem, me fiducialiter conſtituo, fidens immenſæ Domini Jeſu cordis capacitati, quem in hoc ſacrificio offeram, ſpecialiter autem, in cor ejusdem Domini Jeſu, hæc quæ recenſeo beneficia depono, ut ibi tanquam in ſuo fonte permaneant; ego enim minor ſum, omni beneficio minimo Dei, nec idoneus ad aliud quidquam, niſi ad deſtructionem cujusquam Divini beneficii. Igitur, in hoc ſacrificio, gratias Tibi ago pro beneficio creationis, Redemptionis, ſanctificationis; & pro iis omnibus, quæ hiſce ſunt connexa; ac mihi à Te collata. In particulari autem, Tibi gratias ago, per hoc ſacrificium, ex toto corde meo, totaque latitudine virium mearum, pro eximia miſericordia Tua, qua me in miſeriis, & peccatis, (ſi Religioſus es) ſæculi demerſum, eripuiſti, & collocaſti in hoc ſancto ſtatu, tanquam in paradiſo deliciarum ſanctarum. Gratias ago, pro omnibus votis, quibus me Tibi adſtrinxiſti, ut in tuam tranſirem hæreditatem, totusque Tuus eſſem, & non meus, quod me feciſſe, non ſolum non pœnitet, ſed etiam ſi antea ea non feciſſem, nunc ſummo quo poſſum, ex Tua gratia, dilectionis Tuæ ſupremæ, ac ſuper omnia affectu facio, voveoque Tibi Deo meo, irrevocabilem, etiam ex pleniſſima deliberatione, aſſenſu firmiſſimo, & ex puro amore Tui, Tuæque aſſumptæ Humanitatis, nec non B. V. Paupertatem, caſtitatem, obedientiam perpetuam in Religione. Gratias ago Tibi pro dignitate Sacerdotii, qua me de pulvere erexiſti, itemque pro uſu ejusdem Sacerdotii, in adminiſtratione Sacramentorum, pœnitentiæ præſertim, & Euchariſtiæ, pro omnibus item abſolutionibus, à me datis & acceptis. Item pro omnibus Sacrificiis, & communionibus oblatis, pro me, à me, Tibi gratias ago. O dignatio ſuper deſpicabilem catellum, qui toties pane

filiorum Tuorum pastus est atque saginatus. Gratias ago pro hac vicissitudine consolationum, atque desolationum, prosperitatum & adversitatum, elevationum ac depressionum, qua vitam meam mirabiliter texuisti, & adhuc texis, & denique texturus es. Gratias ago pro serie omnium mediorum prædestinationis meæ, & gratiarum omnium actualium, tam in intellectu, quam in voluntate, cæterisque facultatibus receptarum. Gratias ago pro omnibus & singulis illuminationibus, pro omnibus mysteriorum fidei vivacioribus apprehensionibus, convictionibus intellectualibus, voluntatis ad bonum permotionibus, piis desideriis &c. Insuper pro omnibus beneficiis, quæ ex momento conceptionis meæ, usque in hanc horam, de tua benignitate suscepi, & quæ pro hoc momento temporis à Te suscipio. Pro iis denique, quæ usque in finem vitæ meæ, & per totam æternitatem sum accepturus, ex thesauris inexhaustæ liberalitatis. Ut est

Satisfactorium. Applico mihi satisfactionem huic sacrificio correspondentem si capax sum, sin minus, applico illi, qui me in hac vita in Christo diligit quam maximè, vel cui ego debeo plurimùm in Deo, &c. &c. Ut est

Impetratorium. Offero pro impetranda remissione omnium peccatorum, pro remotione impedimentorum salutis æternæ, atque peccandi occasionibus, tam remotis, quam proximis, internis, & externis. Denique pro impetranda gratia ita vivendi inposterum ab hoc momento, ut possim esse absque omni prorsus culpa, & absque obligatione pœnæ ullius temporalis, in hac vita, vel altera exsolvendæ. Pro impetranda puritate corporis & animæ tanta, ut ab omnibus actibus, etiam tantum materialiter malis, immeritoriis, tepide factis purificatum me, purissimus ille Dei oculus con-

tueatur. Pro gratia ad universas virtutes consequendas, earumque usum, & exercitium continuum. Pro promptitudine correspondendi Divinis inspirationibus, in quacunque materia difficili, & sensualitati repugnanti, proque dono singulari, discernendorum spirituum, in me, & in aliis, pro impetrandis congruis auxiliis, Spiritus Sancti donis, ad Sacramentum pœnitentiæ, prudenter, patienter, assiduè, libenter, avidè, fructuosè, humiliter, ministrandum, & ad Eucharistiæ Sacramentum, Missæque Sacrificium obeundum, pro habendis, cognoscendis, arripiendis, investigandis occasionibus merendi de animarum salute, utque ad me dirigantur animæ quam maximè egentes, & auxilio spirituali destitutæ, ut ego eas possim efficaciter juvare, pro impetrando dono, opportunè ad indigentiam eorum cum quibus conversor colloquendi, & pro dono concionandi hujusmodi, ut ab omnibus bene intelligi, libenter audiri, cordaque hominum ad obtemperandum inspiranti Deo, efficaciter promovere possim. Pro gratia integri habendi usus rationis, & sensuum in hora mortis, ut in illo extremæ vitæ puncto, super omnia diligam Creatorem meum, super omnia æstimem, super omnia cupiam, & ex iisdem motivis, dolendo intensissime de peccatis, in manus JESU Spiritum meum tradam. Denique offero in impetrationem eorum omnium, quæ Divina bonitas mihi concedere disposuit, & ordinavit, ita ut illa vult, quia vult, quando vult, quantum vult, & cum quibus circumstantiis, conditionibus, gradibusque vult, Fiat, fiat, fiat.

§. IX.

§. IX.

Sacrum pro vivente, cui totam latitudinem Sacrificii applicas.

O Beatiſſima Trinitas Deus meus, ecce oblaturus venio incruentum Sacrificium veri Dei Hominis, verè, realiter, ſubſtantialiterque præſentis. Quod ut eſt

Adoratorium. Offero Tibi, in exhibitionem ſupremi cultus Adoratorii, nomine quidem omnium eorum, qui unquam id à me petierunt, & ego promiſi, ſed in particulari, nomine hujus, pro quo nunc Sacrificium offerre intendo. Ut eſt

Gratiarum actorium. Ago gratias hoc Sacrificio, pro omnibus beneficiis, ac ſi hic à me ſingula recenſerentur, iſti homini, pro quo ſacrifico præſtitis, & in particulari, pro illo beneficio, pro quo ille nunquam, vel raro Tibi gratias egit, aut pro illo, quod primum poſt hoc ſacrificium, quodcunque illud ſit, accepturus eſt, maximè autem pro ſupernaturalibus. Ut eſt

Satisfactorium. Ex opere operato & operantis in perſona Chriſti & mea, applico illi eandem ſatisfactionem huic ſacrificio reſpondentem, ſi illius eſt capax, alioque applico illi, qui in hac Provincia, Collegio, Domo, loco, Decanatu, eſt capaciſſimus, applico mihi &c. Ut eſt

Impetratorium. Offero iſtud Sacrificium, in impetrationem ejus rei, primùm quidem ſpiritualis, deinde temporalis, quâ is potiſſimum, juxta Tuum beneplacitum eget, quamque ſibi, hic, & nunc vult, aut vellet, quam Tu ex Tua miſericordia, reſpectu hujus ſacrificii, confer ſi vis, quia vis, ad gloriam Tuam, ad ſalutem ejus, Amen.

CAPUT X.

Exercitium Latreuticum & Eucharisticum divisum in solenniora festa. P. M. R. P. Gasparis Druzbicki ex M. S.

§. I.

Pro die beatissimæ Virginis conceptæ ac natæ.

IN PRIMA PARTE PRÆPARATIONIS.

PRimo sit Intentio communis. Ego volo celebrare Missam & conficere corpus &c.

2. Intentio privata.

3. Examen conscientiæ, & Actus Contritionis.

4. Memento vivorum & mortuorum. Nota. Hæc præparatio præcedit quodlibet Sacrum sequens.

IN SECUNDA PARTE.

1. COnfiteberis immaculatum Virginis Conceptum, gloriosamque Nativitatem, illique gratulaberis. 2. Laudabis Deum, qui illam in ortu suo, tantis donis ornavit. 3. Gratulaberis Deo talem Filiam, Matrem, Sponsam. 4. Petes tibi, & aliis, varia dona per Conceptionem B. V. 5. Ut hæc omnia rata sint, adjunges Sacrificium.

PRAXIS.

PRetiosissimæ Dei Parentis MARIÆ Virginis immaculatissimam Conceptionem, & gloriosissimam Nati-

Nativitatem, corde, & ore celebro. Concepta enim, & nata eſt, Roſa ſine ſpinis, lux ſine tenebris, Filia gratiæ, arca Dei tota aurea, Innocentiæ Primogenita, Originalis juſtitiæ hæres, creatura ſemper amabilis, ſemper amica, tota pulchra, tota ſine macula, nunquam mobilis, gratiæ fundamentum.

Concepta & nata eſt humana Creatura, hominum filia, ſine originali noxa, in originali gratia, pro primo inſtanti exortus ſui ſancta, gratioſa, atque Dei amica, concepta eſt & nata in ſanctificatione gratiæ, cum rationis perfecto uſu, cum plenitudine donorum, cum conſummatione virtutum. Digna Deo, Dei Mater futura.

Gratulor Tibi, ô pretioſiſſima Creatura, ô Mater admirabilis, illam omnem (quam Deus ſolus dare voluit, Tu ſola capere potuiſti) abyſſum gratiarum, quâ pro omni exiſtentiæ Tuæ puncto impleta es. O ſuperfelix creatura, ô ſupereminens cunctis poſt Deum Virgo. Vellem capacitatem cordis mei millies, millieſque amplius dilatari, tantummodo, ut poſſim aliquantulum dignè Deo, dignè Te, gratulari & congaudere Tibi, illud inſtans ortus Tui ſuperadmirabilis in mundum. O quis poterit? O quis mihi det dignè cogitare diem ortus Tui, Virgo pretioſis omnibus pretioſior! Exaltata eſt, & elevata hæc ſcientia tuæ Conceptionis ac Nativitatis ſuper me, & non potero ad eam. Nempe, Tu Magnifice atque Magnipotens Domine Deus noſter, feciſti Tibi hanc creaturam, Virginem MARIAM, ex millibus electam, ex theſauris magnificorum Tuorum operum ſingulariter exprompta m, parem Sapientiæ Tuæ, congruam bonitati, aptam omnipotentiæ, condignam dignitati. Tua illi puriſſima Eſſentia immaculatam dedit ſubſtantiam, Tuus intellectus, rationis uſum, Tua voluntas liberam, plenamque, ac immobilem ad te voluntatis converſionem, & adhæſionem. Tua charitas dedit

illi incessabilem per totam vitam Tui amorem. Tua Authoritas potestatem, potentia operationem, scientia, omnem cognitionem ac scientiam. Rectitudo ac Veritas, immutabilem circa te constantiam. Incorruptio Virginitatem, Fœcunditas Maternitatem, Dignitas creaturis omnibus altiorem excellentiam perfectionis, plenitudo æternam humilitatem. Et quid mirum, quod hæc omnia contulerit Divinissima liberalitas Tua in hanc Virgunculam, cum etiam Tu ô Domine, in eandem contuleris, Divinitatis Tuæ pignus, & medullam. Quomodo ad illam, in conceptione natalique suo exornandam, non se tota Divinitas effudisset, quæ Matrem Divinitati suæ exornabat. Sis in æternum benedicta, & exaltata ô Sanctissima Trinitas, Deus meus, quoniam dignam Te Matrem, Tibi concipi, & nasci faciens, dignissimis illam, & Tibi plenè complacitis donis, exornasti. Gratulor quidem ex toto corde meo pretiosissimæ isti Creaturæ, omnia illi dona Tua, sed & Tibi, ô Deus dignissime, totis medullis meis congaudeo, quod istam eandem creaturam, id est Virginem Mariam, dignum Majestati Tuæ habitaculum, in primo exortus ejus instanti, apparare dignatus es. Verè ô Domine, quæcunque in Virgine hac fecisti, in Magnificentia Tua fecisti, sed non mirum, quoniam & propter Magnificentiam Tuam fecisti. Tibi ô Pater æterne formabas Filiam, Tibi ô Verbum, formabas Matrem, Tibi ô S. Spiritus ornabas sponsam. Sis ergo benedictus ab omni creatura, irrationali, simul & rationali, sis benedictus ab hac pretiosissima Creatura Tua Virgine Maria, ad creandum Te, à Te instituta, sis benedictus à Tua, & perfectionum plenitudine, & perfectissima Divinitate. Nobis autem creaturis pauperculis, Genitricis tuæ servulis indignis, propter hanc ejus immaculatissimam conce-

ptionem, & propter gratiarum Tuarum, qua illa ſedes Tua rationalis parata eſt, Tibi ex tunc infinitam copioſitatem, propter punctum illud conceptionis ejus, & Nativitatis feliciſſimum, oſtende Domine miſericordiam Tuam, & effunde ſuper nos, per illam digniſſimam Matrem Tuam, copioſum imbrem, omnigenæ nobis neceſſariæ gratiæ Tuæ. Da nobis Domine, ut ab hac hora, immaculati coram Te facti, pro tota vita noſtra, ſine obligatione culpæ & pœnæ, Tibi famulemur. Da nobis, ut per omnia vitæ noſtræ momenta, aſſiduè in gratiæ Tuæ præſidiis verſemur, proficiamus, & perſeveremus, uſque ad mortem. Da nobis, ut ſanctiſſimæ Genitricis Tuæ, pretioſiſſimæ Parentis noſtræ, per omnia, devoti, & addicti ſimus, ejusque Hæreditas effecti, ab ea ex nunc, in omnem æternitatem posſideamur, excolemur, benedicamur, ac tandem, Tibi ſupremo, & abſoluto omnium Hæredi, atque Domino conſignemur. Quæ deſideria, votaque noſtra, ut tanto magis dignisſimis oculis Tuis complaceant, ornamus illa gratiis Tuis, ornamus pretioſisſimæ hujus Virginis meritis, omnibus quidem, at præcipuè conceptionis & Nativitatis ſuæ. Ornamus ſanctisſima Jeſu Chriſti Tui, & Virginis hujus Filii converſatione, atque pasſione. Ornamus inſuper Tua paterna, ſuavi miſeratione. Omnibus autem iſtis adjungo in præſenti, munus hoc Sanctisſimi Sacrificii, atque Sacramenti, quod ex Theandrica DEI HOMINIS JESU CHRISTI confecturus accedo Humanitate. Accepta illud ô Sacroſancta Trinitas, DEUS meus, de manu vilitatis meæ, cum meritis immaculatisſimè conceptæ ac natæ Virginis Mariæ, propter dignitatem verbi, ad purisſimum ſuavisſimumq; guſtum Majeſtatis tuæ, tibi

Tibi per Virginem Matrem, per Hominem Deum, à me, & ab omni creatura, ſit æterna gloria, Amen.

In tertia Parte.

INvocabis omnes Sanctos Immaculatæ conceptionis zelatores, & amatores, JESUM CHRISTUM, ſummum Sacerdotem &c. Ut infra.

Affectus totius Sacri.

IN unione illius Diviniſſimi affectus, quem SS. Trinitas habuit, & ab æterno prædeſtinans, & in tempore faciens, immaculatiſſimè concipi ac naſci æterni Verbi Matrem. Offeres hoc Sacrificium Sanctiſſimæ Trinitati, ad illum ipſum guſtum, quem illa in prædeſtinatione & conceptione Nativitateque Virginis habuit, quemque ipſa Virgo concepta & nata, in primo ſuæ ad Deum converſionis actu, Deo exhibuit.

Affectus in Conſecratione.

QVo ſuo guſtu Verbum æternum matrem ſuam concipi, naſcique fecit & vidit, ad eundem tu guſtum ejusdem Verbi, Humanitatem in ſpeciebus iſtis con. pi & formari, per verba tua fac.

Affectus in Elevatione.

QVam alte Deus extulit pretioſiſſimam Parentem ſupra omnem puram creaturarum in ejus exortu, tam alte tu ſupra ipſam pretioſiſſimam Parentem, exaltare contende, & exaltari deſidera Deum, olim de hac Virgine conceptum, & nunc ſub his ſpeciebus contentum.

Affectus in Communione.

QVanto deſiderio Deus Virginem exortam deſtinavit ſibi in Matrem, omnemque ejus tam ſubſtantiam, quàm vitam, & vitæ actionem ſibi abſorbuit & conſignavit. Et viciſſim, qua affectus plenitudine,

totam ſe Virgo Deo in omnem uſum obſequiumque, primo ſui exortus inſtanti, conſecravit ac devovit, eadem tu ſanctiſſimum Sacramentum ſume, cupiens, eadem plenitudine in Deum transfundi, qua hæc Virgo, à primo ortus ſui inſtanti, transfuſa in Dei poſſesſionem ac hæreditatem fuit. Deinde Virgini infantulæ, recens conceptæ ac natæ, in conſpectu Sanctiſſimæ Trinitatis, in Sacramento cum Chriſti Humanitate latentis & præſentis, offeres teipſum totum, & trades in hæreditatem & poſſeſſionem æternam, eo modo, quo infantulis donaria offerri ſolent, atque tu, in hujus tui donarii oblatione, omnes creaturas reliquas, tam tempore, quàm affectu, præcedere curabis.

Modus tradendi ſe in Hæreditatem pretioſisſimæ Parentis.

PArens pretioſiſſima, Virgo MARIA, mihi omni re & ſpe, poſt Deum pretioſior. Ego N. in conſpectu Sanctiſſimæ & Auguſtiſſimæ Trinitatis, eligo Te, die hodierna, & aſſumo in Dominam, in Poſſeſſorem, in Hæredem meam plenipotentiſſimam, abſolutiſſimam & omnimodam, quocirca omni meo juri, quod in me habui aliquando, aut habeo, ex nunc renuntio, ac totum illud, in te transfundo, meque quantus quantus ſum, cum omnibus ad me quovis modo pertinentibus, tibi in æternum tranſcribo, ac de manu in manum trado. Accipe ergo me pretioſiſſima Mater in Filium, in mancipium, in Regnum, in Hæreditatem tuam. Tracta me tanquam poſſeſſionem tuam. Tuere me tanquam hæreditatem tuam. Obtine & poſſide me, tanquam jus, rem, proprietatemque tuam, ſim tuus omni jure, omni titulo, omni proprietate, cujus creatura in Creaturam

(ſalvo Dei Dominio)capax eſt, ut hac ratione, ego quidem ſim Hæreditas tua, tu verò ſis Hæres mea plenipotentiſſima: Sitque hoc mihi inter creaturas omnes Symbolum, ſtemma, nomen, quod ſim hæreditas Mariæ, & quod Maria ſit hæres mea. Sic volo Virgo Parensque pretioſiſſima, ſic cupio coram sereniſſima æternumq; benedicta Trinitate, coram beatis Arch-Angelis Michaële, Gabriele & Raphaële, Angelo item meo Cuſtode, & coram SS. Joachimo, Anna, Joſepho, Joanne Baptiſta, Petro & Paulo, Joanne Evangeliſta, Ignatio &c. &c. & Curia cœleſti univerſa, ac creaturis omnibus, coram mea ipſius conſcientia. Sic denique quantum poſſum, quantum mihi licet, in omnem æternitatem, dum ego homo, dum tu Dei Mater, dum Jeſus Filius tuus, dum Deus erit Deus, Amen.

Benedices Deum immaculatæ Conceptionis Autorem, tradique te ab eo pretioſiſſimæ Parenti in hæreditatem petes.

DEus omnipotens, Deus magne, Deus admirabilis, Deus ſolus, Deus ineffabilis, Deus ſuper omnem legem atque potentiam, Deus cujus voluntas ratio eſt, cujus velle æquitas eſt, cujus placitum opus eſt. Qui facis lumen, & auroram, & diem, qui facis lumen in tenebris, absque tenebris. Cui poſſibilia ſunt omnia quævis. Qui ſub lege non es, ſed ipſa Lex es. Cui nemo poteſt dicere: Quare hoc? quare illud? Cur ita facis? Te magnifico, exalto, adoro, laudo, glorifico, benedico, pro ſanctiſſima, puriſſima, laudatiſſima, pretioſiſſima Virgine MARIA, quam immaculatiſſimè concipi atque naſci, licet generis noſtri filiam, omnipoten-

potenti tuo imperio jussisti, arbitrio decrevisti, consilio fecisti. Elegisti illam velut rosam de spinis, velut stellam de tenebris, velut gemmam de luto fæcis, velut purum aurum de vilibus metallis. Formasti illam Matrem & Genitricem tibi, & ideo nihil illi puritatis, nihil integritatis, nihil innocentiæ, nihil gratiæ, nihil decoris, nihil speciei, nihil privilegii denegasti, quia te in illa, illam propter te honorasti, & ornasti. Non debuit, nec potuit illa esse sub lege, quæ Legislatoris Mater esse potuit ac debuit. Non decuit illam carere gratia, quæ parere & proferre, omnibus debuit gratiam. Nec dignum erat eam mori in limine vitæ, quæ omnibus paritura erat Vitam, omnibus pervenientibus ad vitam. Et quomodo illa esset Mater Dei, quæ aliquando fuisset captiva Diaboli, serva peccati, hostis Dei? Fuit hoc ô Magnifice atque magnipotens Deus generositatis tuæ, talem Matrem, aut non habere, aut non permittere. Fuit hoc ô sapientissime atque consultissime Deus providentiæ tuæ, talis, ne tua Mater esset, cavere ac facere. Fuit hoc ô Eminentissime Amplissimeque DEUS dignitatis tuæ, talem Matrem tuam esse non dignari. Fecisti ergo Matrem tibi, fecisti complacitam generosæ indoli tuæ, fecisti electam à Sapientia tua, fecisti condignam dignitati tuæ. Suavis Providentia tua, in illa corruptionis Adamiticæ Massa, sicut designavit partem naturæ nostræ, in qua nascereris, ita segregavit & aliam, de qua nascendo in mundum hunc, & inter nos progredereris. Neque enim minus hoc tibi, quam illud licebat, neque illud tibi quam hoc facilius erat, neque magis illud, quam hoc, Majestatem tuam addecebat, neque denique minus hoc, quàm illud Sapientiæ tuæ ab æterno succurrebat.

Itaque ab æterno, quod ordinasti, hoc in tempore factum est, Mater tua, te, sine omni corruptione conceptura, sine omni macula concepta est, futura omni expers culpæ propriæ, non est facta etiam particeps culpæ alienæ, Caput serpentis calcaneo contritura, læsum intactumque à spiculo serpentis calcaneum servavit. Denique lapso generi suo subventura, cum labente lapsa non est, sed illo adhuc stante, ad subsidium ruinæ illius, ut staret, semper destinata est. Magna hæc sunt, & mira opera tua, Domine Deus, magna & mira in Matre tua, sed illis hæc magna sunt & mira, quibus aliquid est in Matre tua non mirum: cæterum quibus omnia in Matre tua mirabilia sunt, hæc in ea mira non sunt, quia vel similia omnibus sunt, vel minora etiam aliis, quæ in ea reperiuntur. Sed enim in illo miraculorum abysso, in illo miraculorum tuorum omnium miraculosissimo Miraculo, in illo miraculorum compendio, omnia sint mira, omnia miracula, omnia miraculosissima, & ideo nihil in ea est mirum, quia nihil est in ea non mirum. Potius mirum esset, Te Deum in omnibus creaturis mirum, in sola Matre tua talem esse, ut in aliis quidem mirum, in aliis verò donis tuis, inveniremus Te non mirum. Vere mirabilis es tu Domine, & quidem ubique, at præcipuè facies tua est plena gratiarum, plena miraculorum, illa tua facies, illa facierum princeps, illa archetypa facies & imago, omnis reliquæ creaturæ faciei, plena, plenissima, superplenissima est gratiarum. In ipsa facie, in ipsa fronte, in ipso frontispicio existentiæ & generationis suæ, plena est gratiarum tuarum. O Domine Deus! cui miraculorum tuorum Principi, Primogenitæ omnis creaturæ exercitio potentiæ tuæ, ludo sapientiæ tuæ, thesauro bonitatis tuæ, officinæ charitatis tuæ, throno dignitatis tuæ, speculo perfectionum tuarum, omnium desidera-

derabilium tuorum, summæ gratiarum tuarum, omni creaturæ communium compendio, Virgini Matri Mariæ hodie conceptæ & natæ, omnem conceptionis gratiam, omnem nativitatis prærogativam, omnemque tui in eam propensionis affectum, tota latitudine affectus mei, ac planè toto me, gratulor. Teque Deum Authorem & Originem, in ejus conceptione ac nativitate agnosco, amo, laudo, adoro, benedico. Non quantum possum, quid enim est hoc, sed quantum Maria, vel potest, vel digna est, ac insuper, si possem, quantum te decet, atque tu dignus es, omnibus dignissimus Deus. Tu Domine per omnem dignitatem tuam, cujus causa, supra omnem dignitatem, Mariam dignificasti, per omnem Mariæ prærogativam, ac præcipuè per immaculatæ Conceptionis Nativitatisque gratiam, per omnem etiam meum, (quantilluscunque is est, & cupio esse, quovis creato majorem) in Virginem Meriam, inque conceptionis ejus ac Nativitatis honorem, propter te affectum, me creaturam tuam minimam postremamque, auræ tuæ particulam, huic Genitrici tuæ immaculatè conceptæ ac natæ, in Dominium, in possessionem, in hæreditatem, omni jure & modo, pro omni tempore & æternitate trade, eamque Dominam meam, possessorem, hæredem æternam, absolutamque esse fac, & jube. Hoc à Te, Deo meo, tam peto, quam tu Mariam Virginem immaculatè concipi ac nasci, & Matrem tuam esse voluisti, ac te, à nobis, in ea, & per eam agnosci, amari, laudari benedicique vis & voles in æternum, dum illa Mater tua, dum tu Filius ejus eris, tibi Deo, Virginis Filio, omnis gloria, omnis honor, omnis adoratio, ab omni creatura, & nunc & semper, Amen.

Affectus circa Conceptionis & Nativitatis mysterium.

PRetiosissima Parens MARIA, credo & confiteor te immaculatè esse conceptam & natam, omni gratia plenam.

Amo te immaculatissimè conceptam & natam.

Opto ex tota mente mea, te credi, amarique ab omnibus, immaculatè conceptam & gloriosissimè natam.

Gratulor tibi tota exultatione cordis mei, immaculatam conceptionem, gloriosissimamque Nativitatem tuam.

Gaudeo ex totis visceribus meis, quod sis immaculatè concepta & gloriosissima nata.

Gaudeo majore gaudio, quàm Angeli, quàm Arch-Angeli, quàm Virtutes &c. de tua immaculata Conceptione, lætissimaque nativitate.

De tua immaculata Conceptione gloriosaque Nativitate gaudeo, illâ plenitudine gaudii, quâ tu plenitudine gratiæ repleta es, in tua Conceptione & Nativitate.

Tuæ immaculatissimæ Conceptioni Nativitatique, trado me servum & amatorem æternum.

Volo (&c. &c.) tota, totius mei jactura, defendere ac promovere honorem tuæ immaculatæ Conceptionis.

Parens pretiosissima MARIA, omnibus admirationibus, admiror tuam immaculatam Conceptionem gloriosissimamque Nativitatem.

Exalto tota capacitate mea immaculatam tuam Conceptionem &c.

Gratias ago Sanctissimæ Trinitati, Patri, Filio & Spiritui Sancto, pro tua immaculata Conceptione ac Nativitate.

Benedicta sit Sanctissima Trinitas, Pater, Filius & Spititus S. pro tua immaculata Conceptione, suavissimaq; in mundum Nativitate, & benedicti sint à te, à Filio tuo, à Sanctissima Trinitate, omnes, quicunque, quomodocunque, bene merentur de tua immaculata Conceptione, jucundissimaque Nativitate.

Parens pretiosissima, impetra omnibus Creaturis fidem, amorem, cultum tuæ immaculatissimæ Conceptionis, atque ex tuis infantilibus cunis, in omnes servulos tuos, primitias gratiarum tuarum disperge, in gloriam solennissimæ Nativitatis tuæ.

Adeste, & juvate me, omnes rationales Creaturæ, in fide, amore, exaltatione, immaculatissimæ Conceptionis, lætissimæque Nativitatis Matris dignissimi Dei nostri, Virginis MARIÆ &c. &c.

§. II.
Pro diebus Adventus Incarnationisque Domini.

O Beatissima Trinitas, Deus meus, ecce venio oblaturus incruentum Sacrificium veri Dei & Hominis, verè, realiter, substantialiterque præsentis. Quod ut est

Adoratorium. Offero inexplicitam Latriæ adorationem Sanctissimæ Trinitatis, per concomitantiam in utero Virginali, cum Verbo incarnato existentis. Inexplicitam adorationem Latricam, æterni Patris, Filium suum in uterum Virginis generantis, Filiique Dei, tanquã primarii termini, assumptionis naturæ humanæ, Spiritus S. supervenientis in Virginem, corpusq; Verbo, ex purissimis ejus sanguinibus efformantis. Inexplicitam adorationem Latricam ineffabilis compositi hujus, Deus-Homo. Inexplicitam adorationem Latricam Vir-

Virginis ſanctiſſimæ ut Filio unitæ, & per modum unius, cum illo conſideratæ. Offero inexplicitum Hyperduliæ cultum Virginis Mariæ, quam veram veri Dei-Hominis Genitricem, hoc ſacrificio teſtari intendo. Offero inexplicitam duliæ adorationem, S. Gabrielis Archangeli, primi hujus arcani, ad terram Nuntii, tum etiam aliorum Sanctorum, huic myſterio ſingularius addictorum devotorumque. Offero injuratam confeſſionem eorum omnium, quæ de Verbi Incarnatione ex Virgine, credit S. Eccleſia, quæque Doctores ejus proponunt clarius, quæ denique Theologi probabilius ad Verbi incarnati, ejusque Matris honorem deducunt, ac Comprehenſores in verbo intuitivè vident. Offero in deteſtationem, reprobationemque errorum, hæreſum, blaſphemiarum, quæcunque unquam in Eccleſia fuerunt circa hoc myſterium, quarum omnium memoriam, nec in libris vellem exiſtere, niſi eæ veritatis firmitati ſervirent. Offero in proteſtationem abyſſalis Reverentiæ illius Infantis, quo Verbum aſſumpſit corpus & animam inter ſe unita, ad componendam individuam naturam humanam. Ut eſt

Gratiarum actorium.. Offero in gratiarum actionem, pro Decreto Redemptionis Humanæ, à Sanctiſſima Trinitate facto, idque per Incarnationem Verbi æterni. Pro eo, quod Filius Dei executionem decreti in ſe ſuſceperit, ſeque ad omnes & ſingulas dignationibus pleniſſimas circumſtantias ſubmiſerit. Pro eo, quod Deus Verbum, ſuſcepturus hominem, non horruerit Virginis uterum, ſed eum novem menſibus, diebus ducentis ſeptuaginta ſex, inhabitare dignatus ſit, ſimilis per omnia infantibus reliquis effectus. Pro tota ſerie & recollectione gratiarum, SS. Virgini, & ex opere operato collatarum, toto illo tempore, geſtationis Filii Dei in utero. Pro eo, quod poſt Deum-Hominem

nem factum creatus sim, in eaque temporis plenitudine, in qua Deus misit Filium suum, factum sub lege, factum ex muliere, ac natum de Virgine, in terras. Ut est

Impetratorium. Offero sacrificium hoc, Tibi ô SS. Trinitas, in impetrationem vivacissimæ fidei, firmissimæ spei, ardentissimæ charitatis, in Verbum incarnatum, CHRISTUM JESUM, MARIÆ filium. In impetrationem specialium illuminationum, & inflammationum in Ecclesia, ad hoc mysterium, clarius & affectuosius proponendum, fidelibus. In impetrationem, ne fructus, & efficacia Incarnationis, peccatis fidelium, Sacerdotum, evacuentur in me, & in meis, meæque curæ commissis, sive per gubernationem, sive per Sacramentum Pœnitentiæ, sive per amicitiam, sive quovis alio modo. Ut est

Satisfactorium. Offero sacrificium istud, in satisfactionem pro omnibus, in Verbum incarnatum ingratitudinibus, à me, à tota fidelium, infideliumque universitate, commissis. Pro omnibus quoque irreverentiis, negligentiis, distractionibus culpabilibus, quas unquam in tanti acceptatione beneficii, commisi.

Affectus totius Sacri.

VOlo per totum Sacrum manere in continua replicatione actuum jam prædictorum, & habitorum ante Sacrum, extendendo, atque intendendo illam, atomicè à prima litera, ad ultimam, à primo motu corporis, animæ, partium, & potentiarum ejus, usque ad ultimum, in atomico incremento fervoris, per proportionem, millies, milliesque majorem, ac majorem.

Ante consecrationem.

QUo affectu Gabriel Archangelus procuravit, impetravit, inscripsit Deo incarnando hospitium, in utero Virginis, & quo affectu, eadem Virgo eidem

Deo concessit, obtulit &c. eodem affectu, & ego Tibi Deo meo, Verbo incarnato, sub his speciebus mansionem procuro, inscribo, exhibeo, offero ad & per innovationem actionis Incarnativæ illius, qua Homo factus es in utero, ut fias etiam sub speciebus istis. O Virtus Altissimi, obumbra mihi. In tua enim persona, intentione, instituto, profero verba, ut incarneris hic, per ea &c.

Ad Elevationem.

VErbum caro factum, habita sub speciebus istis Panis & Vini, plenum gratiæ, & veritatis.

Ad Communionem.

VIlli specierum Sacramentalium hospitio exceptus mi JESU, multa viliori excipiere nunc ô mi DEUS, tu-ne intrabis viscera animæ corporisque mei? An ais sine modo, sic enim decet explere omnem justitiam, omnem humilitatem, omnem dignationem. An addis: Quid ad te? Tu me recipe, Tu me excipe, tu me manduca. O Domine: ecce anima mea ancilla Tua, fiat ei, fiat mihi, secundum Verbum Tuum, Amen. Veni Domine.

Post Sacrum.

O Sancte Archangele Gabriel, veni, & vide, quanta Deus fecit. Ecce impleta sunt, quæ dicta sunt mihi per te. Ecce gratiâ plenus sum. Dominus per Sacramentalem præsentiam mecum, benedictus sum inter homines. Jam non timeo, inveni enim gratiam apud Deum. Ecce concepi, peperi, sub speciebus Panis & Vini, per verba consecrationis, Filium, & vocatur nomen ejus JESUS, Emmanuel. Accepit jam sedem cordis mei, ah utinam regnet in domo mea in æternum,

& regni ejus non sit finis. Nolite mirari sancti Arch-Angeli, quod Deus-Homo ad hominem peccatorem diverterit, Spiritus enim Sanctus supervenit in me, & Virtus Altissimi obumbravit mihi. Ideoque & quod per verba consecrationis natum est, sanctum vocatur, Deus-Homo vocatur, latens & immolatus DEUS. Hunc, vos ô Spiritus omnes cœlestes, mecum agnoscite, adorate, & confitemini, quia non est apud Deum impossibile omne verbum, non est difficile, in conspectu Domini, ditari pauperem; Ecce enim, factum est mihi, secundum verbum Angeli sancti. Ecce Verbum caro factum, & habitat in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Nunc autem, quid jam ô sanctissime Gabriel, quid faciam? quando in meis visceribus residet Deus Majestatis. Induc me, ô Archangele sancte, in penitiora Verbi incarnati secreta, induc me, in miserationes ejus, amores, resera secretissima ejus, dignitatis, Dignationisque ejus mysteria. An forte obstupefactus, sicut olim incarnato ex Virgine Verbo, hæres & ipse, remittisque me ad eam, quæ novem mensibus DEO gravida, & si non gravata, utique cognovit sensum DOMINI, utique instituet me, & deducet me dextera sua, in cellas vinarias Dilecti sui, & Verbi sui sancti, ex se Incarnati.

Ad te igitur, ô sanctissimarum Sanctissima convertor, ad Te, ô DEI Mater vera, accurro, repulsam non passurus à Te, quia DOMINUS mecum. Compatere illi, aut demirare illum, quod eo dignationis descenderit. Hoc scilicet, non mea, sed ejusmet factum voluntate, voluit per verba mea incarnari, factum est, voluit mecum concorporari, factum est. Eapropter renuit consolari anima

mea, quia angustiæ mihi undiq; sunt, dum ignoro, quid faciam. Neque excludere possum à me Deum meum, neque digne possum excipere, atque tractare, tantum inhabitatorem cordis mei. Non dedignare ô Virgo Mater, immensorum tuorum meritorum adesse mihi suffragio, cui vides Filium Tuum corporari, adesse, & inesse, præsentia. Redde Filio Tuo desideria mea, meritis Tuis acceptiora, effice vota gratiora, effice vitam similiorem, & dulciorem, effice orationes, obsecrationes, obtestationes efficaciores, & validiores. O Verbum incarnatum Deus meus, per illud instans Incarnationis, & unionis animæ cum corpore, & hujus utriusque cum persona Divina Verbi, per illud inquam instans, in quo verum fuit dicere: Verbum caro factum est, & habitavit corporaliter in Virgine Maria. Obtestor, & obsecro, habita quoque in me per gratiam, & per Sacramentalem, amicabilemque præsentiam. Per illam parvitatem, in qua magnus Deus factus est, ad instar formicæ, in instanti Tuæ conceptionis. Parvus homo, fac me parvum in oculis omnis creaturæ, ac præcipue meis, sicut vere parvulus sum, in ipsa re, & in oculis Tuis. Per omnes dignationes Tuas, quibus in utero Virginis, Te super superque dignantissime subjecisti, (ut est involvi membranis, umbilico nutriri, per incrementa & intervalla temporum crescere, & omnes aliæ his similes dignationes, connexæque) per has inquam obtestor Te, adimple, indue, imbue me excessu, vestitu, spiritu dignationum Tuarum internarum, externarumque, ut sciam has posteriores glorias Tuas, mihi abundantius circundare. Per materna Matris Tuæ, in Te fovendo, nutriendo, gestando, merita, & obsequia: tracta me ut Tuum servilissimum, abjectissimumque mancipium. Per

omnia

omnia illa desideria, intenta, decreta, quæ Deus-Homo, circa omnium quidem hominum, at præcipuè circa meam animam, inclusus in medio terræ, uteri Virginalis, habuisti, obsecro, exple illa quamprimùm, & quam copiosissime, in animabus nostris, pro mensura beneplaciti Tui. Per applicationem efficacem Incarnationis Tuæ, prædestinatis Tuis, quam fecisti in instanti Conceptionis Tuæ, intuitus eos oculis Divinitatis Tuæ, & dixisti de eis. Ecce elegi vos, ut fructus Incarnationis meæ vos sitis, in æternum, fac me ultimum electorum Tuorum, liberque prædestinatorum retineat nomen meum, ut lauderis per me, etiam in hæreditate Tua sancta, inque electione mei, per omnes æternitates. Per influxum, quo in omnes actiones Matris Tuæ (maternas præcipuè) influebas, ita ut Virgo alter Tu, imò idem cum Matre dici posses, stilla super animam meam, desuper, plenitudine conchæ, imò maris istius Matris scilicet Tuæ MARIÆ.

Per omnes gradus gratiæ, & donorum, incipiendo à primo, quem Mariæ jam Matri Tuæ, actu factæ, intensivè & extensivè contulisti, usq; ad ultimum instans separationis Tuæ, ab ejus utero. Fac me unum de catellis, qui vescar cadentibus micis, de superbenedicta mensa Matris Tuæ. Denique, per omne id, quod Deus incarnate habes in Te, per omne id quod es, da mihi fidem, reverentiam, æstimationem, appretiationem, amorem Tui super omnia, propter Te ipsum, propter teipsum, propter te ipsum, propter nomen Tuum, propter Matrem Tuam, propter Prædestinatos Tuos, propter Patrem Tuum, propter Spiritum Sanctum, respice, exaudi, miserere mei, ô Deus-Homo. O Homo-Deus, Amen.

§. III.

Pro diebus IESU CHRISTI Incarnati, ut nos indivinemur.

IN PRIMA PARTE PRÆPARATIONIS.

Fiet 1. Intentio Communis & ordinaria. 2. Intentio particularis & privata. 3. Actus contritionis. 4. Memento.

IN SECUNDA PARTE.

1. Fiet confessio Incarnationis, & gratiæ per eam. 2. Postulabis gratiam Indivinationis, seu in Deum transformationis. 3. Exercebis actus Indivinationis. 4. Offeres Sacrum ad eum finem.

DOMINE JESU CHRISTE, Fili Patris unice, qui Deus de Deo, cum esses, in terras, propter nos homines miseros, ac perditos, descendisti, atque Homo factus, inter homines vixisti, & passus pro nobis, victâ morte resurgens in cœlum, cum gloria ascendisti, ut nos, per Tuas hasce in vita nostra progressiones, ad filiorum Dei honorem, ad Divinitatis sanctificantem & beatificantem participationem adduceres, eximiæ huic Tuæ in nos indignos charitati, ego redemptorum

tuorum postremus, gratias ago, meque Tibi, totius amoris, & servitutis debitorem esse, profiteor, ac recognosco. O quis mihi det Te, DOMINE mi, perfectè cognoscere, & æstimare, hoc immensum pondus, atque precium beneficentiæ, miserationisque Tuæ super me, & super universum genus humanum, quod effudisti, quando occultata DEI forma, in qua æqualis eras, non per rapinam, sed per naturam DEO Patri, exinanivisti temetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus es ut homo. Quis det ô DOMINE, ut universæ familiæ gentium, agnoscant, amplectantur & adorent Te DEUM, propter se incarnatum, agnosco, & amplector, & adoro, & amo ego Te, pro omnibus, & singulis illis, illarumque nomine, officio, affectu, Tibi ab illis debito, Te exalto, ac Tibi gratias ago. O quis mihi det mi DOMINE per gratiam Tuam in Te transformari, & totaliter in Te transire posse, & Tui, quam maxima imitatione, quam ferventissima dilectione, quam purissima, & nudissima inhæsionis, intentionisque, ad Te unum, puritate, in Tui similitudinem transfigurari, Tuisque cœlestibus bonis (quantum creaturæ fas est) ita communicare, quemadmodum Tu de nostræ humanitatis miseriis, (quantum Majestati Tuæ fas erat) participare dignatus es? Et nunquid DOMINE aut voluntatis Tuæ non est, aut difficile Tibi est, talibus bonis locupletare pauperculam animam meam? certe, & Tu DEUS cum esses, factus es Homo, ideo, ut nos Divinitatis Tuæ efficeres participes: & in manu Tua, Pater, omnia reposuit, quæcunque ad

ſalutem, & ſanctificationem ſervorum tuorum, pertinere poſſunt. Age igitur, ô Domine Redemptor mi, qui Deus meus, pro me es Homo factus, exaudi poſtulationem meam, & fac me tibi in Divinitatis moribus ſimilem, ſicut te voluiſti mihi, in noſtræ carnis miſeriis, exhibere ſodalem. Da Domine, ut communicem ego tecum bonum tuum, qui prior ideo communicaſti mecum malum meum, ut mihi communicares bonum tuum. Exalta ad te vilitatem naturæ meæ, qui demiſiſti ad me Majeſtatem Divinitatis tuæ: fac me totum Divinum, & quaſi indivinatum per gratiam tuam, tu qui factus es Deus incarnatus, & inhumanatus propter dilectionem meam. At enim tu Domine, audiens hanc balbutiem infantilis ignorantiæ meæ, derides audaciam meam, qui, quam non ſcio gratiam, à te poſtulare præſumo. Fateor mi JESU, me nihil aut ſcire, aut poſſe, aut habere ſine te, ſed tuum proprium munus eſſe, ut linguas infantium facias diſertas. Non auſcultas tu linguas, ſed corda probas, nec ad ſtrepitum verborum noſtrorum attendis, ſed radices deſideriorum exaudis: Scis ergo quid velim, tu, qui omnia ſcis, & noſti quid petam, qui das ut petam. Neque tamen ego plane quid petam neſcio, & ſi vix aliquid eſt quod ſcio, peto quod jubes, tu, da tu quod peto ego. Peto, ut amem te inceſſabiliter, immutabiliter, inſatiabiliter. Peto ut perdito me, perditisque omnibus creaturis mihi, nihil videam, nihil quæram, nihil amem, nihil habeam, nihil guſtem de me, aut de Creaturis omnibus, propter unum ſolum te, ut ſis mihi omnia in omnibus, & omnia ſint mihi in te, & ſint mihi omnia tu ipſe, obliviſcar mei & rerum omnium, vivam vitam abſconditam tecum, in te, & vivam ego, non ego, ſed vivas tu in me. Sim ego tibi Dilecto meo, & ad me converſio tua. Quid iſtud ſit, tu ſcis Domine, ego autem quod deſi-

desidero, hoc peto, hoc autem desidero, quod tu me desiderare facis, quia omnia in nobis bona facis. O amare, ô ire, ô mihi & rebus omnibus creatis perire, ô ad te Deum solum, nudumque pervenire, in te transire, in te interire, effici unum tecum, non tantum idem volendo quod vis tu, sed etiam nihil aliud velle volendo, nisi quod vis tu. Istud est Deus meus, Jesu Christe, quod petunt omnia interiora mea, istud est pro quo suspirat tibi anima mea, istud est propter quod exinaniri atq; nihilari, & in te demergi concupiscit & æstuat tota substantia mea. Exaudi ergo illam, & comple in ea voluntatem tuam, ut tota voluntas tua transmigret in eam, & illa vicissim tota transeat in voluntatem & voluptatem tuã. Quamvis autem dona tua sint apud te, sine pœnitentia, utpote, qui das omnibus affluenter, & non improperas, hæc tamen est natura liberalitatis tuæ, ut dans omnia omnibus gratis, deneget bona tua ingratis. Vis ergo gratias pro gratiis, imò & quandoque ante collatas gratias, acceptas relatas tibi grates, gaudens si debeas, & referas nobis gratiam pro gratia. Idcirco, ego nunc quod pretiosissimum habeo de manu tua in potestate mea, hoc tibi, pro hac Indivinationis, atque in te Deum meum transformationis gratia, offero, videlicet, temetipsum tibi, in sanctissimo sacrificio immolo, & sub panis atque vini speciebus, æterno Patri tuo, Deo & Domino meo consecro, teque totum cum Divinitate, corpore, anima, sanguine, in pignus, & in artificem hujus meæ transformationis accipere propono. O fiat mihi hoc Divinæ humanitatis tuæ Sacrificium, atque Sacramentum indivinationis meæ, in te, quam peto seminarium, inchoatio, fiat incrementum, fiat fructꝰ, fiat complementum, quo tibi perfectè cruciformis effectus, in corpore & anima, plenè etiam sinceraque tibi semper inhæream charitate.

In tertia Parte.

FIet 1. Invocatio Jesu Christi incarnati, ejusque Humanitatis indivinatæ. Invocatio B.M.V. indivinatæ & Sanctorum omnium, quos hac gratia dignatus est Deus. 2. Invocatio Christi Jesu summi Sacerdotis, Sacerdotum Reginæ & omnium Sanctorum Sacerdotum &c. ut adsint &c.

Affectus totius Sacri.

DEsiderabis facere, & facies pro tuo posse Sacrum, eo affectu cordis, quo vel incarnatus est, vel in hoc Sacrificio, à semetipso oblatus est Jesus Christus.

Volo, mi dulcis Jesu, & statuo, te in hoc sanctissimo Sacrificio immolare, eo affectu, quo tu pro nobis, partim incarnatus, partim in cruce oblatus &c.

In Consecratione.

INibis pactum cum Christo Domino, ut tu quidem per consecrationem illum incarnes, ille autem te per gratiam suam indivinet, atque in se transformet. Dulcissime Domine Jesu Christe, te ego hisce sub panis & vini speciebus incarnabo, & quod dabis mihi præmium? nihil volo, mi Deus, aliud, nisi ut sub his animæ corporisque mei speciebus, tu quoque me indivines, atque totum in te transformes, atque alterum te facias. Volo autem te incarnare ac immolare, in unione illius affectus, quo te Pater æternus sibi, tibi, Spiritui Sancto immolari voluit. Tuque te immolasti, atque & ego simul tecum me immolo in Sacrificium plenum, per manus tuæ sanctissimæ Humanitatis, pretiosissimæ Virginis Parentis & Sanctorum omnium.

In Elevatione Hostiæ.

OStendes toti mundo Christum Deum, per tua verba incarnatum, & petes à Christo, ut etiam te Patri æterno ostendat, per suam gratiam indivinatum.

O mi Jesu, ostendo ego te Creaturis tuis, per verba oris mei incarnatum, ostende tu me Patri tuo æterno, per tuam gratiam indivinatum.

In Communione.

SUmes sanctissimum Sacramentum, affectu & sensu transformatorio, atque absorptivo in Deum, per corpus & sanguinem Jesu Christi.

Post Sacrum Exercebis & petes Indivinationem.

DEus, qui pro salute mundi voluisti homo fieri de pretiosissima Parente Virgine Maria nasci, inter homines vivere, pati & mori: ego omnimodas, pro immenso isto beneficio, Majestati tuæ, meo totiusque generis humani nomine gratias ago, hancque supremam & excessivam dignationem tuam, tota affectionis teneritudine & æstimatione deosculor, suppliciter, à tua suavissima & æternum adoranda voluntate postulans, ut me vilissimum quamvis hominem, attamen, sic quoque servum tuum indivinationis gratia dignari, & Divinitatis tuæ (quantum puræ creaturæ fas est) participem reddere, quàm maximè Divinum & Deiformem, & in te Deum transfiguratum facere digneris. Exuo dulcissime deliciosissimeque Deus meus, omnem vilitatem & humanitatem meam, eamque ante te, & propter te, penitus annihilo, totum autem me in te transfero, transfiguro, transformo, totusque Divinus per gratiam tuam fieri, humillimè studiosissiméque concupisco. Mi Domine, qui das hominibus potestatem filios Dei fieri, totum me absorbe in te, ut ego jam non sim ego, sed totus fiam ipse tu. Omnis substantia mea redeat & pereat in te, omnia opera mea, omnes potentiæ meæ indivinentur & tuæ fiant.

Magnus es, ô magnipotens Deus,& vix intellectui meo notum id quod peto, ſed tu Domine major es in munificentia, à qua id ego peto, & ex cujus dono, impulſu atque voluntate id poſtulo. Domine, tu noſti, quia nullam in mea dignitate, diligentiaque ſpem ponens, ſed de ſola magna gratia tua præſumens, tantum donum à te petere audeo. Aperi ergo manum tuam liberaliſſimam, Domine Deus meus,& hoc animalculum tuum imple, magnifica, tua benedictione. Peto ego, quod jubes tu, da tu quod peto ego, tibi ſit laus & gloria æterna, Amen.

In particulari à Divinitate Chriſti petes hanc transformationem.

DUlciſſime Deus meus Jeſu Chriſte, qui es independens, & à teipſo, totum es id quod es: poſtulo per tuam iſtam independentiam, ut des mihi à nullo alio, præterquam à te ipſo, totaliter, ab aliis autem nonniſi propter te, dependere. Dulciſſime Deus meus JESU CHRISTE, qui es æternus, immortalis & incorruptibilis Deus: poſtulo per tuam iſtam æternitatem, ut des mihi vitam longam, ad agendum & patiendum, pro tua Divina gloria, pro mea & aliorum ſalute, gratia & multa. Dulciſſime Deus meus Jeſu Chriſte, qui es immenſus, incomprehenſibilis & infinitus Deus, deſidero & poſtulo à tua iſta immenſitate, ut tu in omnibus locis & ſpatiis, & cordibus, prout dignus es, cognoſcaris & ameris, & meo quidem, ſi tibi ita placet, miniſterio. Eapropter, ego ſervus tuus, omnia loca, & res, animo meo complectens, te in omnibus & pro omnibus amo, veneror, cultuque divino adoro; pro omnibus autem peccatis, quæ alicubi facta ſunt, vel fient, amo atque appre-

appretio, & æſtimo te ſuper omnia, per omnia, toto conatu mentis, virium & ſubſtantiæ, capacitatisque meæ.

Dulciſſime Deus meus Jeſu Chriſte, qui es omnipotens, infinitaque vi, effectus naturales & ſupernaturales, efficiendi præditus, poſtulo, per tuam iſtam omnipotentiam, ut mihi omnis generis, dona naturalia & ſupernaturalia dones, ita, ut poſſim eſſe, veluti quædam eſca, aut rete, ad capiendos omnes, omnium ſtatuum homines, ad tuumque provectum, ſervitium & amorem adducendos. Dulciſſime Deus meus Jeſu Chriſte, qui es Bonitas infinita, & perfectionum plenitudo inexhauſta, poſtulo à te, per tuam iſtam bonitatem, ut in toto me, & in omnibus actibus meis, nihil ſinas, nihil videas, niſi Bonitatem & perfectionem, faciasque me peragere omnes actiones meas liberas, ſine imperfectionibus ac defectibus, propriisve meis commodis, ſed propter te Deum meum ſolum, tanquam finem ſupernaturalem. Dulciſſime Deus meus Jeſu Chriſte, qui es Sapientia æterna & infinita, poſtulo per tuam iſtam Sapientiam, ut mihi des ſcientiam rerum illarum, quibus ego ad meam & aliorum inſtructionem egeo, poſtulo & donum conſilii, prudentiæ, prophetiæ, diſcretionis Spirituum, & inſuper intellectus ac ſapientiæ, lumenque rationum æternarum. Dulciſſime Deus meus Jeſu Chriſte, qui es dignitas ſubſtantialis, poſtulo à te, per eminentiſſimam dignitatem tuam, ut facias me totaliter dignitatis tuæ æſtimatorem & prædicatorem, corde, ore, opere quovis meo, utque utaris me ad exultandum dignitatem tuam, pro omni voluntate tua, & ad purum guſtum tuum, propter nullum verò præmium meum. Dulciſſime Deus meus Jeſu Chriſte, qui es Filius Dei, Verbum Patris, & ſecunda perſona in Divinitate, poſtulo à te, per hanc filiationem tuam Divinam, ut mihi tam copiosè,

tamque libenter communices, perfectiones naturales atque supernaturales gratiæ & gloriæ, quæ Filiis tuis adoptivis pro statu & captu illorum communicari possunt ac solent, quam libenter atque copiose Pater æternus tibi, totum suum esse communicavit. Dulcissime Deus meus Jesu Christe, qui es prima omnium causa, primumque principium, postulo à te, per hunc principatum tuum, ut sicut tu efficis omnia, & cum omni creatura ad actus suos concurris, huncque concursum ad te, tuamque gloriam, tanquam ad finem ordinas, sic facias, & me omnes & singulas actiones meas, actualiter ad te, & propter te ordinari, adeo perfecte ut nihil sit in actionibus meis directe vel indirecte, ad quod tu Deus, tanquam prima & vera causa, primario concurrere non possis.

Ab Humanitate Christi idem petes.

DUlcissime Deus meus Jesu Christe, postulo à te, per Humanitatem tuam, ut animæ meæ potentias, facias potentiis animæ tuæ quam simillimas, ita eas ordinando & ornando, prout potentiæ tuæ ordinatæ, & ornatæ erant, & ita illas, ad actus excitando, prout tu excitabas tuas. Dulcissime Deus meus Jesu Christe, postulo à te, per humanitatem tuam, ut omnes actus meos naturales, supernaturales, rationales & irrationales, liberos, non liberos, à corpore vel anima procedentes, nec non corporis ipsius partes atque animæ potentias, vires, commotiones, habitus, qualitates, totam denique temperiem, complexionem, naturam, capacitatemque meam, ita temperes & gubernes, prout ista omnia in te ipso moderabaris, ut hac ratione sim veluti quoddam exemplar indivinatæ Humanitatis tuæ, exprimendo omnes actiones meas internas & externas, simillime illi modo, quo illas tu Domine, qua Homo exprimebas &

exercebas. Dulcissime Deus meus, Jesu Christe, postulo à te, per Humanitatem tuam, ut mihi, quam maximum, quamque solidissimum, ac simul tenerrimum affectum tribuas, ad tuam ipsius Humanitatem, quo illam tenere diligam, actionesque illius illuminate penetrem, & proxime exprimam. Dulcissime Deus meus Jesu Christe, postulo à te, per Humanitatem tuam, ut mihi quam frequentissime ac copiosissime meritorum tuorum fructus applices, gratias congruas & crebras à Patre æterno impetres, tuorum mihi meritorum, imprimis verò sanguinis ac dolorum, pro nobis susceptorum, æstimationem concedas, quo pretium sanguinis tui & in me, & in proximorum meorum animabus, digne æstimare, conservare, ad efficaciam suam, fructumque perducere, quantum in me est, te dante, studeam & valeam, Amen.

Aspirationes.

O Simplicissimum atque jucundissimum bonum, quando te inveniam, & quando tibi tenacissime adhærebo. O desiderabile Principium meum, quando in te revertar, & deposita veteri forma, supernaturaliter transformabor. Eja Domine, miserere mei vilissimi peccatoris, emunda & sanctifica cor meum, sublева & illumina mentem meam. Accende & penitus concrema me, igne amoris tui, ut anima mea tota liquefacta effluat in te, tibique sine medio uniatur, ad laudem nominis tui. O Fili Dei vivi, Jesu Christe, conforma me sacræ Humanitati tuæ &c. &c.

§. IV.

Die sacra Iesu Christo in mundum nascenti;

In I. Parte Præparationis, ut supra.

II. Pars Præparationis.

COntinebit hæc meditationem de Christo nascente in mundum, cujus hæc capita erunt;

1. Con-

1. Confiteberis Nativitatem Dei-Hominis Jesu Christi.

2. Magnitudinem hujus mysterii expendes & miraberis.

3. Fructum ejusdem recoles & prædicabis.

4. Ad Jesum parvulum, variis affectibus afficieris.

5. Ab eodem per Natalis ejus dignationes quævis postulabis.

6. Puro gustui Verbi, Patris, Spiritus S. hodierna Sacra offeres.

PRAXIS.

JESUS CHRISTUS Dei Filius, in Bethleem Juda nascitur; Nascitur ex homine, qui nascitur & natus est ex Deo. Nascitur ex Virgine Matre, qui nascitur ex Deo Patre. Nascitur in tempore, qui nascitur in æternitate. Nascitur infans, qui natus est Verbum. Nascitur abbreviatum Verbum, cœlum implens & terram. Nascitur parvulus, cujus magnitudinis non est finis. Nascitur in mundum, per quem factus est mundus. Jesus Christus Filius Dei nascitur in Bethleem Juda, Dominus venit, occurrite illi, dicentes: Magnum Principium, & regni ejus non erit finis, Deus, Fortis, Dominator, Princeps pacis, Alleluja. Audite gentes, & annuntiate hoc, in universa terra; Jesus Christus Filius Dei, nascitur in Bethleem Juda. Attendite populi de longe; Jesus Christus Filius Dei, nascitur in Bethleem Juda. Magnum principium. O quam magnum principium, Jesus Christus nascitur in Bethleem Juda. Dicite vos ô cœlestes Angelorum exercitus, quam magnum sit hoc principium, Jesus Christus Filius Dei. Nascitur in Bethleem Judæ, vos enim audivimus canentes; Gloria in excelsis Deo, & in terra Pax hominibus bonæ voluntatis. Magnum principium, hoccine

est,

est, an aliud expectamus. An illud est hoc magnum principium, in quo Deus creavit cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt, & in quo omnia constant? An illud est hoc magnum Principium, quod cum sit principium, simul est etiam finis, estque Principium & Finis, Alpha & Omega. An illud est hoc magnum Principium, in quo erat, imò quod erat. Verbum, quod Verbum Deus erat, & in principio apud Deum erat, per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, quod factum est, & in quo vita erat: quod deinde caro factum est, & habitat ecce in nobis, & videmus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis?

An illud est hoc magnum Principium, quod omnium est Principium, sine quo nullum est Principium, cujus nullum est principium, sed ipsum est Principium: & ex quo est omne aliud principium, quodcunq; est cujuslibet Principium. O vere magnum Principium! cujus finis non est, sed ipsum est finis omnium, vere magnum Principium! quia est Principium, & magnum Principium, omnia enim alia Principia, si quæ sunt, media potius, quam principia sunt, quia non prima sunt, sed post alia, & ab aliis prioribus sunt, & ideo non vera Principia sunt, & esto, ut principia sint, magna non sunt, sed omni cujusque rei principium parvum est, unde enim grave est, quia infirmum, quia tale, quod neque se ipsum sustinere potest. Hoc verè Principium est, & magnum est, quod & ante omnia est, & in principio omnium est, & Principium omnium est, & ideo verè verumque est, & Principium, & magnum, & solum, ô vere igitur magnum Principium est hoc! JESUS CHRISTUS Dei Filius nascitur in Bethlehem Judæ. Sed enim, quomodo hoc magnum Principium, quod

in mundo non invenit locum, quod in propria veniens, non reperit hoſpitium, quod de cœlis deſcendens, intravit primum Virginalis viſceris ergaſtulum; deinde noſtri corporis circundedit ſibi clauſtrum, tandem in mundo naſcens, ſolum ſibi relictum invenit, cum præſepi ſtabulum. O magnum Principium! quod vagit infans, intra arcta conditus præſepia, cujus membra pannis involuta, Virgo Mater alligat, qui pendulus ab ubere, parvo lacte paſcitur. Ergone magnum Principium hoc? Deus Homo, Verbum infans, æternitas temporalis, vita mortalis, imbecilla omnipotentia, Dominator ſerviens, conditor mundi, incola ſtabuli, cœlorum lætitia, fundens lachrymas, Immenſitas abbreviata, Dignitas contempta, majeſtas exinanita, Forma Dei in formam ſervi transmutata. Hoccine ergo magnum Principium? Hoc utique magnum principium eſſe, atteſtatur verax de cœlo nuntius, dicens: Ecce evangelizo gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Salvator mundi, qui eſt Chriſtus Dominus, & hoc vobis ſignum: Invenietis infantem in præſepio poſitum, ecce infans in præſepio & magnum principium, magnum inquam gaudium toti populo ſuffecturum, quia natus eſt Salvator mundi, qui eſt JeſusChriſtus Filius Dei, qui naſcitur inBethleemJuda. O quam magnum principiumSalvator mundi, quid majꝰ ſalute, quid majusSalvatore? quid majusSalvatore mundi? Ecce hodie melliflui facti ſunt cœli per totum mundum, quia annuntiaverunt mundo gaudium adeò magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt Salvator mundi, qui eſt Chriſtus Dominus. Benedicti cœli eſtote, & Tu benedictus ſis ô Rex cœlorum, & DEUS totius conſolationis, qui conſolatus es nos, faciens nobis mellifluos cœlos per totum mundum. Non eſt jam nobis timere cœlos æneos, ſiquidem

dem melliflui facti sunt cœli per totum mundum. Olim fuit, quod de cœlo dimicatum est contra filios Adam, sed nunc melliflui facti sunt cœli per totum mundum. Dominus nempe venit, occurrite illi dicentes: magnum principium, & regni ejus non erit finis. Sed enim transeamus usque Bethleem, & videamus hoc Verbum quod factum est, & Dominus ostendit nobis. Videamus hoc magnum gaudium, quod erit omni populo, videamus hunc Salvatorem natum nobis, qui est Christus Dominus, videamus hoc magnum Principium. O principium DEUS, ô principium Homo, ô principium Deus-Homo, ô principium Infans Verbum, ô magnum Principium salutis nostræ, & magnæ salutis nostræ Judæ & Jerusalem & universæ familiæ gentium, nolite jam timere, jam enim DOMINUS est nobiscum, jam est salutis nostræ magnæ magnum Principium, Salvator mundi, qui est Christus Dominus, jam est inquam nobiscum, jam scimus, quia venit Dominus, quia natus est nobis Salvator mundi, qui est Christus Dominus & regnabit super nos. Occurramus ergo in dicentes: Magnum Principium salutis nostræ, Salvator mundi natus in mundum, qui est Christus Dominus, Deus fortis, Dominator, Princeps pacis, Pater futuri seculi, & regnabit super nos, & intra nos, & regni ejus non erit finis. O JESU parvule, ô infans DEUS, ô Majestas tenella, ô generose Virginis Fili, magnum Principium boni nostri, Te in cunis Tuis, in membris Tuis, in infirmitate

Tua, in omnibus his infantilibus dignationibus Tuis agnoſcit, amat, æſtimat, amplectitur, anima mea, Tibi, tanquam magno Principi, imò magno Principio ſuo, & omnis boni ſui, ſe ſe adoratoriè proſternit, Tibi ſe tota devotione ſubmittit, Tuæ ſe ſe in æternum mancipat ac maritat Voluntati, Tuæ ſe iſti qua in mundum deductus es, commendat Charitati, per hanc Tuam charitatem, per hanc à charitate Tibi imperatam omnium præſentium Dignationum Tuarum generoſitatem, per omnes Nativitatis Tuæ in mundum Tibi notas rationes, petit anima mea ſibi, (& omnibus aliis quibus petere illam Tu ſcis & vis) hæc omnia, quæ Tu conferre vis, petit, ut ad illam (& ad omnium prædictorum animas) hodierna die venias, ibi naſcaris, ibi nutriaris, ibi diverſeris, illâ cum ſimplicitate, ſinceritate, generoſitate, omnitudine, cum qua in humili præſepio, vel quod magis volo, cum qua in Virgineæ Matris gremio, diverſari dignatus es, fac iſtud ô Infantule JESU, Deus meus, propter totum Nativitatis tuæ myſterium, propter guſtum cordis tui, quem habuit in Nativitate tua, partim ex Nativitate tua, partim ex pretioſiſſima Parente tua, partim ex Patris tui æterni, totiusque Sanctiſſimæ Trinitatis amoroſa voluntate. Ad cujus guſtus ſive renovationem, ſive repræſentationem, ſive augmentum, ſive honorem, hodierna Sanctiſſimæ Nativitatis Tuæ ſacrificia, puro, ſolido, unico SS. Trinitatis guſtui offero: adjungens his, omnes Incarnationis & Nativitatis Tuæ Dignationes, omnia pretioſiſſimæ Parentis erga Te Incarnatum, natum, Infantemque obſequia: omnia tam Angelorum quam Sanctorum tuorum, præterita, præſentia, & futura erga tuam Incarnationem, Nativitatem, Infantiamque Venerationis officia, omnia denique mea erga Te, ac Nativitatis Tuæ Dignationes honorandas, conamina, & ſtudia, per tuam mihi gratiam

data,

data, & per me ad te tibi facta. Tibi, qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendens de cœlis, incarnatus es, nec horruisti purissimæ Virginis uterum, sed de pretiosissimo ejus sanguine, carnem assumens, Homo factus es, sit ab omni re Amor, Gratiarum actio, & Gloria, in æternum æterna & ultra, Amen.

Præparationis Pars tertia.

CONtinebit postulationem benedictionis ad SS. Missæ sacrificium à Christo Jesu summo Sacerdote, à dulcissima Matre Sacerdotum Regina, à SS. omnibus, præsertim Sacerdotibus, & huic mysterio specialiter devotis, quales fuerunt pretiosissima Parens, Angeli, S. Joseph, Pastores, Magi, Simeon, Anna &c.

Ad Christum Dominum.

O Mi Dulcissime JESU, Sacerdos summe & æterne, secundum Ordinem Melchisedech, veni Domine, ut Cervus fontem, ita ego te JESUM appeto, voco, invito, omni famescenti aviditate, te desidero. Veni ô mi JESU! veni hodie ad servum, veni in domum meam, veni in palatium tuum. Hoc corpus meum tibi domus erit, palatium erit hæc anima mea, conclave erit cor meum. Veni itaque Amor mi in domum tuam, in palatium tuum, in conclave tuum, ab omni peccato & inquinamento dignare emundare illud. Veni in templum tuum, & fac flagellum

de funiculis, & ejice nummularios, & usurarios peccatorum, ut quondam in Templo Salomonis fecisti, veni amor mi, munda me, omnesque iniquitates meas dele. Veni Domine mi, & emunda domum tuam, corpus meum, animam meam, & cor meum, cum Divina præsentia; optarem ego sane, sed nequeo mundare eam, & nequáquam sufficio. Non possum Domine mi, rogo Te itaque Amorem meum, ut Tua Majestas ipsâ hoc facere dignetur, ut sic mansionem & cubiculum purum nitidumque invenias, & à Te meliore quo scis, potes, vis, modo præparatum. Cupio Domine mi Jesu sic Tibi offerre ignitissimum, quomodo Tu immaculatam hostiam ipsemet pridie, quam patereris, in cœnaculo, & sicut à primo Conceptionis Tuæ instanti, toto vitæ decursu, Te ipsum Patri æterno offerre consueveras, & præcipuè in hora amarissimæ Passionis Tuæ, in horto, domo Caiphæ, ante Præsides & Judices, ad columnam flagellationis, & super aram crucis, & in momento mortis Tuæ, & sicut Te in die Conceptionis, Nativitatis, Præsentationis, & mortis Tuæ, obtulit sacratissima Mater Tua & Virgo. Veni ergo, millies ad Te anhelo, Te desidero, famescente aviditate. Veni ergo mi Jesu, & benedic toti corpori, animæ, sanguini, vitæ, visceribus membris meis, in quibus hodie recumbes, benedic linguæ meæ, palatui, labiis, faucibus, gutturi. Benedic illi horæ, momento, quo ad me venturus es. Benedic illi tempori, quo apud me moraberis sacramentaliter. Benedic omnibus cogitationibus, consiliis, operibus, sermonibus, officiis, muneribus, nutibus meis. Benedic toti mihi, ut quantus quantus sum, amore tuo

sancto,

ſancto, perfecto, intenſo, appretiativo adimplear, luceam, ardeam.

Ad beatiſſimam Virginem.

AN verò ſine te, ſine tuis auxiliis, ſine tuis ornamentis, ſine benedictionibus, pauper ſervus tuus, dilectiſſimum amorem tui cordis Jeſum recipere præſumam, hocque myſterium, tam benedictum tractare, ac conficere attentabo. O auguſtiſſima Mater & Virgo, Regina Sacerdotum, abſit à me tantum hoc audaciæ ſcelus. Si igitur illum à me recipi vis, ſi tractare, ſacrificare, ornare me dignè illi recipiendo velis. Exorna ergo me meritis ac virtutibus, & donis, gratiis & gloria, ac beatitudine tua, & ſic me comptum, Filio tuo ad me venienti ſiſte. Sic me exorna, ô divina Mater! Filio tuo, quemadmodum te Spiritus Sanctus exornavit eidem Filio ad te venire ſe apparanti, talem & non alium ornatum à te peto piiſſima Mater, peto autem illo, quo & tu petebas affectu. Obſecro Virgo clementiſſima, ne contemnas, neque confundas hanc petitionem meam, ſed omnia fiant etiam mihi ſecundum votum meum. Benedic ergo hæreditati tuæ, ô Hæreditas mea MARIA.

Ad ſanctos Sacerdotes.

ADeſte omnes S. Sacerdotes, genus electum, & regale Sacerdotium, quos elegit Dominus ex multis

millibus, ut fungeremini Sacerdotio coram ipſo, ut haberetis laudem in nomine ipſius, offeretisque illi incenſum dignum, in odorem ſuavitatis, adeſte ad me nunc, quando ſanctiſſimum Jeſu Chriſti corpus & ſanguinem conficere & recipere debeo. Afferte nobiscum omnia veſtra merita, virtutes, dona, gratias, gradus gloriæ, beatitudinem omnem, & me iſtis omnibus exornate, ut Dominum meum, juxta ac veſtrum, quem vos ſummè diligitis & colitis, digniſſime recipere valeam. O beatiſſimi Chriſti Sacerdotes, ſed præſertim vos ô ſancti Patroni mei, Gregori, Ambroſi, Auguſtine, Carole, Bernarde, Philippe Neri, Ignati, Xaveri, cæteri omnes, liceat mihi ſanctis veſtris precibus, cum ea puritate, modeſtia, diligentia, dexteritate, reverentia & devotione, ſanctiſſimum hoc Miſſæ Sacrificium peragere, cum qua vos illud aliquando peregiſtis, aut peragere deſideraſtis.

Affectus Sacri totius.

TEnelle JESU, generoſe Matris Virginis ſanguis, cum quo Patris æterni, Tuo, Spiritusque S. guſtu, naſci in ſtabulo, & pannis involvi, in præſepioque alieno reclinari voluiſti, cum eodem ego te guſtu, ſub ſpeciebus Panis & Vini in ſanctiſſimis hodiernis Sacrificiis, ponere ac immolare deſidero & propono. Tu accepta propoſitum meum, & guſtui Sanctiſſimæ Trinitatis fac illud quam puriſſimè guſtabile.

Conſecrationis.

PArvule, ac pro me de Virgine naſci dignate JESU, quo te cum affectu, Parens tua dulciſſima, ex ſe natum, pannis infantiæ involvit, ac in præſepio reclinavit, hoc eodem affectu, ego indignus, te eundem, ſub hisce ſpeciebus Sacramentalibus, involvo ac depono.

Ad

Ad Elevationem.

SIcut te Maria cum genuit, adoravit dulcissime JESU, ita & ego modo genitum à me adoro, Angelisque omnibus tuis adorandum te, inter manus meas exhibeo, ut te adorent mecum, & in manibus meis, omnes Angeli Patris tui.

Poteris etiā imitari Angelos hodie canentes: Gloria in altissimis Deo, & eadem verba usurpare cum Angelis.

Ad Communionem.

MI JESU, qua sensus affectusque tui teneritudine, lacte Virgineo apud Matrem tuam pastus es, eadem teneritudine affectus mei, te verum in hoc sanctissimo tuo Festo, & in hoc tuo Sacramento, lac sumo. Et sicut gustum tuum divinum, divina Mater tua actibus cordis sui purissimi contentavit, ita & te in hoc Sacramento sumens, consimilibus tuum gustum affectibus divinum oblectare & contentare posse desidero, peto, contendo, ad purum gustum tuum, & quia hæc est voluntas tua, dignitasque voluntatis tuæ.

Post Sacrum.

Gratiarum actionis Pars prima.

POterit esse per quinque affectus ad Jesum Christum in Sacrificio immolatum, & in sanctissimo Sacramento receptum. Dulcissima hospes animæ meæ: Vide supra.

Gratiarum actionis Pars secunda.

COntinebit meditationem de Christo nato: cujus capita hæc;

1. Exultabis de Christo nato, præsertim & primum in anima tua, deinde in mundo.
2. Salutabis Infantem Christum.
3. Amabis illum, & petes amorem ejus.

PRAXIS.

LÆtentur cœli & exultet terra ante faciem Domini, quoniam venit, venit affluens bonitate, supereffluens misericordia, super superque effluens charitate. Venit non solum in omnem orbem terræ, sed etiam venit in vile tugurium animæ meæ. Lætentur cœli & exultet terra, ante faciem Domini, quoniam venit. Venit Deus & non tardavit Oriens ex alto. Oriens nomen illi, implens & salvans, nomen illi Deus, Fortis, Consiliarius, Princeps pacis nomen illi. Notum fecit Dominus animæ meæ salutare suum, Alleluja, Alleluja, Alleluja. O magnum mysterium & admirabile Sacramentum! ut anima pauperculi hominis videat Dominum natum, jacentem in cordis sui præsepio, vere Sacramentum hoc magnum, & in Christo & anima, verè admirabile commercium Dei & Hominis. Verbi & animæ, Christi & peccatricis, verùm nisi hic esset Propheta, & plus quam Propheta, nesciret profectò quæ sit hæc, & quam misera, ad quam venire, & in qua reclinari dignatus est. Nunc autem, cum is sit qui omnia scit, venit misericors ad miseram, dives ad egenam, Salvator ad infirmam, sicut pluvia in vellus descendit, ut salvos faceret morbos ejus, & animatum corpus suum tradens illi, largitus est etiam illi ineffabilem Deitatem. Ergo lætentur cœli & exultet terra ante faciem Domini, quoniam venit. Quidni lætentur in tanta effluentia Bonitatis Dei super infirmam & contemptam suam? Quin imo magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in id ipsum. Cantate Domino, & benedicite nomini ejus, annuntiate de die in diem salutare ejus. Annuntiate inter gentes & gloriam, & bonitatem ejus, in omnibus populis mirabi-

rabilia ejus. Sonet confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus. Sanctimonia & magnificentia in ſanctificatione ejus. Tu verò imprimis benedic anima mea ipſa Domino, & noli oblivíſci omnes retributiones ejus. Etenim ille propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, ille ſanat omnes infirmitates tuas, ille redimit de interitu vitam tuam, ille coronat te in miſericordia & miſerationibus, ille replet in bonis deſiderium tuum, ille dat tibi omnes petitiones cordis tui. Et quomodo non omnia oſſa tua dicent laudem illi? quomodo non magnificabis eum in laude ſuper omnes laudabilitates ejus? Quantum ergo potes, ſuperexalta eum, qui benefecit tibi, quia ſupervalebit adhuc, dato gloriam nomini ejus, quoniam ſuave, quoniam bonum, quoniam miſericordia & miſeratio præparatio ejus. Ecce canit multitudo militiæ cœleſtis, Gloria in altiſſimis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Etenim hodie nobis de cœlo pax vera deſcendit, diſſolvens maceriam, dividentem inter nos & DEUM noſtrum, & faciens deinceps utraque unum. Hodie per totum mundum melliflui facti ſunt cœli. Hodie illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Hodie implevit Dominus miſerationes ſuas ab æterno, & conſummavit veritates ſuas fideles, quas juravit Patribus noſtris, daturum ſe nobis. Ecce parvulus natus eſt nobis; Ecce jam FILIUS datus eſt nobis, cujus merces cum ipſo eſt, cujus veritas in eo, cujus Principatus ſuper humerum ejus. Beata Genitrix MARIA, quæ credidit, quoniam perfecta ſunt illi, & nobis per illam, omnia quæ dicta ſunt ei à Domino, genuit hodie Salvatorem populorum, ipſum Regem ſæculorum,

lactat

lactat ubere de cœlo pleno, & cujus viſcera permanent intacta, quæ meruerant portare Dominum CHRISTUM, qui hodie pro ſalute mundi naſci dignatus eſt. Dies ſanctificatus illuxit nobis, & ideo venite gentes, & adorate Dominum, ipſe enim eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus ejus & oves paſcuæ ejus. Ipſe eſt arbor vitæ in medio paradiſi, quam deſideravit ſed non guſtavit Adam. Ipſe eſt arca diluvii, ſervans mundum à facie iræ Domini. Ipſe eſt arcus Dei in nubibus cœli, habens in ſe pactum Dei æternum. Ipſe eſt benedictio ſeminis Abrahæ & Iſaac verus. Ipſe eſt ſcala Jacob & deſiderium collium æternorum. Ipſe eſt Leo & catulus Leonis Juda. Ipſe eſt Joſeph filius accreſcens & ſalvans Ægyptum. Ipſe eſt arca Teſtamenti. Ipſe Moyſes per rubrum mare traducens populum ſuum, & demergens Pharaonem. Ipſe Joſue dux populi, qui introduxit populum in terram promisſionis. Ipſe David fortis robore, victor Goliath, & ædificans muros Jeruſalem, Vir ſecundum cor DEI. Ipſe Rex pacificus, verusque Salomon, ædificans templum nomini Domini, non manu factum. Ipſe flos Virgo de radice Jeſſe. Ipſe lapis abſciſſus de monte, ſine manibus. Ipſe expectatio Gentium, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum Gentes deprecabuntur. Ipſe paſtor, & Medicus, & Doctor datus, in lucem Gentium. Ipſe Lux mundi. Ipſe Rex ſuper Sion. Ipſe Sponſus præ filiis hominum formâ ſpecioſus. Ipſe ſacerdos, altare, hoſtia. Ipſe liber vitæ. Ipſe pater futuri ſæculi. Ipſe Judex vivorum & mortuorum. Ipſe Primitiæ ex mortuis reſurgentium. Ipſe via, veritas & vita. Ipſe omne bonum. Ipſe Theſaurus ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Ipſe gratia, Juſtitia, ſalus, beatitudo noſtra. Ipſe principium & finis, Alpha & Omega, primus & novisſimus, Domi-

mi-

minus universorum, & vita in voluntate ejus. Talis est Dilectus tuus, ô anima mea, natus in te, natus tibi hodie, dilectus ex dilecto, & ipse est amicus tuus. Ipse amor tuus, Ipse bonum tuum, salve ô Dilecte, salve ô ex millibus Electe, salve candide & rubicunde, salve totus desiderabilis, totus delectabilis, totus delectatio, totus desideria. Salve unice votorum meorum, spes mea ab uberibus, protectio mea ab inimicis meis, vita mea in medio umbræ mortis, refrigerium à pressura flammæ, redemptio à calumniis, absconditum tabernaculi à flagello linguæ impiæ, & à verbo mendaci. Salve puelle maxime, salve infans Verbum, vita mortalis, robur infirmum, Spiritus caro, DEUS, Homo, te adorant omnia viscera animæ meæ, te agnoscit, te amat, æstimat, te concupiscit, te laudat anima mea, tota capacitate sua. O desiderabilis! O delectabilis! quam bene mihi tecum, quam male mihi sine te sum, si tamen sum, quia hoc ipso non sum, quod absque te sum. Ah quam sero te amavi, ô bonum meum tam obvium, tam necessarium, tam rarum, quærebas me, obviabas mihi, dabas te mihi, & ego te, aut nesciebam, aut negligebam, aut repellebam. Væ tempori illi, quo sine te fui, quo sine te me esse volui, & nec sensi, nec dolui, quid tunc defuit mihi ad malum plenum, quando te à me excludebam omne bonum. Sed tu bonus & vincens malitiam nostram, dirupisti vincula mea, confregisti jugum, amovisti vectes & irruisti usque ad intimum animæ meæ fundum, & possedisti me Rex potens, pacificus, æternus. Et quid retribuam Tibi? Nihil habeo, quam ut dem, permittam, devoveam me tibi, ut habeas, teneas, regas, possideas me tibi in æternum, miserearisque tu mei, sicut scis & vis, cui subest cum volueris, omnia posse, & in cujus conspe-

ctu, facillimum est de stercore elevare & ditare pauperem. Miserere mei, & dominare mihi, sicut potes, scis & vis, non quia vel ego volo, vel quia bonum mihi, sed quia placitum Tibi, quia hæc est voluntas tua, & quia hæc est dignitas voluntatis tuæ, ut nihil velim, nisi quod tibi placet. Tibi, quia placet Tibi. Ama me, amore illo, illo amore tuo magno, fideli, antiquo, quo cum adhuc inimicus essem tuus, amasti me prior gratis, & dedisti ut amarem te. Et nunquid verum est, quod amem te mi Deus, mi Deus, Homo Jesu? Interroga omnia interiora mea, & dicent, & non mentientur, quia amant te. Quia amo te toto me, vel potius toto te, quia quidquid mei amat te, quantumcunque amo te, totum tuum est, totum ex te est. At quantum est hoc quod amo te, Amor magne, Domine Deus meus, quantum sit hoc, tu nosti, quia omnia nosti, ego autem nescio, quia nihil, nisi quod tu doces, scio, hoc tamen scio, quia tu Deus amator noster, amas nos charitas, amas nos immensitas; Nos autem vicem tibi rependimus cum mensura, & quantulum est hoc at illud amoris tui originalis perenne profluvium? Sed tu Infans Verbum, tu abbreviatum Verbum, non amas amari verbis, sed amas amari amore, amas amari opere, amas amari Veritate. Da quod jubes, & jube quod vis. Hoc peto mihi, hoc peto omnibus meis, hoc peto omnibus iis, quibus me petere velle scis & vis. Da nobis quod jubes, & jube nobis quod vis. O parve Deus, ô magnum Principium, cujus regni, cujus amoris, cujus Divinitatis non est finis, tibi gloria, honor, laus, exaltatio in æternum æterna, ab omnibus. Fiat, fiat, Amen.

Gra-

Gratiarum actionis Pars tertia.

COntinebit gratiarum actionem JesuChristo summo Sacerdoti, beatissimæ Virgini, Reginæ Sacerdotum, SS. omnibus, præsertim Sacerdotibus, & huic mysterio devotis, pro auxilio in SS. Sacrificii oblatione, Sacramentique sumptione.

Christo summo Sacerdoti.

GRatias tibi ago, dulcissime Amor mi JESU, summe Sacerdos, quia in hoc sanctissimo Sacrificio mihi adesse, & benedicere, & in augustissimo hoc Sacramento ad me venire dignatus es. Assumo & induo omnes omnium creaturarum affectus, iisque tibi, tum pro hoc summo beneficio, tum pro omnibus aliis, abs te mihi quoquo modo præstitis & præstandis, gratias ago, hasque gratiarum actiones in æternum continuo. Quod si aliqua beneficia neglexi, vel iis sum abusus, id nunc defleo, & ea omnia humillimo, & gratissimo affectu suscipio, pro illisque tantas ago gratias, quantas possum, quantas debeo, quantas tu Patri æterno obtulisti, quantas pretiosissima Parens, quantas S. Josephus, quantas omnes sancti Patroni, præsertim mei, obtulerunt & offerunt, quantasque divina voluntas tua ea conferens beneficia promeretur.

Reginæ Sacerdotum.

TIbi verò, ô pretiosissima Mater Dei & Virgo, Sponsa Spiritus S. & S. Joseph, ô dulcissima & immaculata Mater dulcis mei JESU, Mater admirabilis, Mater amabilis, MARIA Virgo, quas gratiarum reddam actiones, pro magno beneficio hodie mihi præstito, cum mihi ad manducandum & bibendum carnem & sanguinem benedicti Filii tui dedisti: Agant tibi gratias pro me, omnes Angeli, omnes Sancti & Sanctæ Dei, præ-

præſertim S. Angelus cuſtos meus, & SS. Patroni mei, tibi Reginæ dulcisſimæ, rogo, obteſtor, per cor immaculatum tuum, per quinque vulnera Jeſu. Ipſi enim ſoli ad hoc ſufficiunt, & ego quod potero, ſemper facere paratus ſum, ob tuum Filiique tui amorem. Pretioſisſima Dei Mater & Virgo da, ut ex hoc dono debitum fructum elicere valeam, illudque diligenter ac ſedulo conſervare, ne merear denuo illo privari. Rogo te etiam amantisſima Domina, & pretioſisſima Dei Mater & Virgo, ut roges dulcisſimum Filium tuum, ne ullo die negligat me viſitare, quoad vixero, & tu mea Domina, mitte eum ad me diebus ſingulis, quibus in hac vita mortali hæſurus ſum. Cum autem appropinquabit finis miſeræ vitæ meæ, auge mihi gratiam, ut me præparem ad recipiendum ipſum, ut eo, & te, Joſephoque tuo, comiteque meo ſancto Tutelare ſtipatus, periculorum illud iter ſecurus decurram, ac tandem eo perpetuo in cœlo perfruar.

Sanctis Sacerdotibus cum Sacri oblatione.

SIt & vobis laus, gloria & gratiarum actio, ſancti Sacerdotes & amici Dei, qui mihi Dominum veſtrum immolanti, ſanctè adſtitiſtis, meque ſanctis veſtris precibus & meritis ſublevaſtis. Tibi Christe Jeſu, in Sanctis, & cum Sanctis, ſit gloria & exaltatio ſempiterna. Da etiam in unione virtutis Sacramenti hujus, & meritis pretioſæ Matris tuæ Sanctorumque tuorum, ut tibi ſit acceptabile hoc obſequium ſervitutis meæ. Gratias tibi ago pro intentionis directione & auxilio omni collato. Fateor, quod ſuper omne meritum meum mihi benefeciſti. Agnoſco me nihil dignum te, niſi ex te, in te, & per te feciſſe & egiſſe. Agnoſco multiplicem meam negligentiam, imprudentiam, tepiditatem,

præ-

præcipitantiam, multosque alios defectus Tibi notos, eosque obsecro mihi Domine ostende, nunc, ut compungar. Tu ablue pretioso sanguine Tuo, tu corrige, supple, & satisfac, quidquid boni verò actum est, accepta, perfice, conserva, & tuis sanctis adjunctum meritis, Patri æterno præsenta, cui sit laus & gloria, exultatio æterna, Amen,

§. V.

Diebus Sacris Iesu Christo patienti & morienti.

Pars prima Præparationis ut sup.
Pars secunda Præparationis.

PRAXIS.

QUis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut fleam diebus ac noctibus, interfectum unigenitum Dei Filium, Redemptorem hominum, Deum salutis nostræ, vitam, salutem, & lucem gentium, Regem Regum terræ, Jesum Christum Dominum nostrum? Ah mi dulcissime Domine Jesu, Fili Virginis, & æterni Patris, quam parvulus in gentibus datus, & factus es. Ah quam contemptibilis tu valde, verè & iniqui, & iniquitates nostræ ingravatæ sunt super te, fabricaverunt super dorsum tuum, produxerunt sulcum suum, & prolongaverunt iniquitatem suam. Quid enim in te Domine Jesu ausi non sunt? quid non fecerunt ii, qui fecerunt. Fecerunt in te, quæcunque voluerunt, in hora sua, & in hora potestatis tenebrarum, Ab illa hora, qua immisit diabolus in cor

Judæ, ut traderet Te, ut intravit in eum, poſt buccellam à te ipſo, manu tua benigniſſima porrectum, poſt ablutos Divinis manibus tuis pedes, quibus ille nihilominus ſuſtinuit currere ad effundendum ſanguinem tuum, faciendumque citius id, quod faciebat infelix, hoc eſt; ad tradendum te Dominum & Magiſtrum ſuum, crudelibus inimicis tuis, ab illa inquam hora, quando coarctabaris ô dulcis Jeſu, in expectatione Baptiſmi tui, quo baptizari habebas pro nobis Filiis tuis emortuis, uſque dum in te plene pro ſalute noſtra proque noſtrorum peccatorum emendatione perficeretur. Teſtis eſt anguſtiæ tuæ, dulcis Jeſu, partim triſtitia illa, partim tædium, partim mœror, quouſque ad mortem conflicta eſt anima Tua, teſtis eſt deprecatio tua, qua conteſtatus es Patrem tuum, procidens in faciem tuam, ut tranſiret à te calix amarus valdè? Teſtis agon ille, quo infirmâ carne tuâ, pro nobis infirmis membris tuis, colluctatus es, uſque dum ſudor tuus, de toto corpore tuo, ſicut guttæ ſanguinis decurreret in terram, ut ſic per ſanguineas lachrymas, membris omnib9 plangeres, & defleres peccata noſtra, ſed ô dulcis Jeſu, non diuturna fuit illa in te infirmitas carnis, in timore mortis, quam ad conſolationem infirmorum membrorum tuorum, omnium ſcilicet hoſtium aſſumere, atque oſtendere in tempore illo dignatus es. Ecce enim ſpiritus ille promptus, ille voluntarie ſe ſacrificans Patri æterno, occurrere te fecit ſponte inimicis tuis, & laborem eorum in quærendo te per noctem ad mortem minuere. Verum non laborabant in quærendo te. Occurriſti enim illis in via hilariter, non quaſi leæna, ſed velut agnus manſuetus, accedentem ad te lupum illum diſcipulum admiſiſti, & ori tuo in quo dolus non erat, os abundans malitiâ, & dolo, applicuiſti: & ſpectaſtis cœli os Judæ ad oſculum Jeſu Chriſti approximatum, admiſſum, & acceptatum?

Oza

Oza arcam Dei labantem attingens, morte mortuus eſt. Judas oſculo Filium Dei tradens ad mortem, vivit? & inſuper amicus eſt? O Amice ad quid veniſti! O Amice quomodo huc intraſti? ex tunc autem irruerant ſuper te Philiſtim, ô vere Samſon, injecerunt manus ſuas in te, comprehenderunt, tenuerunt te, tanquam latronem, ligaverunt & duxerunt ad Annam primum, ad Caipham Pontifices, & ad conſilium ipſorum malignans, & improbum, ibi examinatus, à reis Judex accuſatus, ab iniquis juſtus, addictus morti, à damnatis innocens: ab impiis blaſphemiæ in Deum reus proclamatus es Sanctus. Et nunquid pepercerunt in faciem tuam ſpuere? nunquid abſtinuerunt à te manus ſuas? nonne dederunt tibi alapas, nonne velaverunt faciem tuam, vellicaverunt genas tuas, percuſſerunt te, irriſerunt, deſpexerunt, capita ſua moverunt, blaſphemaverunt, tota illa nocte, pœnis & injuriis tuis ſaturati ſunt, ô noctem illam plus quam noctem, quam ipſe Spiritus Sanctus erubeſcens in nocte reliquit ſilentii, neque in locum Evangelii ad Eccleſiam ſuam tranſmiſit. O nox digna maledicto, in qua inimici Dei noſtri, fecerunt in eum quæcunque voluerunt. Et eheu! quæ ſunt illa quæ voluerunt?

Tandem gens & Pontifices tui tradiderunt te Pilato dulcis JESU, poſtulantes crucis mortem tibi, qui peccatum non feceras, deligentesque virum ſibi homicidam, dignum morte Barabbam donari, te autem crucifigi. O indignum & infelix commercium! Et Pilatus quidem non ignorabat, quod per invidiam tradidiſſent te Judici, ideo & remiſit te ad Herodem, declinans judicium & mortem tuam, ſed ad exaggerandam calamitatem tuam.

Exceptus ab Herode, quomodo tandem ſpretus & illuſus ab ipſo, & ab aula ejus, veſte alba velut ſtultus & inſanus indutus, ac Pilato remiſſus, innocentiæ trophæum, teſtimoniumque retuliſti, ſed tamen non abſtinuit à te impius Judex manus ſuas, replevit enim amaritudine animam tuam, ſine cauſa diſcooperuit te, nudavitque coram oculis omnis multitudinis, ſicut unum de ſceleratis, nec pepercit amariſſimis verberibus Virgineam carnem tuam divellere, plagis plagas, livoribus livores, vulnera vulneribus crudeliter infligere. Inſuper, ſuper dolorem adjecit vulnerum tuorum, tremendum ipſis Angelorũ poteſtatibus caput ſpinis configere, vili chlamyde circundare, genu flectere, tanquam inſulſum Regem ſalutare, alapis cædere, ſputis fædare, & ſic tandem ab hominis etiam ſpecie crudeliter deformatum, circumſtanti multitudini ſpectandum dare, & ut ſe pœnis tuis ſaturarent omnes, tanquam crudelibus beſtiis exponere. O miraculum dolorum Jeſu mi! ô cruciatuum regnum! O vir paſſionum & ſciens infirmitatem! Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum, ſi tamen, vel fons ſufficiat, ut defleat ſuper Te mi Jeſu, carmen luctus mei, & plangam dolorem Tuum, major eſt cruciatus Tuus, quam ut fontes ſufficiant ei. Magna enim eſt velut mare contritio Tua, non eſt Tibi aſpectus, non eſt ſanitas in Te, ſed omnia vulnus, livor, dolor, & plaga tumens. In his tamen omnibus non eſt averſus furor eorum à Te Domine, mi Jeſu. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura, ô pertinax plane! quæ tot malis Tuis non acquievit, ſed imo amplius exarſit, furit deſiderio ſanguinis tui, atque recepit ſanguinem Tuum, & ſuper ſe, & ſuper filios infelices ſuos, poſtulans te ad mortem, mortem autem crucis. Igitur poſtquam illu-

illuſerunt Tibi, induerunt Te veſtimentis Tuis, ut crucifigerent, bajulantem ſibi crucem, & producunt te in Golgotha, & vinum myrrhatum dabant tibi bibere cum felle mixtum, & cum guſtaſſes, noluiſti bibere, tunc crucifixerunt Te, & tecum duos latrones hinc & hinc, medium autem Jeſum, tu autem dicebas: Pater dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt. Poſtea cum accepiſſes acetum, deque illo guſtaſſes, dixiſti: conſummatum eſt, & clamans voce magna: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum, inclinato capite, emiſiſti Spiritum. Tunc unus militum lancea latus tuum aperuit, & continuo ſanguis & aqua exivit, in redemptionem noſtræ ſalutis. Inter hæc vero tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, ſurrexerunt, & omnis creatura morientem authorem ſuum planxit, plancto magno, qualis non fuit ex quo homines eſſe cœperunt, uſque in præſentem diem. Hi ſunt mi dulcis Jeſu labores, doloresque Tui, pro me, & pro omnibus fratribus meis peccatoribus, quorum ego primus ſum. Hic eſt Baptiſmus tuus, quo ab inſtanti conceptionis tuæ, uſque ad punctum mortis tuæ baptizari deſiderabas. Hoc eſt opus noſtræ ſalutis, à te Artifice ſuperadmirabili, per labores, dolores, contemptus, cruciatus, per mortem denique ipſam perfectum in medio terræ, hoc eſt ſacrificium tuum veſpertinum, quo te Patri æterno victimam pacificam, & pro peccato & holocauſtum immolaſti, ſuper aram crucis, ſecundum ordinem Aaron, ſacrificium tuum, quo pugnaſti fortiter contra armatum fortem, & viciſti eum, & alligaſti, & vaſa ſpoliaque ejus diripuiſti. Hic eſt triumphus charitatis, quem egit de te vincto, & victo ſuo imperioſa &

morte fortior bellatrix, atque triumphatrix, non acquiescens ullis satisfactionibus tuis, donec te crucifixum, & mortuum cernens, daret prædam domesticis suis, hoc est nobis, tua charitate in sanguine tuo redemptis, dicens; hæc est præda veri David, accipite de benedictionibus Domini, pro vobis crucifixi. Hæc ergo meditari dixi sapientiæ, in his justitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi potus interdum salutaris amaritudinis. Ex his rursus suavis unctio consolationis, memoriam abundantiæ suavitatis horum eructabo, quoad vixero, in æternum non obliviscar miserationes istas, qui in ipsis vivificatus sum.

Et nunc mi dulcis JESU, nonne propterea venis in horam hanc, ut faciam quæ facturus sum in tui commemorationem, offerens panem & vinum, & sub his corpus tuum & sanguinem, repræsentans, omnes labores, doloresque mortis tuæ, quos in diebus carnis tuæ pro nobis suscepisti, gratias agens tibi pro omnibus istis miserationibus tuis, & accedens per te in sanguine tuo, ad Patrem tuum: ut propter te, & propter crucem, passionem, mortemque tuam, misereatur mei & omnium Redemptorum tuorum, totiusque Ecclesiæ tuæ, quam acquisivisti tibi in sanguine tuo, ut possideres nos, exhiberesque Patri sine ruga & sine macula. Hoc faciam in gloriam tuam, in gloriam Patris æterni, in gloriam Spiritus S. quoniam tu fecisti, & me insuper facere jussisti, voluntate tua adoranda, suavissima mea sponsa, quia hæc est voluntas ejus, & dignitas voluntatis ejus, & voluntas dignitatis ejus.

Pars

Pars tertia Præparationis, ut ſupra.

Affectus totius Sacri.

QVo tu affectu dulciſſime, dolentiſſimeque JESU, paſſionem tuam Patri, ad guſtum ejus, & ad noſtram ſalutem, in die paſſionis obtuliſti, cum eodem modo, ego deſidero, eandem paſſionem tuam, Patri, tibi, Spiritui S. in hoc Sacrificio repræſentare, ad eundem guſtum ſanctiſſimæ Trinitatis, & fructum noſtræ ſalutis.

Ad Conſecrationem.

DUlciſſime, dolentiſſimeque Domine JESU, quo tu affectu, in loco ſupplicii tui nudatus, in cruce decubuiſti, teque illi admenſus, & Patri æterno in gloriam, pro nobis autem in ſalutem, hoc eodem affectu eundem te, ego ſub his ſpeciebus Vini & Panis depono, admetiorque immolandum, Patri æterno in gloriam, nobis omnibus in ſalutem, voluntati tuæ, dignitatique ad guſtum, cordi tuo dolentiſſimo, ad compaſſionem & repræſentationem.

Ad Elevationem.

IN compenſationem omnium contemptuum, inſultationumque tuarum dulciſſime JESU, quos inter latrones pendens, ab amariſſimis hoſtibus tuis pertuliſti, elevo te in his ſpeciebus atque omnibus creaturis, tuis honorandum propono, teque cum omnibus, & pro omnibus adoro.

Ultima dulcissimi IESU verba septem, Communioni accommoda.

1. Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. *Die Dominico.*
2. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. *Feria secunda.*
3. Mulier, Ecce Filius Tuus, Ecce Mater Tua. *Feria tertia.*
4. DEUS DEUS meus, ut quid dereliquisti me. *Feria quarta.*
5. Sitio. *Feria quinta.*
6. Consummatum est. *Feria sexta.*
7. Pater in manus tuas commendo spiritum meum. *Sabbatho.*

Deinde.

TRaditum à Christo moriente in manus Patris spiritum, tu corde tuo quam pretiosissimo ferculo ac scriniolo recipe, Patrique æterno defer, vel conserva una cum sacrosancto ejusdem Christi Jesu corpore & sanguine, quem nunc sumis. Ecce Pater æterne, spiritus Filii tui morientis vadit ad te in his speciebus sanctis, ecce illum, Filius tuus tradidit tibi. Ecce illum his in visceribus meis condit, & in scriniolo cordis mei deponit, ecce me tibi commendat, dicens: Pater ignosce illi, non enim scit quid facit. Vel alio die: Ecce mihi Matrem, me Matri commendat, vel ut exiget verbum diei accommodum.

Post Sacrum.

Gratiarum actionis Pars I. ut supra.

Gratiarum actionis Pars II.

DUlcissime Jesu, Jesu dulcissime, dulcissime Jesu, ubi es? Ubi te inveniam? quam ad mundi plagam disces-

discessisti? Responde mihi, qua te regione, quo loco inquiram, ubi es? ubi pascis, ubi cubas? ubi latitas, indica mihi? An forte nec locum in diversorio, nec foveam in terra, nec nidum in arbore, nec spatium, in quo caput tuum reclines, habes? Ubi ergo te inveniam mi Jesu, an in cœnaculo grandi strato? forte cum discipulis Pascha manducas, discipulorumq; tuorum pedes lavas? Sed te jam inde discesisse nuntiant, abiisse extra civitatem cum discipulis hymno gratiarum actionis pronuntiato. Ergo in horto es? loco orationis tuæ solitæ, quo alias frequenter cum discipulis consuevisti super montem Oliveti Patri supplicare? At balantes, sparsæque oviculæ tuæ nuntiant, te jam hic non esse. Orasti tu quidem hic in multam noctem, fudisti sanguinem, paululum etiam à mortis agone abfuisti. Sed à proditore discipulo hostibus osculo traditus, ab iisdem captus, ligatus, heu nescio quo à furente cohorte, ministrisque Sacerdotum ductus es. Nunquid ergo palatia Sacerdotum Annæ & Caiphæ te tenent, mi Jesu, ajunt, te hic pernoctasse quidem in obscuro specu, noctem per omnia miseram & calamitosam duxisse, & summo mane vinctum Pilatoque oblatum, in Prætorio dicunt. Quid Prætorium? mi Jesu plateæ, vicique Jerusalem, nescio quid clamant de te dicentes: Te hic & illic fuisse ductum, reductumque à Pilato ad Herodem, ab Herode ad Pilatum concursasse, habitum etiam nescio, qua de causa mutasse, hæsisse autem diu intra Prætorium, cumque Pilato longa habuisse seu colloquia seu judicia. Clamoribus autem omnia & tumultibus replentibus, quid de te fieret sciri non potuisse. Hoc ajunt: Strepitus ibi quosdam fuisse longos, vocatos lictores, armatos adfuisse virgis, & flagris, & spinis, quid factum nesciunt, tradunt te, mi JESU, flagellis, virgis.

ſpinisque cæſum, coronatum, ſerto ſpineo, chlamyde amictum ſordida, alapis cæſum, conſputum ſputis, incerta tamen omnia, cum interim & dimiſſus ſit neſcio quis malefactor & Rex, neſcio quis ſalutatus, genuflexionibusque adoratus ſit, poſt hac latam verè & promulgatam ſententiam mortis in te, an alium dicere non valent plateæ Jeruſalem, vario tumultu, diverſisque motibus & vocibus concuſſæ. Filiæ Jeruſalem dicunt, mi JESU, te jam extra civitatem ductum, uſque in eum qui dicitur Golgotha Calvariæ locum, onuſtum cruce tua, comitatum latronibus. Ergone mi Jeſu credam filiabus Sion? Ergone credam ejectum te Sanctum Sanctorum ex civitate ſancta, nec uſquam amplius comparere in ea? Credam mi JESU, credam, imo credo, veſtigia enim cognoſcuntur, & produnt te purpuratum, tuo ſanguine ſtillante, de flagellis conſciſſo corpore tuo. Ergo forte in monte hoc Dominus meus JESUS morabitur. Ergo forte mons Moria, mons amarus, mons mortis habebit te mi JESU, quem mons pinguis, mons olivarum detinere non potuit. Sed enim quid video? Crux ſtat madida ſanguine ſparſa, fervore tepet adhuc terra, inſuper inſcriptio eſt adhuc ſuper crucem: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM.

Te ipſum, ô JESU NAZARENE, Rex animæ meæ, non video. Eheu! nonne affixus fuiſti cruci? nunquid clavi tenere te in tormento formidarunt, nunquid abfuerunt cuſtodes & tortores. O crux infidelis cuſtos theſauri, cur JESUM amiſiſti, titulus adhuc dicit tibi eum creditum fuiſſe, ſanguis, quo intincta es, eum in te clamat pependiſſe. Cur non tenuiſti honorem tuum, ô lignum

alias

aliâs semper ignominiosum, cur non tenuisti benedictum fructum tuum? O lignum alias maledictum, cur non tenuisti pretium tuum? O lignum alias vilissimum, ô oliva, ô ficus, ô vitis, quare deseruisti pinguedinem, dulcedinem, vinumque tuum? quod Deum & Hominem fortificat. O arbor, quæ omnibus cedrisLibani mundo prostabas, jam viduata fructu, inter ramnos & tribulos connumeraberis. Heu! quis te deposuit de ligno, ô mi JESU? qui regnas à ligno, quare solium Regni, virgam directionis, Sceptrum potestatis deposuisti, securus eram quod invenirem te in cruce, utpote affixum, diligenter ab hostibus tuis cruci, & ecce tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Ubi vestigia ejus sunt nusquam præsentia. Fuisse in horto inter fontem lachrymarum, sudor & sanguis clamat, in Domo Annæ, Caiphæ, palmæ, alapæ, colaphi, blasphemiæ, condemnationes, verbera, evulsi capilli, perstrepunt, in palatio Herodis joci, lususque militum fuisse, & pro stulto habitum jocantur. In Prætorio: Virgæ, flagellaque cruentata, fessus verberando carnifex, sanguis pavimento sparsus, narrant JESUM fuisse. In Calvariæ monte: Crux & titulus crucifixum testantur, & ubi tandem es mi JESU? mea salus, mea redemptio, mea justitia, mea vita, meum pretium. Ubi es mi JESU? Rex meus, Pastor meus, Medicus meus, Magister meus, gubernator meus. Ubi es, mi JESU? Crucifixus amor meus, Rex dolorum, vir sciens infirmitatem, Agnus tollens peccata mundi. Ubi es mi JESU? ubi es? An fortè alicubi nova pateris tormenta, an forte maternus te sepelivit dolor, in lachrymoso corde suo, an inter amicorum pias manus depositus jaces? vulneraque tua lavantur,

&cor-

& corpus aromatibus ungitur. Ferunt te, mi JESU, Patri ſpiritum tradidiſſe, de cruce ſublatum, & Joſepho donatum, tumulo conditum, & ſaxo advoluto concluſum. O dolor! ut quid auctus es dolenti & amanti cordi meo? an parum fuit malis meis, quod pro miſeriis meis dolentem te ſcio crucifixum & occiſum, niſi etiam te occiſo & crucifixo caream. Si vel mortuum te haberem, ſi vel in cruce pendulum videre poſſem, ſolatium eſſet cordi meo, & aliquantula pax dolori meo, nunc autem quid mihi eſt in cœlo, quid velle poſſum ſuper terram, te Deo cordis mei ſepulto, & condito in terram. An forte ſeipſam fallit anima mea, an forte imponit ſibi decipitque ſeipſum cor meum. An forte habeo te, mi JESU, & vicinus es mihi, & intra me es, intra viſcera cordis mei Amor latet? Ita eſt mi dulcis JESU, ita eſt, tu in corde es, & ego queror non eſſe in cruce. Tu ecce veniſti modo in me, & ego dolore morior, quod non inveniam te. Ecce totus es mi JESU, ecce cum corpore, & anima, & ſanguine, & divinitate, & meritis tuis, totus es in me, totus intra me, totus in viſceribus, & corporis, & cordis mei. Ecce tu candidus & rubicundus, ecce tu electus ex millibus, ecce tu glorioſus totus, & Rex à cruce, Rex dolorum, Rex deſpectuum, ſaturatus opprobriis, ſaginatus patientia, ſanguine affluens, verberibus, plagis & percuſſionibus dives, vermis & non homo, ſine ſpecie ſpecioſus, ſine decore decorus, ſine forma ſuper filios hominum formoſus, mortuus vitam habens abſconditam in morte tua. Ecce tu à planta ad verticem carens ſanitate omnium ſanitas. Ecce tu inglorius & inhonorius, honor noſter & ſalus noſtra. O JESU, cui in te ita licuit, quæ iſta fera adeo peſſima devoravit te, cujus quæſo fuit hæc hora, in

qua

qua contra te DEI filium & virtutem fortis esse, & invalescere potuit ? Ah quanta est ista tua potestas tenebrarum, quæ in te Conditorem lucis, tantum prævaluit. Ecce quæso Leo sic contrivit omnia ossa tua, ecce quasi leæna raptis catulis furens desævit in Te. O membra Christi delicata, quomodo aruit quasi testa virtus vestra, caput depilatum & spinis confixum, frons concussa & collisa, oculi defecerunt à lachrymis, genæ lividæ & tumore ingravatæ, labia disrupta, confracti dentes, lingua felle, acetoque denigrata, guttur amaritudine plenum, fauces siti & siccitate scissæ, collum palmis confractum, barba illusa & evulsa, facies sputis fædata, pugnis tumida, unguibus lacera, colaphis cruentata, omni specie, reverentiaque destituta, aures abstractæ, nasus naresque sauciæ, palpebræ ingravatæ, celia evulsa, tempora spinis confixa, & quid de toto reliquo corpore dicam ? in quo oculis sanitatem & integritatem non reperies, omnia vulnera, omnia verbera, omnia sanguis occupavit, membra in unum vulnus, omnia coierunt vulnera, omnes dolores unus dolor facti sunt, omnes plagæ in unam plagam coaluere. Ut meritò desideratus sis, quippe non inventus, non cognitus à Prophetis in Spiritu, ab animabus in passione, sed quasi leprosus reputatus, quasi absconditus creditus, quasi inter vermiculos contritus, quorum nemo est memor amplius, denuntiantes. Et in carne quidem talis factus, talis inventus est, talis repertus Dilectus meus, jam quid in anima? tenebras posuerunt latibulum suum, dolores interni animæ tuæ bone JESU, secretum hoc tuum, secretum tuum tibi dulcissime, dolentissimeque JESU animæ tuæ, dolores nemo novit præter animam tuam, abscondita hæc est à me scientia, & non potero ad eam. Denique si ea quæ in corpore sunt, vix invenimus

cum

cum labore, vix pensamus cum dolore, vix numeramus cum amarore, vix honoramus cum amore, intima cordis secreta, & profundas animæ tuæ abyssos, fluctusque dolorum usque ad animam pertingentes, quis recensebit? quis inspiciet? quis cogitabit? Deus erat reconcilians mundum in Christo, anima Christi receptaculum erat omnium thesaurorum sapientiæ, scientiæ, bonitatis, virtutis, dignitatis, sanctitatis, amoris, amorositatis, pulchritudinis, laudabilitatis, dulcedinis, perfectionis, denique Divinitatis. Et quis poterit cogitare sensum tantæ animæ? quo pertulit tædium, tristitiam, mœrorem, timorem, quo pertulit contumelias, calumnias, blasphemias, & alia sexcenta, quo pertulit contemptus, ignominias, opprobria, illusiones, confusiones, pudores, quo pertulit probra, dicteria, exprobrationes, quo pertulit iras, odia, invidias, quo pertulit duritiem, obstinationẽ, implacabilitatem, impœnitentiam, veritati manifestæ repugnantiam deliberatam, quo pertulit derelictionem, ingratitudinem, impudentiam, cæcitatem cordis, aggravationem, quo pertulit dolores dolentium, lugentium, mœrentium, timentium, erubescentium, contemptorũ patientium propter se, quo pertulit injurias dignitatis Paternæ, & suæ, peccata infinities infinita, vilitatem, malitiam eorum, à quibus, pro quibus patiebatur, quo pertulit exiguum fructum & limitatum effectum tantorum dolorum suorum, quem par erat nullis stringi limitibus ex merito, si non aliter visum fuisset æterno Dei Patris beneplacito. Innumera alia quis excogitabit? quæ latuere in anima tua dulcis JESU? dolorum cordis tui seminaria? Nemini hæc nisi animæ tuæ nota, cui etiam soli fuere dolorifera. Sit benedicta in æternum dolorosissima anima tua dulcis JESU, pro omnibus doloribus suis, sit benedicta in sæculum pro omnibus angustiis suis, sit benedicta in æternum pro omnibus tribula-

bula-

bulationibus suis. Multo autem magis sit benedicta, sit exaltata, sit magnificata, dulcis anima tua, bone JESU, pro omnigenis virtutibus suis. Etenim, quamvis mirabilem te exhibuerit anima tua, ô admirabilissime & patientissime JESU in cruciatibus corporis tui, & in angustiis cordis sui, super omnia tamen reddidit te nobis servis suis, & mirabilem, & amabilem, & imitabilem, in copiosissimis & eminentissimis virtutibus tuis, quas tu, ô mirabilis virtutum Doctor, post omnem vitam tuam, & tota passione tua, & morte tua præcipuè exhibuisti. Quid enim defuit in passione Tua patientiæ tuæ, humilitati, modestiæ, mansuetudini, taciturnitati, temperantiæ, verecundiæ, miserationis, fortitudinis, prudentiæ, magnanimitatis, liberalitatis, constantiæ, perseverantiæ in bono, religiositatis, obedientiæ, devotionis, orationis, resignationis, mortificationis, compassionis, longanimitatis, justitiæ, rectitudinis, veracitatis, zeli gloriæ Dei, salutisque nostræ? quid defuit charitatis, non tantum patientis, sed & compatientis, non tantum dolentis, sed etiam morientis? Nihil defuit omnino, quippe qui omnem justitiam implevisti, usque dum exinanires te propter nos & cursum consummares, perficeresque mandatum, usque ad ultimum apicem, quod dederat tibi Pater in mandato perficiendum, opus redemptionis nostræ. Et tu perfecisti illud quidem, ô bone J E S U, usque ad imum profundi, & supernum excelsi, ita, ut denique animam in manus Patris commendaveris, Spiritumque tuum omnium consummatorem ei tradideris & consignaveris.

Superest autem mi J E S U, fructus Redemptionis tuæ, ut eum applices & effundas super animam meam, & super animas omnium fratrum meorum, homi-

hominum ſcilicet peccatorum. O mi JESU! ecquid prodeſt tanto labore, ſudore, dolore, exinanitione peregiſſe te ſalutem noſtram, quid prodeſt, te mortuum eſſe pro noſtris peccatis, ſi nihilominus contingat nos mori in peccatis, quid prodeſt fructuoſá eſſe fertilem, que paſſionem tuam, ſi nos fructum ejus non guſtamus. Sed prius in deſerto morimur, quam in promiſſionis Terram te verò Joſue Duce ingrediamur.

Bone Jeſu, tune pati potes damna paſſionis tuæ, tune diſſimulabis evacuari dolores tuos, tune permittes perire nos moriente pro nobis. Non ſic Domine, non ſic, ſed ſub umbra tua vivemus, & fructus tui dulces erunt gutturi noſtro, ſugemus mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo, bibemus de ſpirituali petra, manducabimus manna, nidificabimus in cavernis maceriæ, habitabimus in foraminibus petræ. Mors Tua Jeſu, erat vita noſtra, paſſio Tua ſalus noſtra, ignominia Tua honor noſter, crux Tua gloriatio noſtra, ingerantur nobis pœnæ, deſpectus Tui, vincula, flagella, ſpinæ, ipſa denique quia nihil ſtulto mundo probroſius, crux ingeminetur, & objiciatur, non negamus, non erubeſcimus, gloriam etiam in crucis nomine prædicamus, gentibus ſtultitiam, Judæis ſcandalum, reprobis probum, ſed electis Dei virtutem, ac ſapientiam, Jeſum adeo, ut abſit nobis gloriari, niſi in cruce Tua Domine Jeſu, abſit ut ſciamus, ut prædicemus, ut exaltemus aliquid niſi Jeſum, & hunc Crucifixum. Hæc mea ſublimior Philoſophia, hæc mea elementa ſermonum, hæc cogitationum ſeges, hæc verborum flumen, hi bonorum theſauri, hæc amorum & deſideriorum occupationiſque exſaturatio, Jeſus crucifixus, Jeſus paſſus, Jeſus contemptus, Jeſus ſtultus, Jeſus vermis, Jeſus abjectio plebis, Jeſus peripſema mundi, Jeſus odium, & nauſea carnalium. Jeſus pudor

ſuper-

ſuperborum Jeſus pauper , Jeſus ejectus, Jeſus caſtigatus, Jeſus latronibus pejor , Jeſus reus mortis , Jeſus blaſphemus, Jeſus ſeductor, Jeſus malefactor, Jeſus Samaritanus, Jeſus potator vini, Jeſus dæmoniacus, Jeſus ſeditioſus , Jeſus filius fabri , Jeſus filius Mariæ, Jeſus Galilæus, Jeſus Homo, non à Deo, Homo honore, luce, vita, nomine, miſericordia, homine indignus. Iſte eſt Jeſus meus, & exaltabo eum, Deus meus, & glorificabo eum , fortitudo mea, & laus mea, iſte Jeſus. Iſte factus eſt mihi in ſalutem, in vitam, in pretium, in gloriam, in præmium, in ſcientiam , in ſapientiam, in beatitudinem, in omnia. Ipſe eſt ſermo ejus inter parvulos. Ipſe ſapientia mea inter perfectos. Ipſe gloriatio mea inter ſuperbos, ipſe exaltatio mea inter magnos. Ipſe manſuetudo mea inter humiles, ipſe opulentia mea inter divites, ipſe Dux meus in via , veritas in tenebris, vita in regione mortis. Ipſe denique quanto pro me vilior, tanto mihi charior, ubi pro me turpior, ibi mihi pulchrior, quanto pro me infirmior, tanto mihi ſublimior. Etenim vivo morte illius , honoror probris illius, induor nuditate illius, ſanor livore illius, ditor paupertate illius, magnificor exinanitione illius, exaltor dignationibus illius, confortor infirmitatibus illius, erudior ſtultitia illius , glorior pudore & confeſſione illius, ſum & permaneo deficientia illius. Scis mi crucifixe Jeſu , ſcis linguam hanc meam , ſcis loquelam meam, iſti non ſunt abſconditi à Te , miſta deſideria mea & gemitus mei ante Te ſunt ſemper. In Te eſt cantatio mea, ex Te gloriatio mea, de Te prædicatio mea, pro Te exultatio mea, ad Te vociferatio mea, poſt Te ambulatio mea ſemper, qui es laus mea ſemper, ſcis ergo, quia omnia ſcis, imò ſcis quia omnia das, & facias, quia non mentior, & mentiri nolo, quia Tibi non poſſum , ſcis inquam quia Tu Jeſus crucifixus

es mihi omnia, per omnia, super omnia. Tu mi Jesu, tu mi Crucifixe, tu mi votorum meorum Dilecte, tu mi honorum & divitiarum Thesaure, serva & auge in me, mihi propter te hanc voluntatem. Auge mi Jesu, auge fidem, spem, charitatem, sensum, gustum, fructum passionis, contemplationis, paupertatis, mortis tuæ. Inprime te mi Crucifixe, & vilifica te Jesu memoriæ meæ, exprime te intellectui meo, adprime te voluntati meæ, sensus mei sentiant te semper, scis quasi vita mea, pendens ante me jugiter, sit passio tua pro me, æterna seges compassionis meæ super te. Calix dolorum tuorum inebriet semper me dolore, amaritudine, & absynthio. Crux tua sit mea crux, clavi Tui configant me, flagella tua flagellent me, & spinæ tuæ sauciant me, vincula tua ligent me, probra tua confundant me, deficiam tecum, moriar tecum, peream tecum, sentiam tecum, sensum tuum, & sine solatio perferam desolationes tuas, doleam cum dolente te, crucier à cruciatibus tuis, vel propter cruciatus tuos, moriar morte tua, vel pro morte tua. Denique te in carne passo & ego eadem cogitatione penitus semper obarmer, semper passionem tuam experiar, gustem experimentaliter, condiscam, & exercendo jugiter perseverem. Fructum passionis tuæ mi Jesu crucifixe pro nobis communica, & effunde illam mihi, communica fratribus meis, omnibus peccatoribus, communica tibi Ecclesiæ tuæ, communica omnibus filiis Adam, pro quibus tu omnibus mori dignatus es. Communica autem affluenter, assidue, & efficaciter, ut quid enim perditio hæc mi Jesu, tantum passionum & dolorum & meritorum thesauri, si nos indigni sumus quibus communices, & passio tua dignissima quam communices. Ad hanc

autem

autem communicationem mi Jesu crucifixe, mi Jesu amor dulcissime, ecce me tibi in servum & ministrum, in instrumentum, si indignus sum, passio tua faciat dignum, si ineptus, dolores tui faciant ipsum, si inutilis, merita tuæ mortis facient utilem. Neque enim tu Domine invenis, sed facis nos tales, quales habere cupis, das quod jubes, & jubes quod vis, & facimus nos omnia per te, sine quo facimus nihil, per quem facimus omnia, quia tu es Domine, qui opera nostra in nobis, & per nos operaris omnia. Ecce igitur ego tibi servus, ego mancipium, ego instrumentum, ego dispensator fructus passionis & mortis tuæ mi dulcis Jesu, ad omnes animas, in omnes gentes, per totum mundum, quia sapiens & stultus, dives & pauper, pusillus & magnus, opus tuum sunt omnes, redempti tui sunt omnes, liberati tui sunt omnes. Ecce ego mi Jesu, ecce ego mitte me, ad communicandum passionis tuæ fructum, ad prædicandum te Deum pro nobis crucifixum, utere me, utere sive per ignominiam, sive per bonam famam, sive per vitam, sive per mortem, sive per exaltationem, sive per vilificationem meam, juxta puram, sanctam, adorandam, suavem voluntatem tuam. Utere, sub quacunque conditione, sub omni circumstantia, sub omni beneplaciti tui designatione. Sit hic mihi mi dulcis, mi Crucifixe, mi pro me passe, & mortue Jesu, sit inquam hic mihi unus etiam fructus passionis tuæ communicatus à te, ut possim esse instrumentum, communicando in alios omnes passionis tuæ. Mi Jesu, fac mecum hanc voluntatem tuam, ut ne confundar hanc potentiam meam, quam non haberem, neque fundarem, nisi propinatam, promeritam, communicatam mihi per passionem tuam, quod ergo meruit illa mihi ut velim, & petam à te, ut te

Jesum crucifixum, passum, mortuum, nec non crucis, passionisque, mortisque Tuæ fructum, sensum, gustum, spargam per universum mundum. Ecce ego Jesu, ecce Tuum instrumentum, ecce Tibi mancipium. Ecce Tu passus, Tu dolens, ecce Tu meritis, fructibusque, Passionisque, ac mortis Tuæ, super-plenus, age, perfice, utere, fac si vis quod vis, prout vis, quia vis. Ego testor miserationem Tuam, testor passionem omnem Tuam, testor omnes fructus passionis Tuæ, testor voluntatem Tuam, quia ego servus, ego mancipium, ego instrumentum Tuum, ad communicandam passionem Tuam, Tu dulcis Jesu, fac per me de communicatione passionis Tuæ unicam & solam voluntatem Tuam. Quia hæc est voluntas Tua, hæc est dignitas voluntatis Tuæ. Hæc est voluntas dignitatis Tuæ, Amen.

Gratiarum actionis Pars tertia, ut supra.

§. VI.

Die sacra IEsu Christo resurgentiâ mortuis.

Præparationis Pars prima.

COntinebit hæc quatuor. Primo. Intentionem communem. Secundo. Intentionem privatam. Tertio. Examen Conscientiæ, cum actu Contritionis. Quarto. Memento utrumque.

Præparationis Pars secunda.

PRAXIS.

PUtasne mortuus homo rursum vivat, nisi fuerit Deus cum illo? Putasne erit aliquis inter mortuos liber, nec captivus tenebitur à morte? Putasne ex sepulchro quis revertetur, & victoriam mortis evacua-

bit? Ergone cavet aliquis à morte animam ſuam, & guſtatis doloribus mortis, impoſſibile erit eum teneri ab eis? A ſæculo non eſt auditum, ut quis ſuſcitaverit ſe ipſum de ſepulchro, & jugum mortis confregerit, abſorbueritque mortem in vitæ ſuæ victoria? Defecerunt fortes in hominibus, donec ſurgeret homo de Iſrael, Homo Deus, Homo Filius Hominis, & Filius Dei, Chriſtus Jeſus. Ipſe eſt expectatio Gentium, ipſe deſiderium collium æternorum, ipſe primogenitus mortuorum, primitia dormientium, ſolus primus inter mortuos liber. Ne cæteris ô inimica mors ſuper nobis, quia ecce ſurrexit de medio noſtri Vir, qui computreſcere faciet jugum tuum, quod aggravaſti ſuper nos à diebus antiquis. Ecce vir exſurgens nomen ejus, ô exſurge Domine Jeſu! exſurge gloria mea, exſurge Pſalterium meum & Cythara, exſurge diluculo, exſurge & portas mortis aperi, clauſtra ſepulchra reſera, vectes inferni confringe. Ecce conſurgit, ecce reſurrexit, & jam nobiſcum eſt, ecce rediit Author noſter qui ad horam receſſerat à nobis. Quid gloriaris ô inimica mors ſuper eo quod devoraveris eum & in ſepulchro concluſeris Fruſtra & Tu Judæe ſignas lapidem cum cuſtodibus. In die virtutis ſuæ cum venerit dies Domini magna, conſurget à mortuis & exibit de ſepulchro. Ecce jam eſt hæc dies quâ reſurrexit Dominus, dicite in nationibus, & annuntiate hoc in univerſa terra, quia ſurrexit Dominus de ſepulchro, ecce locus, ubi poſuerunt eum, ſurrexit, non eſt hic. Ubi eſt nunc ô mors victoria tua? Ubi eſt glorificatio tua? O inferne. Ubi eſt ô mors ſtimulus tuus? Nonne abſorpta eſt mors omnis in gloria reſurrectionis? Nonne obtuſus eſt ſtimulus tuus ô mors? Nonne evacuata eſt gloriatio Tua ô inferne? Ecce mortuus erat Dominus Jeſus & revixit, ſepultus erat & reſurrexit, & inſuper convivi-

vivificavit nos quoque resurrectioni suæ. Ergo in resurrectione tua Domine Jesu cœlum & terra merito lætantur, merito relinquuntur tristes luctus, & sumitur cythara, & tympanum, & gaudetur ad sonitum Organi, auditurque vox lætitiæ in terra nostra, quia Dominus regnavit à sepulchro, Catulus Leonis Jesus accubuit quasi Leo, & quis suscitavit eum? Surrexit Dominus quia Dominus est, quia potestatem habet ponendi animam suam, & iterum sumendi eam. Annon licet ei facere quod vult? Annon Dominus est vitæ & mortis, habens clavem in manu sua, & quis resistet illi? Quis similis tui in fortibus Domine, quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia. Ecce quomodo conturbati sunt Principes Edom, quomodo robustos Moab obtinuit tremor, quomodo riguerunt habitatores Chanaan, in magnitudine brachii tui Deus, dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua percussit inimicum tuum omnem, & in multitudine gloriæ tuæ deposuit adversarios tuos. Et dixisti, ubinam sunt qui absorbebant fluvium, & non mirabantur, & habebant fiduciam, quod & Jordanis influeret in os eorum? Cessare feci ex hominibus memoriam eorum, & abstulisti à populo meo jugum ipsorum, mea, mea est ultio, & ego reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderunt me, ac populum meum, retribuam mala secundum adinventionem ipsorum, ut labatur pes eorum. Laudate gentes Deum nostrum, quia gloriose magnificatus est, equum & ascensorem currus Pharaonis, & exercitum ejus, projecit in mare, electos principes ejus submersit in mari rubro, abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis, non remansit ex eis ne unus quidem. Non adjecit ultra

tra opprimere & captivare nos, universus interiit, sicut in medio Madian. Benedictus sit Dominus Deus noster, in multitudine virtutis tuæ, in magnitudine brachii tui, in splendore fulgurantis hastæ tuæ, in altitudine consilii tui, & profundis abyssis cogitationum tuarum, vere Domine tu es Rex potens ad salvandum, redemisti, salvasti, vivificasti, eduxisti nos, confregisti sceptrum exactoris, & triumphasti adversarios tuos, oppressores nostros. Ob quod Domine immolamus tibi nos servuli tui humiles, pacificas hostias, sacrificia laudis, Sacrificia sanctificationis, & ego quidem etiam unus è redemptis tuis, ecce in præsenti oblaturus accedo incruentum Sacrificium, tibi, & Patri tuo, & Spiritui Sancto, ex te ipso Deo vero & Homine ab inferis redivivo confectum. In quo, quatenus est Adoratorium, adoro cultu Latriæ, te ô Verbum incarnatum, Jesum Christum, gloriose resurgentem ex mortuis, neque jam amplius mortalitati nostræ subjectum. Adoro etiam cultu Hyperduliæ dulcissimam Parentem tuam, ex gloriosa resurrectione tua tantum, & non amplius lætificatam, quantum fuerat ex passione tua contristata. Adoro etiam cultu duliæ, Angelorum beatorum ordines universos, qui de tua gloriosa resurrectione exultarunt universi, nominatim vero, Angelos illos sanctos, qui resurrectionis tui nuntii fuerunt. Adoro denique Sanctos omnes illos, quos tu eduxisti in potestate tua, de lacu, in quo detinebantur, expectantes te salutem & lucem suam. Tum verò particulatim, adoro omnes illos, qui ex speciali beneficio tuo, in passione atque resurrectione tua resumpserunt corpora sua de sepulchris, tecum cum

corporibus resurrexerunt. Jam verò in hoc eodem Sacrificio, quatenus est illud Gratiarum actorium; Gratias Tibi ago, Deo meo, nostro Verbo incarnato, à mortuis redivivo, quod Sanctissimam Tuam naturam Humanam, morte dissolutam, iterum coadunasti, animam gloriosi corporis reuniendo, illique per hoc etiam ineffabilis gloriæ dotes communicando. Gratias quoque Tibi ago, quod potentissima & Victrix anima Tua, descendens ad Patres sanctos illos, ex carcere illos eduxerit, beatificaverit omnes, quosdam vero insuper secum in corporibus suis resurgere fecit. Gratias etiam Tibi ago, pro omnibus apparitionibus post resurrectionem Tuam, à Te, ad solatium amatorum Tuorum, & ad roborandam fidem resurrectionis Tuæ, pro nobis toties factis atque repetitis. Gratias denique Tibi ago, quod post resurrectionem Tuam, morans per 40. dies in mundo, potissimum autem cum dulcissima Parente Tua. Tum etiam cum discipulis Tuis, eosque de regno Tuo, quod est Ecclesia Tua, instruere, potestatisque Tuæ gratias salutares relinquere, penes eos & penes Ecclesiam dignatus sis. In hoc eodem Sacrificio quatenus Impetratorium est, peto à Te Deo & Homine Verbo incarnato, à mortuis redivivo, per hanc ipsam gloriosam resurrectionem Tuam, augmentum vivæ fidei, atque spei resurrectionis meæ per Tuam: Peto autem hanc fidem atque spem, in omni sua latitudine, annexioneque effectuum ejus. Peto etiam per gratiam resurrectionis spiritualis, ad gratiam sanctificantem, ad stabilitatem & augmentum ejus, ad novitatem & fervorem vitæ, immutationemque totius status mei interioris, in melius, & perfectius coram Te, non autem id soli mihi peto, sed peto etiã toti Ecclesiæ, meis in Spiritu, quos Tu scis, & vis, meis pœnitentibus omnibus, præsertim hujus tempo-
ris,

ris, meis amicis, benefactoribus, consanguineis, adversariis, æmulis, ingratis, ac detractoribus. Denique in hoc eodem Sacrificio, quatenus est Satisfactorium, intendo & cupio expiare, omnes & singulas meas tepiditates, præsertim negligentias quadragesimales, inque beneficium Redemptionis, & societatem compassionis commissas. Speciatim intendo per hoc Sacrificium, expiare pigritiam meam in labore adducendarum animarum ad resurrectionem à peccatis, in novitatem vitæ.

Intendo etiam expiare irresignationem meam, & non plenam cum Tua Divina voluntate conformitatem voluntatis meæ. Intendo etiam expiare omnem irreverentiam meam, in corpus meum, & in totum me.

Præparationis Pars tertia, ut supra.

Affectus totius Sacri.

TOto sacro affectu exultantis Christi ipsius dulcissimæ Parentis, sanctorum Angelorum, & Patriarcharum, & discipulorum Domini de Resurrectione æstuabo, & occupabor.

Affectus ad Consecrationem.

QUo affectu Divinum Verbum animam Christi corpori ejusdem reunivit atque vitæ restituit, eodem affectu ego Christum in Sacrificio & vi Sacrificii immolabo, & vi Consecrationis ponam & producam sub speciebus.

Affectus ad Elevationem.

QUo affectu eduxit Verbum è sepulchro redivivam Humanitatem suam, eodem affectu eundem sub speciebus gloriosam elevabo & adorabo.

Affectus ad Communionem.

QUo affectu Christum resurgentem & gloriosum salutavit, excepit, adoravit dulcissima Mater, sanctorum Patrum turba discipuli ejus, hoc affectu eundem in sanctissimo Sacramento mihi non tantum apparentem sed etiam sese inviscerantem excipiam , sumam, manducabo.

Post Sacrum.

Gratiarum actionis Pars prima.

FIet per quinque affectus ad Jesum Christum in Sacrificio immolatum & in sanctissimo Sacramento receptum.

Dulcissime Hospes &c. ut supra.

Gratiarum actionis Pars secunda.

COntinebit meditationem de Christo resurgente à mortuis, cujus capita erunt.

PRAXIS.

SUavissime, dulcissime, gloriosissime, redivive, immortalis victor mortis & inferni Domine Jesu Christe, Redemptor humani generis , Pater futuri sæculi. Primitiæ resurgentium , fons & caput vitæ secundæ. Te omnis creatura, & quæ in cœlo, & quæ in terra, redivivum ex mortuis salutat, & glorificat, salutat te etiam cum omnibus creaturis tuis anima mea , sanguine tuo redempta , morte tua vivificata , resurrectione tua resuscitata , insuper etiam corpore sanguine tuo pasta, refecta & saginata. O Rex gloriæ Domine Jesu Christe, redux ab inferis, & mortis Triumphator. Magnifice adoro te , cum omnibus, & pro omnibus redemptis tuis, teque Dominum universorum, & datorem, authoremque vitæ veneror , vere Domine habuisti potestatem ponere animam tuam & iterum sumere illam. Vere

nemo

nemo poterat auferre animam tuam,ſed tu ipſe,cum dilexiſſes tuos (nos ſcilicet filios, fratres, ac ſervos tuos) uſque ad finem dilexiſti eos, & poſuiſti animam tuam dilectam pro nobis oviculis tuis, rurſumque aſſumpſiſti eam,&rediiſti victor à ſepulchro,inter mortuos liber. Et hoc eſt illud,quod hodie omnes nos filii tui, filii ancillæ tuæ Eccleſiæ,exaltamus,& exultamus,gratulamurque. Gratulamur tibi Domine Majeſtatis,glorioſam & magnificam reſurrectionem tuam,gratulamur tibi,quia eduxiſti in fortitudine tua vinctos de lacu,in quo non erat aqua. Gratulamur tibi, quia non dediſti Sanctum tuum videre corruptionem in ſepulchro, ſed ſtolâ immortalitatis, & communicatione gloriæ, illud induiſti, atque ab omni mortis,& immortalitatis injuria in æternum vindicaſti,ſimulque etiam nobis ſervulis tuis ſpem, atque adeo ſpeciem, & expectationem reſurrectionis per te noſtræ olim futuræ exhibuiſti, ut quod jam videmus & gloriamur factum in te capite noſtro,indubitanter expectemus, etiam futurum in nobis, in corpore ſcilicet tuo, idcirco etenim tu Domine non ſatis habuiſti temetipſum educere de ſepulchro,ſed voluiſti inſuper in multis argumentis,evidentibusque indiciis, probare & affirmare in cordibus fidelium tuorum,certitudinem reſurrectionis tuæ, ut fides firma reſurrectionis tuæ, eſſet nobis ſolidiſſima ſpes reſurrectionis noſtræ. Unde & agunt gratias immenſas corda omnium noſtrûm, tibi gloriæ Domino,& reſurrectionis noſtræ Anteſignano, quia magnificaſti in animabus noſtris virtutem vitæ tuæ, & veritatem ſpei noſtræ. Atque ob hoc ipſum etiam exultamus in te Deo noſtro,& tibi Triumphatori mortis,& pro te debellatore inferni,exultamus; Quia te,quem nuper mortuum comploravimus, ſepultum gemuimus, probro & ignominia crucis abſorptum lamentavimus, jam modo & vivum, & reducem, & glorioſum, gloria-

gloriaque & honore immortalitatis coronatum habemus, exultamus, cum ſanctiſſima ac glorioſiſſima Genitrice Tua, Matreque noſtrûm omnium Maria, quæ Te vivum & triumphantem de morte recepit, excepit, ſalutavit, complexa eſt. Cujus animam, ſicut in Tua morte gladius doloris pertranſivit, ſic in reſurrectione Tua triumphus exultationis inundavit. Exultemus cum ſanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Patrum cœtibus univerſis, quos Tu ô Rex gloriæ, & deſideratus eorum, eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua, in quo ſedebant Te exſpectantes liberatorem ſuum, quosque omnes in fortitudine dexteræ Tuæ liberaſti, contemptis & contritis poteſtatibus inferni. Exultamus cum univerſis cœlis, & cœleſtibus choris, quos hodie lætificavit reſurrectio Tua, & in plenitudinibus ſuis antiquis auxit, atque magnificavit. Exultemus & cum ſanctis Apoſtolis, diſcipulis, fidelibusque Tuis, quos quantum mortis Tuæ acerbitas nuper dejecerat, tantum reſurrectionis Tuæ glorioſa jucunditas, & jucunda gloria, erexit. Exultamus & cum univerſitate creaturarum omnium, quas omnis ſplendor Reſurrectionis Tuæ inſtauravit, vivificavit, recreavit. Exultamus denique cum univerſa ſancta Eccleſia Tua Catholica, quæ dum quotannis ſolennitatem glorioſæ Reſurrectionis Tuæ recolit, Te multiplici fructu fidei ſuæ lætificat, ſeſe autem ad recipiendas de benedicta manu Tua reſurrectionis Tuæ benedictiones præparat. Ad quas benedictiones mi Jeſu, Rex gloriæ, & ego pauperculus ſervus Tuus, ancillæ Tuæ Eccleſiæ ſanctæ Filius, cor meum Tibi aperio, & animæ meæ viſcera reſero. Compleant Tibi, quæſo Domine, ut conſoleris animam meam, & repleas eam plenitudine bonitatis atque dulcedinis Tuæ: appare mi Jeſu glorioſus & formoſus animæ meæ, ut currat poſt Te in odorem unguentorum

Tuo-

Tuorum, confirma illam præsentia Tua, & immutabilitate status Tui constabilias eam, in omnibus quidem bonis Tuis, sed potissimum in constantia amoris Tui, & amoris voluntatis Tuæ. Aufer mi Jesu omne id quod terrenum, quod carnale, quod sensuale, quod proprium, quod meum, quod temporale, quod creatum est in corde meo, & in anima mea, & depone in ea hæc sola, quæ Tua sunt, quæ æterna, quæ cœlestia, quæ immortalitatis & resurrectionis Tuæ propria, ut absorbeatur omnis mortalitas mea, per Immortalitatem Spiritus Tui. Ordina mea secundum placitum Tuum, secundum exemplum Tuum, secundum ordinem Tuum, ut quam simillimus sim resurrectioni animæ Tuæ, resurrectioni gloriæ Tuæ. Aperi mihi sensum ad intelligendas scripturas Tuas, veritates Tuas, doctrinas tuas, actiones tuas, voluntates Tuas, arcana Tua, quantum necesse est saluti, profectui meo, & proximorum meorum, & gloriæ gustuique Tuo. Da mihi Spiritum Tuum Sanctum, rectum, principalem, & fac me idoneum, qui & inter oviculas Tuas connumeres ipse, & insuper pro aliis oviculis Tuis tanquam canis vigilans, & acer excubem contra lupos rapaces, contra fures, mactatores, contra mercenarios, proditores, & desertores. Da mihi Spiritum Apostolicum, illum inquam, quem Apostolis & tum præsentibus insufflasti, atque contulisti, & jam in cœlos ab eis digressus, ex alto illo gloriæ Tuæ Regno, in linguis igneis demisisti, quo & ipse imbuar, induar, confirmer, inflammer medullitus, transformerque in virum alterum secundum cor Tuum, secundum exemplar Tuum, penitus, atque totus, & deinde aliis plurimis sanguine Tuo redemptis, Te Deum & Redemptorem eorum, Te gratiam, veritatem, vitam, justitiamque eorum, Te normam, regulam, ideam, speculum, exemplar, & Magistrum eorum. Te spem, gloriam, gaudium,

mercedem,& omne bonum eorum,prædicem, annuntiem,inculcem,imprimam, implantem conſtanter, libenter,appoſitè,feliciter,fructuoſè,humiliter,inſtar veri & verè Evangelici Operarii, Apoſtolicique imitatoris inſtar idonei,& te, Spirituque tuo inſtrumenti inſtar, fidelis & prudentis diſpenſatoris, non quæ ſua ſunt,ſed quæ Domini ſui quærentis, nec pecuniam Domini abſcondentis,ſed in ea operantis,& fructum multiplicis uſuræ Domino ſuo repræſentantis. Ad quod, da etiam mi Domine,valetudinem corporis,& virium,robur par, quo poſſim explere officia mea, & propoſita mea, & deſideria tua. Da vitam longam & ſanam, laboribus & muneribus parem. Da munia & labores, laborumque occaſiones idoneas,opportunas, tibi placentes,quas & agnoſcam,& amplectar,& exequar,& proſequar,uſque ad finem, qui ſit puriſſima tua gloria, ſalus & perfectio noſtra,confuſio & humiliatio mea. Da mihi Domine, in anima mea ſcientiam,& ſapientiam ferventem,& fervorem, & zelum ſapientem, da felicem dexteritatem, tractandi & trahendi, verbo & exemplo, doctrina & zelo,charitate & patientia,fortitudine & modeſtia, humilitate & perſeverantia,hominũ corda,& animas ad te, & ad cognitionem, ad amorem, ad honorem, ad imitationem tuam,ut ita & ego ipſe, & quam plurimi redemptorum tuorum mecum jugiter feſtivum Paſcha celebremus, jugiter tranſitum tibi gratum de malo ad bonum,de bono in melius, de virtute in virtutem, de terra in cœlum,de carne in ſpiritum, de peccato in gratiam, de cupiditate in charitatem, de vanitate in veritatem,de nobis in te Deum noſtrum tranſeamus,& transformemur,ſimusque ſemper nova & recens, & azyma conſperſio, ſine omni fermento veteris malitiæ, & nequitiæ,in plena Spiritus novitate,ſinceritate,veritate, ad gloriam tuam, & Patris tui æterni, & Spiritus S. Amen.

Gra-

Gratiarum actionis Pars tertia, ut supr.

§. VII.

Die sacra Iesu Christo ad cœlos ascendenti.

Præparationis Pars prima, ut supr.

Præparationis Pars secunda.

COntinebit meditationem de Christi Ascensione, cujus capita hæc erunt; 1. Confitebris ascensionis Christi mysterium. 2. Gratulaberis his, qui illi interfuerunt. 3. Dolebis, te non spectasse nec interfuisse. 4. Gratulaberis Christo ascensum ejus.

PRAXIS.

JEsus ad Patrem rediit, cœleste Regnum subiit. Nam cum 40. diebus à gloriosa resurrectione sua, nunc aliquibus, nunc pluribus discipulis suis manifestus apparuisset, eosque de ineffabili resurrectione sua ex mortuis, evidentissimis ac plane palpabilibus argumentis certos reddidisset, appetente tandem jam illâ hora, quâ transiturus erat ex hoc visibili mundo ad Patrē. Hominemque in terris sumptum, ad Paternæ gloriæ dexteram collocaturus, congregatis universis fidelibus discipulis tuis, ultimum illos in hac vitâ affatus, & solatus, elevatis manibus benedixit eis, & ascendit in cœlum videntibus illis omnibus, & sedet in dexteris Dei. O quam beati illorum oculi, qui abeuntem in cœlos Deum hominem contemplati, atque fixis obtutibus comitati sunt? O quam beatæ aures illæ, quæ ultima Dei hominis Christi Jesu verba audire meruerunt, ô quam beata illorum corda, quæ post Christum, cum Christo in cœlos abeuntia, illum ad superna cœlorū in multitudine virtutis suæ gradientem deduxerunt, inibique sedem sibi defixerunt. O quam beatæ animæ illæ, quas abiens in superna Deus Homo benedictione sua impletas, secum deduxit amoris compedibus vinculisque Charitatis

ſuæ implexas uſque ad conſpectum Patris æterni. Quibus gratuler vobis vocibus ô animæ ſanctæ, ſanctiſſimi gregis Chriſti, beatum illud ſpectaculum ipſis etiam Angelicis mentibus deſtupendum? O corda fidiſſimorum Dei Hominis fidelium, quid ſenſiſtis tunc, quando abeuntem cum gloria Deum veſtrum in cœlos vidiſtis? O corda dilectiſſimorum Dei Hominis diſcipulorum, atque benefactricum, ecquid animi fuit illud in vobis, quod abiens à vobis ad cœlos Jeſus, intra veſtra pectora ſuſcitavit? Quibus æſtuabas facibus, ô una ſolaque Tu diſcipula Dei Hominis & amatrix Magdalena? O corda Electorum familiariſſimorumque Dei Hominis Apoſtolorum, quam dulcibus effluebatis redundabatisque in omnem partem ſub diſceſſum in cœlos Domini, Magiſtri, Paſtoris, Regisque veſtri Jeſu Chriſti fluctuum affectibus? O Tu cor virgineum, ô cor maternum, ô cor Mariæ, ecquid Tibi, & Filio abeunti, & quid Filio & Tibi remanenti, interceſſit? Hoc utique nec humana mens, nec præſentis quæ ſpectavit multitudinis aſpectus, nec ipſi Angelorum chori, comprehendere ſuffecerunt. Tuum hoc ſolius ô Virgo Mater ſecretum. Solius hoc Filii Tui Chriſti Jeſu arcanum fuit. Mihi aliud nihil, quam ut & Tibi abeuntis Dei Hominis Genitrici, & univerſo Filii Tui diſcipulorum gregi, triumphalis ejus Aſcenſionis ſpectatori, totis medullis animæ meæ gratuler, hoc quod videre meruerint aſcendentem ad cœlos cœlorum Dominum, adimplentemque omnia Deum dominatorem univerſi orbis. Gratuler vobis ô animæ ſanctæ, quia interfuiſtis, quia vidiſtis, quia contemplatæ eſtis Aſcenſorem cœli, Deum & Patrem veſtrum. Multi enim Reges & Prophetæ deſideraverunt videre tanta myſteria quæ vidiſtis, nec viderunt. Quod ſi tibi ô felix abeuntis in cœlos Chriſti ſpectatrix turba merito gratulor, quid jam faciam illi ſanctorum

homi-

hominum, Patriarcharum; Prophetarumque & Prophetissarum turbæ? Quæ non spectare tantum, sed etiam comitari, & cum triumphante Deo cœlos triumphans ingredi meruit? Etenim ascendit Christus Jesus in altum, non solus ascendit, sed captivam duxit captivitatem secum, ex animabus justorum, quos in visceribus terræ inferioris invenerat, sedentes in tenebris, quosque omnes in fortitudine dexteræ suæ eduxit, & tanquam vasa electa in civitatem sanctam Sion Hierusalemque cœlestem Victor introduxit. Quid faciam & vobis ô Principatus atque Potestates, universique ordines beatorum Spirituum, qui Deum Hominem, super Cherubim pennas volantem, cœlosque virtute propria penetrantem, effusi obviam spectatores salutastis ac deduxistis, portasque æternales Regi gloriæ introëunti aperuistis, & eundem paulò à vobis in carne minoratum, jam ad sedem usque Paternæ Majestatis elevatum, hilariter, humiliterque adorastis, canentes canticum, quod nemini nisi Regi gloriæ; & Dominatori Spirituum canere consuevistis? Gratulor vobis, & gratulor millies, ô beatorum Spirituum fortunatissima agmina, vobiscum felicis hujus triumphi spectator & collaborator esse tota mentis meæ latitudine, atque capacitate concupisco. Sed ego infelix & indignus, ascendentem Regem Regum, Dominumque gloriæ videre non potui, mirari non potui, comitari non potui, credere vix per gratiam ejus mereor. Ah me! quare non adfui, cum ille formosus in stola sua invenis. Homo Deus, in superna cœlorum conscendit? Quare non excepi ejus ultima verba? Quare non ultimo aspexi sese omnibus suis manifestantem? Quare ultimo benedicenti suos, caput non reverenter inclinavi? Cur non sum Divinam illam am-

plexatus,osculatusque dexteram ? Cur ad pedes non sum prostratus Divinos ? O si ego tunc potuissem fuisse illa particula terræ, in qua ultimo steterunt pedes ejus, & in qua vestigia impressa relinquit pedum suorum Divinorum. O si tunc Omnipotentiam, voluntatem,providentiamque Divinæ potuissem spectare Sapientiæ,exorassem utique viscera ejus, Creatricis bonitatis plena,ut me vel pro illo momento,de abyssis nihili mei eduxisset, atque spectatorem Ascendentis ad cœlos incarnatæ Divinitatis constituisset, postremaque ejus benedictione benedici fecisset : Aut saltem sub vestigium pedum ejus extremum subjecisset. O quam tunc ego beatus essem, ô quam ego tunc felix fuissem, si vidissem,quomodo jubilabat Deo meo omnis terra, quomodo Psalmum dicebat nomini magno ejus, & dabat gloriam laudi ejus. O quam felix fuissem, si vidissem te,mi Jesu, cum ad cœlos te tua virtute subvehebas, quando omnis pulchritudo tua exaltabatur super sydera, quando species tua in nubibus cœli graddiens, à summo cœlo ad summum ejus occurrebat? Tunc ego totus me ipsum non tantum oblitus,sed etiam exutus, atque totus vox Exultationis factus,ad omnibus tribus terræ dedissem vocem meam,clamans & jubilans. Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis, facite vocem jucunditatis, annuntiate usque ad extremum terræ novum Alleluja, magnificetur coram omnibus gentibus novum Halleluja, quia ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ: Dominus nomen illius, liberavit populum suum, & de abyssis terræ suscepit eum. Cantate ergo Domino omnes populi Nationum, cantate ei Alleluja, cantate & benedicite nomini ejus,bene nuntiate de die in diem salutare ejus. Psallite illi,psallite,psallite, psallite sapienter,

qui

qui aſcendit ſuper cœlos cœlorum ad Orientem, ſedetque à dextris virtutis Dei. Hæc dixiſſem, ſic provocaſſem omnes fines terræ, mi dulcis Jeſu! ſi te aſcendentem in cœlos videre meruiſſem. Non merui, quia ſic placuit tuæ voluntati, quæ potius eligit, ut nunc per fidem hoc crederem de te, gratulorque tibi, quam ut præſens ſpectator exultarem in triumphis tuis coram te. Sit & pro hoc gratiarum actio, & gratulatio tibi Deo Domino authorique meo. Patri vitæ meæ, & ſpei ſalutis meæ, ſit benedictum nomen Majeſtatis tuæ, glorificent te abyſſi terræ, magnificent omnes gentes, creaturarum viſibilium ſubcœleſtium: Exaltent te cœli cœlorum, jubilent tibi omnes animæ juſtorum redemptorum tuorum, dignificent te omnes Angeli atque Archangeli, Dominationes atque Principatus, Cherubim quoque ac Seraphim, adorent te, & ſuperexaltent te, quoniam Dominus es, & Dominus nomen tibi. Ego autem cum his omnibus Regibus ac Senatoribus univerſæ creaturæ tuæ, infirmiſſima licet portio infirmitatis creatæ, hac quali quali manu cordis mei, tibi Hæredi cordium, & Inſpectori cogitationum, ad cœlos hodie quoque per fidem noſtram, & totius Eccleſiæ tuæ recordationem aſcendenti, offero, in pignus totam, quanta eſt, ſubſtantiam meam, cum omni latitudine atque capacitate ſua, ad omnem uſum tuum, quod quia parvum, imo quia nihilum valde eſt, adjungo his totam in terris converſationem tuam, adjungo totam in cœlos aſcenſionis tuæ gloriam, aliud abs te nihil benedictionis tuæ poſtulans, niſi ut facias mecum; Adorandam, ſuaviſſimam, totamque voluntatem tuam, facias me devotem dignitatisque tuæ, facias me æternum lactantem gratiæ tuæ Nutricis meæ, facias denique & mecum, quid-

quid vis, & fac me qualemcunque vis, ad purum gustum tuum, ad nullum præmium solatiumve meum, ad æternum honorem Divinitatis, humanitatisque tuæ. Quod totum sincerumque desiderium animæ meæ, inutilis ancillæ tuæ, ut tanto firmius fiat, plusque tibi & simul Patri tuo æterno placeat: Jungo sanctissimo Sacrificio tuo, sacratissimoque Sacramento, quod de tuo corpore, sanguineque toti sanctissimæ Trinitati immolaturus accedo. Tibi cum Patre tuo, & Spiritui Sancto, utriusque Vestrum consubstantiali Deo, laus, honor, gloria æterna, & super æterna, in omnem æternitatem & ultra Amen, & Amen, & Amen.

Præparationis Pars tertia, ut supr.

Affectus totius Sacri.

JEsu mi dignissime, qui propter salutem meam in cœlos ascendis. Nihil invenio, quod tibi te dignum ultimi muneris loco donem, præter ipsum te. Te igitur ipsum tibi in hoc Sacrificio dare, offerre, donare & immolare volo, & statuo, accipe tu ipsum te, à me, pro me, ut sicut tu tibi in hoc Sacrificio gratus, & idem es, ita & ego affectui, gustui, amorique tuo gratus semper fiam, idemque tecum per unionem amoris æterni evadam.

Affectus Consecrationis.

JEsu dulcis, quem in cœlo abeuntem nubes ab oculis mortalium subtraxit, te ego etiam in nubibus specierum istarum vestitum, ad sanctissimæ Trinitatis conspectum pro me, ad animæ meæ cœlum propter me dimitto.

Affectus ad Elevationem.

DUlcissime atque dignissime Deus meus, mi Jesu! exaltabo te nunc manibus meis sub his speciebus crea-

creatis, eo affectu, quo tuam ſanctiſſimam Humanitatem ad ſuperna cœlorum extuliſti; Petens, ut per gratiam tuam facias me cunctis operibus vitæ meæ. Exaltare, per ſingula momenta amplius, ampliusque, eminentiſſimam dignitatem tuam.

Affectus ad Communionem.

ILlo te mi dulcis Jeſu cordis mei affectu, tam dulciter expanſis animæ meæ brachiis, tam effectuoſo mentis gaudio excipere deſidero, atque excipio in hoc ſanctiſſimo tuo Sacramento, quo te Pater æternus tuus, venientem ad ſe in cœlum excepit, adque ad dexteram ſuam collocavit, tam hilariter, & tam plene patet tibi anima mea univerſa, quam effusè patuit tibi ingredienti, tota cœlorum Regia, ô cordis porta dilata te, ut ſis vaſtior cœlo, cœlique Dominum capere poſſis &c.

Poſt Sacrum.

Gratiarum actionis Pars prima.

FIet per quinque affectus ad Jeſum Chriſtum &c. Dulciſſime Hoſpes &c. ut ſupr.

Gratiarum actionis Pars ſecunda.

COntinebit varii generis affectus atque meditationes circa Jeſum Chriſtum, partim præſentem in corde, partim abeuntem in cœlo.

PRAXIS.

ADeſte, adeſte ocyus omnes vires, omnes partes, omnes potentiæ, omnes facultates, tam animæ quam corporis mei, & congregamini ad Dominum ſervi, ad Magiſtrum diſcipuli, ad Ducem milites, ad Regem ſubditi, ad Medicum infirmi, ad Magnificum egentes, ad Patrem filii, ad Sponſum ſponſæ, ad Deum creaturæ. Ecce ipſe venit ad vos, & viſitat vos, valedicit-

que vobis ; ultimum hoc eſt, quod eſt in medio veſtrum. Cœlum illi locus eſt, ad Deum vadit, ſicut à Deo exivit. Quam olim gratiam plus quam 500. fratribus aſcenſurus in cœlum facit ; hanc eandem vobis (ô univerſæ partes, potentiæ, actionesque meæ) facit, venit ad vos, relicturus vobis amplam benedictionem, ſalutarem admonitionem, vivam & victuram ſuæ præſentiæ dulciſſimæ tui vobis imaginem. Audite auribus & intelligite corde, quid loquatur vobis Unigenitus Dei, Jeſus Chriſtus, veſter Sponſus ! ô verba, ô amoris jacula, ô Dilectionis pignora, ô Charitatis æternaturæ Chariſmata, ô dulcis Jeſu ! Dulcedo ſuper omnem Dulcedinem. Eſſentialis dulcedo Divinitatis, quam ſervaſti vinum bonum uſq; adhuc, uſque ad hanc horã diſceſſus tui à nobis ? Quid dabit tibi in hoc ultimo præſentiæ tuæ amabiliſſimæ ſolatio univerſus ſubſtantiæ meæ populus ? Quid tibi in ultimati pignoris vicem offeret ? ut recorderis ejus, dum veneris ad regnum tuum. Daret ſe tibi in monile, daret in murenulam, daret in inaurem, daret in frontale, daret in pectoris gemmeum ornatum, daret in annulum, daret in quidquid velles, ſi modo velles. Accipe mi Jeſu, accipe totam membrorum, potentiarum, partium, actionum, verborum, cogitationumque mearum plebem, incipiens ab anima mea Amoris tui, ut per omnem æternitatem, cantent tibi in gloria tua, quod ſubſtantia mea, tota ſe, diligat te unicum & ſolum medullarum ſuarum Bonum. Jeſu mi, amor mi, Amor amoris mei, vita animæ meæ, omne Bonum meum, tu abis in cœlum ad Patrem tuum in gloriam tuam. Ego hic & gaudeo de gloria tua, & mœreo de ſolitudine mea. Quid enim deinceps reſpondebo vicinis meis creaturis tuis dicentibus mihi & ſuggillantibus me

me quotidie: Ubi eſt Deus tuus? Qua ratione poſtmodum ſolabitur & me, & ſe, & omnes portiones ſuas, anima mea, cum quotidie amabili amaritudine confabulabimur nobiscum, & dicemus: Ubi eſt Deus noſter, ubi es tu mi Jeſu, amor dulcis noſter? O mi Jeſu, hoc ultimum quod te video & habeo, nunc ſit ſolatium omnium moleſtiarum mearum, ſitque mihi dulciſſimum memoriale tui? O mi Jeſu, hoc ultimum Divino dulciq; aſpectu tuo exſaturer. Hoc ultimum amplectar pedes tuos, oſculer manus tuas, ſtringam amabile pectus tuum, deſuaviem genas & labia tua, os vultumque tuum contempler. Converte adhuc oculos tuos regiè ſerenos ad me, ut intuear te, nec faciant à me avolare aſpectum tuum, & memoriam mei. Sonet adhuc vox tua vel ultimo in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Exhibe te adhuc ori animæ meæ, & faucibus cordis mei in cibum atque potum ſalutis, ut & guſtem te, & ſatiar te, & explear ſaginerque te, faciamque mihi tolerabiliorem ſterilitatem terræ hujus, vitæ in qua præſentis, in qua peregrinabor ſine te, donec tu jubeas me venire ad te.

Munuſcula.

NOn habeo mi Jeſu, non habeo quidquam, vel te ipſo, vel Patre æterno tuo dignum, quod dem tibi, ut quod committam fidei tuæ offerendum Patri tuo nomine meo. Scis enim, quia pauper & inops factus ſum pridem nimis, nempe uſque ab ipſa prima hora meæ de nihilo formationis. Hoc quod nunc te in corde meo præſentem habeo, quod coram te eſt, quod te amo, quod totus tuus ſum, offero tibi, dono tibi, immolo tibi, ut totum

hoc, quantum quantum eſt, manibus tuis offeras ipſi tibi, ad purum, ad ſolum, ad nudum guſtum tuum. Aliud quod ultimum, vel tibi, vel à te velim, cogitem, loquar, neſcio mi Domine Jeſu, anima mea in oculis tuis eſt, aſpice ſenſum ejus, ſi tamen in ea ſenſus eſt aliquis te abeunte ab illa, qui es ſenſus ejus. Hoc volo mi Jeſu, hoc deſidero, hoc tota viliſſimæ ſubſtantiæ meæ humilitate poſtulo, ut ab hoc poſtremo conſpectu tui, ab hac ultima præſentia in terris tua, inceſſabiliter amem te, & triumphet de me amor tuus, æternum captivumque me habeat, & tanquam mancipio vero abutatur me, ad arbitrium ſuum, ad guſtum tuum, ad nullum bonum præmiumve meum? Quod ſi parum, vel nihil tibi amorive tuo placeo, (ſicut revera unde placeam, nihil omnino in me habeo) totius inter nos converſationis tuæ meritis orna me tibi, & fac me talem, qualem vis & ſcis, dignum fac oculis tuis, amori tuo, Patrique tuo, cui tecum una cum Spiritu Sancto æternus honor, amorque à me, & ab omni creatura tua. Non ſum mi extremum ſtringende Jeſu dignus, ut amplius moreris mecum, quando exſpectant te cœli tui, & jam pateſcunt tibi regna illa, & portæ æternales. Et jam potentia tua accincta præſtolatur illuc deportare te. Et jam Angelorum chori parati ſtant iſtuc deducere te, ſalutare te, & adorare te inibi Deum, Regem, caputque ſuum. En jam ſancti tui redempti & liberati tui exſpectant comitari te, ingredique tecum in regnum tuum. En jam Pater æternus deſiderat te gaudium & ſalutem univerſæ terræ in cœleſti ſua gloria reſplendentem contemplari, & ad dexteram ſuam collocare. O igitur jam fuge Dilecte mi, fuge, fuge, aſſimilare capreæ hinnuloque cervorum,

fuge

fuge ſuper montem aromatum illorum æternorum, & fluent à facie tua aromata ejus ſuper nos totos, uſque ad oram imam veſtimentorum noſtrorum, curremusque recreati & tracti in odorem unguentorum tuorum ad te caput noſtrum, nos membra tua languentia absque præſentia tua. Mi Jeſu dulciſſime, illa terræ particula, quam in monte Oliveto ultimo ſacratiſſimorum pedum tuorum veſtigiis preſſurus es, ſit obſecro paupercula anima mea, ancilla tua, pone in ea ô Rex! ejus ſacratos pedes tuos, & illi æternaliter veſtigia tua imprime. Non ſum dignus amplius habere de te, quam imorum pedum veſtigia. O ſatis ſuperque hoc erit vilitati meæ, ſi veſtigia tua portare contigerit animæ meæ. Tunc ego veſtigium habebo cordis boni, ſi habuero veſtigium pedis tui. Floridiſſime animarum ſponſe Jeſu, tibi in cœlos abeunti, quæ paupertas atque vilitas animæ meæ ancillæ tuæ præparare munera potuit, hæc offero imprimis tibi totum me cum omni latitudine, circumferentia, capacitateque ſubſtantiæ meæ, eamque totam tibi in odorem ſuavitatis, in corona gloriæ, in pignus amoris erga te mei trado, ut tu utaris eâ ſicut ſcies & ſicut voles ad omnem uſum beneplaciti ſancti tui. Offero tibi omnium eorum, qui tuam ſupergloriosam in cœlos aſcenſionem ſpeciali cordis affectu & olim celebrarunt, & hodie celebrant, olimque celebrarunt in terra & cœlo. Offero inquam tibi omnium eorum corda, cordiumque motus erga te, & propter te, omnes & ſingulos ad ſuaviſſimum guſtum tuum. Offero tibi totius Eccleſiæ tuæ triumphantis, juxta ac militantis, in aſcenſione tua jubilationem. Offero tibi ſanctiſſimæ Virginis Genitricis tuæ, noſtrum omnium Parentis pretioſiſſimæ animam totam, animæ-

que ejus œconomiam totam, ac inprimis illam, quam habuit in hora Aſcenſionis tuæ diſpoſitionem. Offero tibi totam humanitatem aſcendentem ad cœlos, gradientem in abundantia Divinæ dulcedinis, ſpecioſitatisque uſque ad Paternam dexteram, omnes cordiales animæ tuæ motus, quibus tunc beata anima tua agebatur, & omnes illas ſubſtantiæ tuæ affluentiſſimas redundantias, quibus in tota ſua capacitate pleniſſimè circumfluebat. Offero autem tibi hæc omnia, tum ad puriſſimum Divini cordis tui guſtum atque oblectamentum, tum ad ſuperbenedictæ Humanitatis tuæ in cœlo abeuntis (per omnia & ſingula corporis membra, per omnes & ſingulas animæ potentias) indignum ornamentum, ut quantum eſt ex affectu, deſiderioque meo, quam glorioſiſſimus, ſpecioſiſſimus que appareas Deus-Homo, Deo Patri tuo æterno.

Poſtulationes.

QUid à te petam mi Jeſu, præ ignorantia & præ amore neſcio, aut tu quod petere debeam poſſimque bene noſti, peto à te id, quod ſcis & vis mihi, juxta beneplacitum tuum, eſſe ac fore bonum, peto à te, ut me ſanctiſſimæ Genitrici tuæ in ſpecialem curam, ſpeciali tuo affectu commendes, fac & trahe me illi, in mancipium, in filium, in hæreditatem, in hæredem, in ſponſum. Illam autem trade mihi in Heram, in Matrem, in Hæredem, in Hæreditatem, in Sponſam. Peto à te præterea, ut recorderis mei, cum veneris in regnum tuum illud æternum, cum Spiritum Sanctum tuum de cœlis Eccleſiæ tuæ vivisque ac ſanctis membris ejus demiſeris, me quoque unum ex his eſſe jubeas ac facias, ad quod Hoſpes ille, Ignis ille, Sol ille, Magiſter ille, Protector ille, Dux ille, Medicus ille, Magnificus ille veniet

occu-

occupandos, inhabitandos, ſanctificandos, donisque ſuis omnimodis replendos. Commenda quæſo, & recommenda me illi, mi Jeſu, ut recordetur mei, ne prætereat me, ſed donis ſuis rectis, mundis, ſanctis, principalibus confirmet, & impleat me, ut ex hoc ſciam te etiam in cœlo meminiſſe mei, & curam agere animæ meæ ancillæ tuæ. Auderem adhuc & hoc petere abs te amore amoris mei, mi Jeſu, ut cum primum aſſederis Paternæ dexteræ, poſtquam adoraverint te omnes populi Beatorum, primam benificentiæ tuæ gratiam Rex cœli, & Majeſtatis omnis Imperator mihi pauperculo facere digneris. Verum hoc relinquo bonitati, ac ſapientiæ tuæ, cum conſcius ſim abjectionis meæ, ſufficit mihi, ut digneris me annumerare extremæ curæ tuæ, & poſtquam omnibus Sanctis tuis te pro captu cujusque communicaveris, tum demittas mihi reliquias gratiæ tuæ, quæ ſuperfuerint forte voluntati tuæ ſaginanti filios ſuos, amicos tuos, Dominos meos, beatiſſimo munificentiæ ſuæ convivio, & ſic omnes particulæ ſubſtantiæ meæ colligant micas Bonitatis tuæ, ſicut catelli parvi ſolent delambere fragmenta modica cadentia de menſis filiorum Dominorum ſuorum.

Gratiarum actionis Pars tertia, ut ſupr.

§. VIII.

Die ſacro Pentecoſtes.

Præparationis Pars prima, ut ſupr.

Præparationis Pars ſecunda.

CОntinebit meditationem de Spiritu Sancto. Ejus capita hæc erunt; 1. Confiteberis Spiritus Sancti Di-

Divinitatem. 2. Confiteberis Spiritum Sanctum esse donum. 3. Confiteberis sine Spiritus Sancti gratia omnia nihil esse. 4. Confiteberis Spiritum Sanctum missum esse. 5. Desiderabis eundem ejusque dona. 6. Offeres Sacrificium & cum eo te ipsum.

PRAXIS.

2.

SPiritus Sancte, Deus de Patre Deo, de Filio Deo procedens Deus, te agnosco, te confiteor, te adoro, te invoco Deum, Factorem, Principem, Bonum, amorem meum. Tu enim sicut es Dei Patris, ac Dei Filii consubstantialis & coæternus, coæqualisque amor: Quo & illi se tecum, & tu illos secum amas, amando beas, beando imples, implendoque satias, ita etiam es omnium nostrum, hoc est, omnium creaturarum tuarum, & Amator, & amor, & bonum, & vitæ fons, & essendi Author, & Deus, tu ex Patre Filioque procedis, alius ab utroque persona non natura. Amas utrumque amore utriusque, hoc est temetipso. Nectis illos & facis unum per te ipsum, qui es unum cum ipsis. Amat enim Pater se ipso Filium, Filius amat se ipso Patrem, & amando se ipsis, se mutuo spirant te amorem sui, amore sui spirant, non duplicem sed unum amorem, quia non spirant, te ut duo sunt, sed unum sunt, per te autem unum sunt, & ideo tu etiam & unus es, & unum idemque cum ipsis es. Et licet ipsi per te unum sunt, & tu unum cum ipsis, non sunt tamen iidem, nec tu es idem qui ipsi sunt, sed illi sunt alii à te, tu quoque alius ab ipsis, omnes autem estis idem & unum: Deus scilicet unus in natura, Trinus in persona. Hoc de te credo ô Spiritus Sancte! & credo per te, quia illuminor à te, tu quippe es qui illuminas & purificas fide corda nostra, ut sint capacia tui, quando ad ea venis Bonum eorum, Patris autem & Filii & tuum ipsius donum. Et hoc enim inter

alias

alias laudes tuas in Scripturis tuis revelasti nobis, quod tu scis donum super omne donum , præcedens omne· quodcunque est in creaturis quibuslibet bonum. Quia enim amor es , amor autem est bonum velle ei cujus amor est, ideo qui amat, bene vult amato , & dum illi vult bene, ante omnia bona quæ illi vult , vult illi amorem suum quo illi vult reliqua bona , quocirca inter omnia amantis & amoris dona quæ amato confert, primum est ipse amor ; Atq; ita quia tu amor es, necessario etiam donum es, & quidem donum primum , & ante omne donum, quod donum dum nobis offers , omnia simul bona cum illo affers, sicut qui Solem aliquo infert, omnes ejus radios cum ipso infert , aut qui fontem donat, omnes etiam rivulos ejus simul cum ipso donat. Et hæc est origo omnis Boni nostri, si nimirum participes reddamur doni tui , quod donum tu es ipse qui es amor, qui es donum primum. O Amor ama me, & dona te ipsum mihi, & habeo satis , perinde ut ille qui habet mare, non posuit fluvios , sed sufficit illi, sic & mihi sufficit habere te solum , & aliud nihil ambio ex donis tuis, quia tu unus major es omnibus donis tuis , sicut mare majus est omnibus fluviis suis. Da ergo te ipsum Deus meus mihi , infunde ipsum cordi meo ô Spiritus Divine : ô Spiritus alme , ô Spiritus Filii , ô Spiritus Patris, ô Spiritus S. sine tuo numine, nihil est in homine , nihil est innoxium. Quid enim sit in illo , si tu absis plenitudo omnium ? Quid sit in illo ? Quia nihil est ex se ipso. Sed quidquid est, totum est ex dono tuo. Quid sit in illo innoxium sine te, cum hæc ipsa sit noxa ejus , damnabilisque miseria ejus , si tu forte non sis inhabitator ejus ? O S. Spiritus, quid mihi sum abs te, ô Divine Spiritus , quid mihi sum, si tu non es in me , sum utique merum nihil, vanitas plena , consummatum malum , perditio ultima.

Quod

Quod eſt rivus ſine fonte, quod eſt radius absque Sole, quod eſt infans absque matre, quod eſt bonum absque mente, quod eſt umbra absque corpore. Hoc ego ſum absque te ô Spiritus Sancte. Hoc etiam eſt omnis creatura absque gratia tua. Idcirco ſuſpirat ad te Factorem ſuum tota ſubſtantiâ ſua, ut ſervus, vivifices, & ſanctifices eam, quoniam tu es domus, vita, ſanctitas ejus. Atque in hunc finem nobis creaturis tuis orphanis ſuis, miſit te Unigenitus Dei ad corda noſtra, ut mundares ea, & faceres templum tibi, atque Filio, & Patri æterno. Miſit te non tanquam Dominus ſervum, neque tanquam Rex vicarium, ſed tanquam Spirator Spiritum, Amans amorem, Donator donum. Miſit te ut nos ſanctificaret per te, utque tu eſſes fons, & Pater, & index ſanctificationis noſtræ. O beatæ animæ illæ quæ dignæ ſunt inhabitatorem habere te, ad quas non dignaris mitti, & ſuper quas te effundis velut imbrem ſerotinum, velut pluviam voluntariam, velut aquam mundam, velut ignem conſumentem, velut linguas igneas, velut pignus pacis Domini noſtri Jeſu Chriſti. O quis mihi dediſſet tunc immiſtum ſtare turbæ illi ſanctæ, puſillo gregi Chriſti, novellæ Eccleſiæ, in quam tu ſacro Pentecoſtes die, in linguis igneis diſpertitis deſcendiſti & ſediſti. O ignis Divine, ignis ſancte, ignis deſiderabilis, ignis vivificans, ignis accendens, ignis purificans, ignis transformans, ignis æterne. Complaceat quæſo tibi hoc etiam exiguum cor meũ, ut deflectas ad illud, & accendas illud, & purifices, & ſanctifices, & inhabites. Complaceat tibi ô Deus donum, & Deus Spiritus, ô Deus ignis, ô Deus charitas, complaceat inquam tibi in anima mea ancilla tua. Reſpice ad illam, & deſcende in eam, & mane in ea. Annumera me vaſis tuis, quæ muſto novo, quæ vino novo, quæ primitiis Spiritus, quæ plenitudine gratiæ charitatiſque tuæ digna-

tus

tus es. Nunquid enim unam tantum benedictionem habes, ô Benedictionum Pater, ô Gratiarum mare, ô Fons donorum, ne verearis paupertatem donis ornare, deflectas ad me, & irriges arentem terram cordis mei, tu qui pluis super justos & injustos, ut omnes facias justos, es, qui Solem tuum oriri facis super bonos & malos, ut nullos sinas esse malos, descende super animam meam, & perfunde illam, illumina cor meum & clarifica illud in flammam, & & mundum fac tibi, ut stem coram te sanctus, vivus, mobilis, mundus, efficax, gratus, fidelis, ardens, verax, immutabilis, æternus. O Lux beatissima cordium, quibus te desiderabo votis, quibus te anhelabo tædiis, quibus ad te aspirabo cordibus? Ecce quantus quantus sum, totum sum ostium tibi. O dulcis Hospes animarum. Et quid est quod impedit te, ne possit requiescere pes tuus in me? Non loquar hæc, quasi me justum sciam, cum contra me Testimonium dicant peccata mea, multa & magna nimis, sed quia ipsa peccata mea, ac miseriæ meæ, faciunt locum misericordiæ tuæ, provocantque bonitatem tuam, ut sanet infirmitatem meam, & auferat iniquitatem meã. Quia ergo Medicus es, invito te ad me, voce infirmitatum mearum, quia lux es, desiderant tenebræ meæ, quia aqua es, sitit te sitiens terra cordis mei, quia ignis es, expectat te pigrum frigus medullarum mearum, quia charitas es, indiget te læsa per concupiscentiam anima mea. Veni itaque ô Sancte Spiritus, veni ad animam meam, sana eam, illumina eam, vivifica eam, munda illam, fove & confirma illam, ut cognoscat veritatem tuam, suscipiat charitatem tuam, foveat vitalem gratiam tuam, teneat præsentiam tuã. Hæc sunt vota mea ad te, ô Pater, votorum meorum. Hæc sunt suspiria mea, quibus clamo post te, currentem ad animas justas, abs te tibi præparatas, ut venias quoque ad animam meam, neque pertranseas eam, alioqui quæ mihi utilitas in adventu tuo, aut quis mi-

hi

hi fructus fructuum tuorum. Si ego vacuus te ſum, & ſic nec de te, nec de bonis tuis, guſtat & gaudet anima mea. Veni ergo ô Sancte Spiritus! & emitte cœlitus lucis tuæ radium. Veni Pater pauperum, veni Dator munerum, veni Lumen cordium. Noli expectare ut animam præparem tibi, quia illa ipſa expectat ut pares eam tu ipſe tibi. Ecce parata eſt parari à te, ſine quo neque hoc poteſt, ut parata ſit parari à te. Tuum namq; & hoc donum eſt, ut animæ, ad quas venire vis capaces fiant adventus tui, aptæque ſint præparari à te in adventum tuum. Et quid amplius expectas vel exigis ab anima mea. Nihil illa aliud de ſuo præſtabit tibi, niſi hoc forte, quod præſens erit adventui tuo, quanquam hoc ipſum non erit opus ſuum, ſed donum tuum. Uſque adeo pauper eſt anima mea ſine omnimoda gratia tua, quam ut largiflue infundas illi, ſupplicat tibi totâ indigentiâ ſua. Et verò, ut tanto amplius tibi omniſcio Spiritui oſtendat indigentiam ſuam, jam ad obtinendam ſibi præſentiam tuam], ad te pro ſe ablegat magnam illam miſericordiam & charitatem tuam, quam in Virginis puriſſimæ viſceribus carne veſtitam, deinde inter homines viſam, tandem in Cœna & cruce immolatam, feciſti tibi & Filio, & Patri Hoſtiam ſuavem, Victimam gratam, acceptiſſimum holocauſtum. Nunc ergo propter illam carnem, propter illum ſanguinem, propter illam animam, propter illam humanitatem, propter illum Jeſum Chriſtum, propter illum Dei Patris Virginiſque Mariæ Unigenitum, propter illum Hominem Deum de te conceptum, abs te ſanctificatum, tibi immolatum, reſpice ad animam meam, veni in eam, da illi copioſa & tibi placita dona tua; quibus placeat tibi, ſerviat gratiæ tuæ, amet voluntatem tuam, famuletur Providentiæ tuæ. Exaltet dignitatem tuam, perſeveret in Charitate tua,

fruâ-

fruatur gloria Tua, veni & in eas animas quas diligit bonitas tua, quas amari à me vis, quibus debeo ex voluntate tua charitatem tuam. O Bonitas, ô charitas, ô veritas, te da illis sicut mihi, da Te mihi sicut illis, utriusque autem infunde te, sicut disposuisti tu, sicut nos præparasti tibi, sicut placitum est ante te. Veni ergo, veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita, imple superna gratia quæ tu creasti pectora.

Præparationis pars tertia, ut sup.

Affectus totius Sacri.

SPiritus S. Spiritus Paraclete, Spiritus Veritatis, qui Ecclesiam tuam omnibus temporibus usque ad consummationem seculi à luce veritatis illuminas, & igne charitatis accendis, & providentiâ tuâ gubernas, & virtute protectionis, & gratia sanctificas, suscipe à me servo tuo, istud quod Majestati tuæ oblaturus accedo sanctum sacrificium, eoque suavissimum bonitatis tuæ gustum, meo nec non meorum, ac tandem totius Ecclesiæ tuæ nomine, quam plenissimè satia, exple, recrea. Nosque omnes copiosissimis sanctificationis gratiæ tuæ donis, semper adimple.

Affectus ad Consecrationem.

SPiritus S. Deus, qui de purissimo pretiosissimæ Virginis MARIÆ sanguine, corpus & sanguinem JESU Christo adaptasti, illudque summa in nos tua charitate conformasti, desidero & ego, atque propono, illius tuæ charitatis ad instar, idem corpus, eundemque sanguinem Domini mei JESU Christi, in Tuam & Filii, & Patris gloriam, ex hoc Pane ac Vino nunc consecrare, ad purum suavitatis Tuæ gustum recreandum efformare, Tibique immolare.

Affectus ad Elevationem.

O Sanctissime Dei Patris, Deique Filii Spiritus, per hujus pretiosi corporis sanguinisque dignitatem, peto indignissimus ego, ut super me, super omnes meos, quos me specialiter amare voluisti, super omnes hos nunc præsentes, super universam Ecclesiam Tuam descendas, atque omnes nos gratiis tuis multis, magnis, necessariis, efficacibus, juxta beneplacitum tuum superimpleas, sicut in die Pentecostes primum illum Christi gregem adimplere dignatus es. Veni Sancte Spiritus &c.

Affectus ad Communionem.

APeri, dilata, distende, suppone totam capacitatem tuam, ad accipiendum Spiritum S. cum omnibus donis ejus, cum tota substantia illius, ut in te adimpleatur illud verbum Christi: Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quam ad rem, posce & usurpa tibi, illam cordis latitudinem, qua in die Pentecostes, omnes Christi discipuli & Apostoli, præcipue sanctissima Dei Mater Spiritus S. in igne descendentis primitias, & abundantiam exceperunt.

Post Sacrum.

Gratiarum actionis pars prima per 5. actus, ut sup.

Gratiarum actionis pars secunda.

COntinebit meditationem de Spiritu Sancto, cujus capita hæc erunt: 1. Adorabis Spiritum S. præsertim in te, cum Filio, & Patre, ob præsentiam sanctissimi corporis Christi. 2. Postulabis dona ejus omnia, & fructus ab illo in te effundi, nec non Virtutes, atque in specie aliquas certas. 3. Dona Spiritus S. & fructum specialem specialiter posces.

PRA-

PRAXIS.

SPiritus Sancte Deus, de Deo Patre Filioque procedens, utriusque amor, amborum bonitas. Adoro te cum Patre, & Filio, in corde meo commorantem, atque per communionem SS. corporis Christi Jesu, præsentiam tuam mihi indulgentem, sis benedictus in Patre, & Filio, & in Te ipso. Sit benedictum nomen Sanctitatis tuæ, per æterna secula, ab omni creatura. Adoro te tota latitudine præcordiorum meorum, tota vi medullarum mearum, tota capacitate virium mearum internarum & externarum. Exalto te Deum, Dominum vivificantem, gratiæ fontem. Digitum Dei, Angelorum desiderium. Pignus Ecclesiæ Veritatis & Virtutis. Magistrum atque Patrem. Adoro Te Patrem pauperum, solatium, & opus, & refugium, & vitam miserorum, Deum totius consolationis, bonitatem, misericordiam, & salutem universorum, charitatem mundi, qua diligitur à tota Trinitate. Adoro te spem, vitam, sapientiam, lucem, robur, veritatem, lætitiam, bonitatem meam, tibique me totum in possessionem, & voluntatem tuam omnem, æternaliter trado, & consecro, ut sim opus tuum, domus tua, sedes Regia, Regnum, locus, materia, instrumentum, depositorium, reclinatio, ludus, ager, hæreditas, prædium, omnia, & quidquid voles. Forma me tibi ô Forma formarum, forma originalis, formans omnia, & continens universa, nusquam tamen contenta vel conclusa. Aspice in me creaturam tam infirmam, & confractum & pauperem, per omnia extrema opis indigentem, & inclinata super me viscera misericordiæ tuæ bonitatis, atque me donis tuis magnis, multis, perfectis, meæ ac alienæ saluti utilibus; Tuæ verò gloriæ deservituris, juxta tuæ Divinæ voluntatis pietatisque beneplacitum adimple, &

locupleta, ut semper sanctus, gloriosus, placitus in oculis tuis, ex Tuo munere coram Te incedam.

Postulationes donorum & fructuum Spiritus S. vide infra per dies hebdomadæ dispositas.

§. IX.

Die Sanctissimæ Trinitatis.

Præparationis pars prima, ut sup.

In secunda parte.

COnfiteberis Deum unum. 2. Eundem Trinum. 3. Offeres eidem sanctissimum Sacrificium & Sacramentum.

PRAXIS.

DEUS eminentissime, Tu unus es, & præter Te non est alius, cui Divinum esse competat, etenim tam Tibi convenit unum esse, quam Deum esse, quia si unus non esses, Deus non esses, ac ideo nullus esses. Proinde, sicut Tibi tota capacitate substantiæ, potentiæ, actionisque meæ gratulor Divinitatem, ita quoque eadem mensura, congaudeo Tibi de Tua Unitate, ac singularitate, quod gaudium meum, ut protester efficacius, dedico Tibi, & destino sacrificium hoc sanctissimum, ad quod accedere intendo, & quod nulli alteri, præterquam Uni ac soli Tibi debetur, perinde, ac Tu unus ac singularis es super omnia benedictus DEUS, Tibi soli honor & gloria, & gratiarum actio, & adoratio, & sacrificium, Amen.

Et quia tu ô DEUS admirabilissime, ita Unus es, ut tamen Trinus sis, & quidem tam mirabiliter unus in Trinitate Personarum, quam ineffabiliter Trinus in

Unitate Essentiæ, ideo tibi incognoscibili Deo, hoc unum confitetur anima mea, quia nihil amplius, nihilque dignius cognoscit de te, quam quia nihil cognoscit de te, dignum te, quidquid enim cognoscit de te, longe aliter in ipsa est, quam reperitur in te. Confitetur quoque tibi & hoc anima mea, quia nihil aliud habet, quo digne possit honorare & adorare te, præterquam, ut sacrificium tibi offerat de ipso te, accipe ergo de manu cordis mei DEUS meus, Sacrificium hoc tibi soli debitum, tum quia sacrificium est, tum quia ineffabili & tibi soli debito modo peragendum, tum denique quia talis ac tantæ rei est sacrificium, cujus oblatio nulli alteri, præterquam tibi uni deberi potest Deo meo, cui sit in Trinitate æternus honor, æterna gloria, æternum Sacrificium.

Jam vero te, quoniam ô Unitrine Deus meus, solum sine fine, sine modo, sine lege, sine mensura, amare & adorare concupiscit ac debet anima mea, propterea offero tibi id, ad quod accedo ineffabile sacrificium, ab Unigenito Filio Tuo institutum, per Unigenitum tuum peractum, ex Unigenito tuo confectum. Dominus enim noster Jesus Christus ex semetipso, per sapientiam, charitatem, potentiam, misericordiamque illud instituit, & in nomine, personaque sua, ad odorem suavitatis, tibi Deo nostro offerri à nobis ministris suis præcepit. Accipe ergo ô ineffabilis Trinitas Deus! ineffabile sacrificium, quod tibi ex corpore & sanguine Jesu Christi offerimus, & immolamus, cui enim alteri illud offeramus quam tibi, cujus sapientia illud invenit, Bonitas instituit, potentia peragit? Cui alteri illud immolemus, quam tibi, cujus illud superadmirabile & superarcanum est domicilium, & veluti novum quoddam cœlum? In eo enim sacrificio, tu superaugusta Trinitas Deus unus, tam veraciter, quam incomprehensibiliter

habitas, & operaris: Nam & tu ô Pater æterne, isthic æterno genitum Filium tuum generas; & tu ô Fili, ex Patre ibidem nascens, ibidem Spiritum S. una cum ipso Patre spiras. Et tu ô Spiritus S. à Patre Filioque hic spiratus, una cum illis, hoc admirabile sacratissimumque mysterium, & Sacrificium, Jesu Christo summo Sacerdoti, nobisque Ministris ejus cooperans, illud suavissime odoraris, in eodemque hominum amabilissime misereris. Beatos autem tuos in cœlesti gloria felicissima beatitudine adimples, universum creaturarum populum perducis, gubernas, & conservas. A quo tibi æterna sit laus & gloria in æternum & ultra, Amen.

In tertia parte Præparationis.

PEtes à Sanctissimæ Trinitatis Personis gratiam, dignè offerendi hoc sacrificium.

A Patre. Ad gustum & consolationem Sanctissimæ Trinitatis, peto à te Pater, æterne Deus, ut des mihi, cum eo affectu, eaque donorum cœlestium copia, nunc, & semper, sacratissimum Missæ mysterium offerre, Eucharistiamque conficere, & denique Christum Dominum recipere, quo illum pretiosissimæ Virgini Parenti, & per illam universo humano generi, in Incarnatione dedisti.

A Filio. Ad gustum & consolationem Sanctissimæ Trinitatis, peto à te Fili, Redemptor mundi, Deus, ut des mihi cum eo te affectu conficere, offerre, suscipere, quo tu ipse te in ultima cœna confecisti, in ara crucis obtulisti, in Incarnatione Parenti pretiosissimæ suscipiendum dedisti.

A Spiritu S. Ad gustum & consolationem Sanctissimæ Trinitatis, peto à te ô Spiritus Sancte, Deus, ut mihi tam mundum cor atque corpus efficias, propter Divinissimum sacrificium offerendum, Sacramentumque conficiendum ac recipiendum, quam mundum, purum,

rum, atque dignum effecisti in Parente pretiosissima, Virgine Maria, quando illa Verbum æternum exceptura, conceptura, atque purissimorum viscerum suorum sanguine, humanoque corpore, fuerat indutura.

In quarta parte sicut in tertia superiorum Sacrorum.

Affectus totius Sacri.

QUoniam tu creatura cum sis Sanctissimæ Trinitatis, debes illi cultum sacrificii, sed indignus es, qui illi immoleris, igitur desidera, & propone eidem immolare Jesum Christum. Sanctissima Trinitas, Deus meus, cujus creatura sum, agnosco tibi à me deberi, omnimodum obsequium, cultum, & sacrificium, sed quia tu brutis non oblectaris honoribus, & in sacrificium me tibi immolari neque tu vis, neque ego dignus sum, ideo tibi Uni-Trino Deo, Domino meo, in sacrificium laudis offerre volo, & propono, Jesum Christum, Redemptorem & Dominum, & simul sacrificium meum.

Affectus ad Consecrationem.

SAnctissimam Trinitatem ubique præsentem per immensitatem, fac in speciebus Panis & Vini præsentem, per Sacramentalem concomitantiam. Sanctissima Trinitas, quæ ubique es per Divinam tuam immensitatem, do tibi sub his speciebus Sacrificii, esse per Sacramentalem præsentiam, tu fac me tibi, & te mihi, semper præsentem, per sanctificantem gratiam, in unione illius affectus, quo tu Sanctissima Trinitas, tibi Jesum Christum, Deum Hominem in SS. Sacrificio immolari voluisti, quoque ille tibi sese immolavit, & immolat, cum quo & ego me tibi immolo, in sacrificium plenum, per manus Sanctissimæ Jesu Christi Humanitatis, pretiosissimæ Parentis, sanctorumque omnium hominum, & Angelorum, nominatim N. N. hodiernorum Sanctorum, &c.

Affectus ad Elevationem.

ADorationis affectum Sanctissimæ Trinitati intima annihilatione tui exhibere curabis. Sanctissima Trinitas, Deus & Dominus meus, adoro te sub his speciebus præsentem, adoratione, quæ uni tibi, à me, & ab omni creatura debetur, cujus etiam nomine, affectu debito, eam tibi, nunc semel pro semper exhibeo.

Affectus ad Communionem.

ROga Sanctissimam Trinitatem, ut ad te veniens mansionem apud te faciat, siquidem Verbum Verbi non tantum servasti, sed etiam consecratione efformasti, impleat ergo tibi promissum Veritatis. O Sanctissima Trinitas, dixit Dominus meus Jesus Christus, quod ad eum qui servaret aut faceret sermonem Verbi, esses amanter ventura, & mansionem apud eum factura, en ego confeci, & formavi, & servavi verbum Veritatis, sub iisque speciebus illud deposui, & cum iisdem intra viscera cordis corporisque mei servare volo, imple ergo jam promissum veritatis. Ama me, veni ad me, & mansionem tibi fac apud me gratissimam & æternam.

Post Sacrum.

ELicies varios ad Sanctissimam Trinitatem actus & affectus. 2. Coronam Sanctissimæ Trinitati dices, defectuosissimi hominis affectu, misericordiam ab ea mendicans. 3. Gratias ages &c.

Actus

Actus Virtutum.

F*Idei.* Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ. Et in Jesum Christum Filium unigenitum, consubstantialem Patri. Et in Spiritum S. Dominum & vivificantem, sanctam & individuam Trinitatem, cui me tota devotione committo.

Spei. Spero in Patrem, Filium, Spiritum S. Sanctam Trinitatem, unum Deum, & ab eo vitam æternam, ex gratia ejus, ex Jesu Christi meritis, ex mea cooperatione, hoc est sanctissimæ Trinitatis donatione & miseratione, opera mea bona, magis autem sua vera dona, sanctificante, & coronante, atque glorificante, me obtenturum, omniaque mala, tam corporis quàm animæ, juxta voluntatem ejus superaturum.

Amoris. Amo, & super omnia totis viribus cordis mei æstimo, Patrem, Filium, Spiritum S. Unum in Trinitate, & Trinum in Unitate Deum. Hac Fide, Spe & Charitate, in Sanctissimam Trinitatem, Deum meum, & summum bonum meum ferri, atque tendere volo, totis viribus, animæ, corporisque mei, pro omnibus punctis vitæ meæ, pro omnibus in cœlo & in terra, & sub terra, existentibus creaturis, in eaque fide, spe, charitate, vivere & mori desidero, in unione gratiæ Dei, meritorumque dulcissimi Domini mei Jesu Christi.

Adorationis Patrem, Filium, Spiritum S. Unum in Trinitate Deum adoro, & esto, tota substantiæ viriumq; mearum prostratione, ac submissione, tanquam Deum, Dominum, Authorem, Principium, Principem, Finem meum primum, summum, ultimum, tanquam creatura, servus, mancipium, opus, jumentum, Dei dominium. Adoro & amo te summa & beatissima Trinitas existentem in te ipsa, & unio hanc adorationem & amorem meum, cum amore quo amas infinitè te

 ipsam,

ipsam, gaudens, & intimo exultans, de infinita perfectione beatissimæ Naturæ tuæ, excedente omnem captum intellectus, omnium creaturarum tuarum rationalium, & desiderans te adorari semper quoad fieri potest, in actu secundo, & amari amore quam proximè tuo infinito, & incomprehensibili quo amas te ipsam, & rogo suppliciter, ut iste pauperculus Amor meus, tuo infinito unitus, recreet & exhilaret, semper dulcissimum & amabilissimum cor tuum, propter gustum & consolationem beatissimi cordis tui, Amen.

Adoro & amo te, summa & beatissima Trinitas, existentem in sanctissima Humanitate Christi Jesu, & unio hanc adorationem & amorem meum, cum adoratione & amore, quo ejus anima beatissima te adorat semper & amat. Rogo supplex, ut hæc paupercula adoratio, amorque unitus sacrosanctæ illi adorationi & amori recreet, quam simillime dulcissimum &c. ut immediatè superius.

Adoro & amo te, summa & beatissima Trinitas, existentem in beatissima Virgine MARIA, pretiosissima Parente & Domina mea, in Angelorum Hierarchiis, in omnibus Beatorum choris, in animabus Sanctorum & Electorum tuorum, vivorum & mortuorum, rogo supplex, ut hæc paupercula adoratio & amor meus, & singulæ actiones meæ hujus diei & vitæ totius, unitæ adorationibus & amoribus eorum, recreent & exhilarent, quam simillimè dulcissimum &c.

Adoro & amo te, summa & beatissima Trinitas, existentem in omnibus aliis creaturis, tam multis & tam præstantibus. Rogo supplex, ut mihi pauperculo servo tuo concedas, propter te, & propter merita Domini mei Jesu Christi & omnium Sanctorum tuorum, tam magnam multitudinem & præstantiam gratiæ, semper in oculis tuis, in Esse supernaturali & Divino, quam

magna

magna eſt multitudo & præſtantia creaturarum omniũ, præteritarum, præſentium & futurarum, in Eſſe naturali, ut ſic paupercula anima mea & corpus meum, his exornata muneribus recreet & exhilaret, ſemper dulciſſimum & amabiliſſimum cor tuum &c.

Adoro & amo te, ſumma & beatiſſima Trinitas, exiſtentem in omnibus locis, in quibus ad hanc uſque diem, factum eſt, vel fit, vel fiet aliquid, contra vel præter ſanctiſſimam voluntatem tuam, & intimè doleo, tam parvum reſpectum habitum, haberique ſummæ illius & Beatiſſimæ Majeſtatis tuæ. Rogo ſupplex, ut propter merita Domini noſtri Jeſu Chriſti, omniumq; Sanctorum, remittas omnia peccata noſtra, præterita, præſentia, à futuris autem præſerves, mihique & omnibus ac ſingulis tuis Electis, in libro vitæ deſcriptis, tantam abundantiam efficaciſſimæ gratiæ tuæ ſupernaturalis largiri digneris, ut ſi fieri poteſt, quolibet actu noſtro, tantum dulciſſimo & amabiliſſimo cordi tuo exhibeamus, guſtum & conſolationem, quanta eſt malitia omnium ſimul peccatorum, præteritorum, præſentium & futurorum, propter te Deum meum, & propter guſtum conſolationemque dulciſſimi ac beatisſimi cordis tui, Amen.

Adoro & amo te, ſumma & beatiſſima Trinitas, exiſtentem in omnibus illis locis, in quibus ad hoc temporis punctum factum eſt, vel fit, vel fiet aliquid, gratum & placitum dulcisſimo & amabilisſimo cordi tuo; & intimè gaudeo, ita honoratam & amatam, honorari & amari, honorandam & amandam eſſe, ſummam & beatisſimam Majeſtatẽ tuam. Rogo ſupplex, propter te, & propter merita Domini mei Jeſu Chriſti, omniumq; Sanctorum tuorum, mihi & omnibus Electis tuis, tantam abundantiam ſupernaturalis gratiæ tuæ, efficacisſimamque largiri digneris, ut quoad fieri poteſt,

quo-

quolibet actu noſtro, dulciſſimo cordi tuo exhibeamus, quam ſimillimum guſtum & conſolationem, bonitate omnium ſimul actionum, præteritarum, præſentium & futurarum, propter te Deum meum & conſolationem cordis tui, Amen.

Adoro te & amo te ſumma & beatiſſima Trinitas, exiſtentem in omnibus illis locis & creaturis, quibus tu aliquando largita es aliquod donum tuum, & in quibus vetera conſervas, novaque confers beneficia, naturalia & ſupernaturalia, mihi & aliis omnibus, pro quibus univerſis & ſingulis intime tibi gratias ago, illis præſertim, quæ tribuiſti & ſacroſanctæ Humanitati Domini noſtri Jeſu Chriſti, & puriſſimæ ejus matri, & cœleſtibus Spiritibus, ſanctisque & electis tuis, vivis & mortuis, & pro iis, quæ adhuc tribues. Rogo ſupplex, ut propter te & ob merita Jeſu Chriſti, omniumque Sanctorum tuotum, tam abundanter & efficaciter ornes animam & corpus meum, cum omni eo, quod in me eſt & erit, ut ego pauperculus ſervus tuus, ſemper quantum fieri poteſt, ſim actuale ſacrificium & holocauſtum ſpirans, dulciſſimo & amabiliſſimo cordi tuo gratiſſimum odorem, perennis & ſupernaturalis ſuavitatis, propter te Deum meum, & propter guſtum conſolationemque cordis tui, Amen.

Adoro & amo te, ſumma & beatiſſima Trinitas, exiſtentem in omnibus illis locis, in quibus ſanctiſſimum Sacramentum & Sanctorum tuorum in cœlis tecum regnantium, aliquæ res vel reliquiæ ſunt reconditæ. Rogo ſupplex, ut propter te & merita Jeſu Chriſti, cum omnibus Sanctorum tuorum, tam grata tibi ſint omnia opera mea, & omiſſiones meæ proportionaliter, quam gratum eſt tibi, in illis locis ſanctiſſimum Sacramentum corporis & ſanguinis Domini noſtri JESU Chriſti, cum omnibus Sanctorum tuorum reliquiis & rebus,

rebus, quibus ego eum quem par est honorem & amorem, ex intimo corde impendo, ut recreem & exhilarem dulcissimum & amabilissimum cor tuum, propter te Deum meum, & propter gustum consolationemque beatissimi cordis tui, Amen.

Adoro & amo te, sanctissima & beatissima Trinitas, existentem in iis locis, in quibus creaturæ tuæ, præsertim rationales indigent, una mecum novis beneficiis tuis, naturalibus & supernaturalibus, & in quibus implorant necessitatibus suis divinum auxilium dulcis & potentis dexteræ tuæ. Rogo supplex, ut propter te & ob merita Jesu Christi, & omnium Sanctorum tuorum, respicias benignè ex alto solio beatissimæ gloriæ tuæ, indigentiam omnem & petitionem creaturarum tuarum, easque propitius adjuves in necessitatibus, & exaudias in petitionibus ipsarum, & facias, ut beneficiis tuis de novo concessis, utantur ad honorem & gloriam quam maximam divinæ Majestatis tuæ. Et si forte quod absit, per inconsiderationem vel malitiam, aut alio modo bene illis non sunt usuræ, ego præ desiderio honoris gloriæque tuæ dirigo illa, & offero tibi, cum pretiosissimo corpore & sanguine, meritisque omnibus Domini nostri Jesu Christi & omnium Sanctorum tuorum, ad laudem, & gustum, & consolationem beatissimi cordis tui. Rogans te suppliciter, ut hanc oblationem meam, propter merita Jesu Christi & Sanctorum tuorum, in odorem suavitatis, libenter ac cum gustu tuo acceptes, & me cum omnibus illis, quæ tibi obtuli, benignè respicias, & paternam benedictionem, abundantem & efficacem de cœlo demittas, quo fretus, ambulem semper rectè & ferventer, in omnibus mandatis & consiliis tuis, & quamplurimos, præterea verbo & exemplo ad tuum perfectum amorem, citò, sæpè, constanter, copiosè, efficaciter & perseveranter traham,

& si fieri potest, fiam quoddam rete tuum, mundum totum in virtute dexteræ tuæ comprehendens, & è dæmonis servitio eripiens, & usque ad te perducam, & post hanc vitam, ipse recta ad te videndum perveniam, propter gustum & consolationem beatissimi cordis tui, Amen.

Subjectionis. Patri, Filio, Spiritui S. Uni-Trino Deo, Domino meo, Possessorique ac Regi absoluto, independenti, omni modo, me servum, subditumque, & quia sum, recognosco, & (si per impossibile non essem) facio, ejusque me potestati, arbitrio, regimini, voluntati, voluntariè, deliberatè, devotè, naturaliter, omni meliore, quà ille dignus est, ac vult, ac ego debeo, voloque, ratione ac modo, subdo, subjicio, submitto, pro tota vita, morte, æternitate, pro qualibet prosperitatis, adversitatisque conditione, pro nullo alio præmio & commodo, nisi, ut exaltetur ille DEUS salutis meæ, & impleatur in me suavissima voluntas ejus, delecteturque, quam plenissime divinus gustus ejus.

Gratitudinis. Patri, Filio, Spiritui S. sanctæ & benedictæ in sæculum Trinitati, omnis boni fonti, gratias ago pro omnibus & singulis beneficiis, quæ unquam alicui creaturæ præstitit, præstat, præstabit. Gratias ago pro beneficiis mihi collatis, naturæ & gratiæ, pro beneficiis communibus & particularibus, sive jam datis sive adhuc dandis, per omnem æternitatem. Atque hasce gratias meas, ipsius Sanctissimæ Trinitatis Bonitati adjungo, ut propter eam ipsi placeant, ita, sicut bonitas ejus, & bonitas beneficiorum ejus ipsi placet. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, à me, & ab omni creatura, sicut erat in principio &c.

Contri-

Contritionis. Patri, Filio & Spiritui ſancto, ſemper benedicendæ Trinitati, confiteor omnia & ſingula delicta animæ meæ, erroresque cordis mei, & pro iis omnibus & ſingulis, ſub omni, ſub qua Sanctiſſimæ Trinitati displicent, ratione doleo.

Doleo autem tantum ideo, quia ſummæ illi ac digniſſimæ Bonitati ac Majeſtati displicent, inque offenſam ejus bonitatis ac dignitatis vergunt, quam ergò ſummè amare, æſtimareque debui, & quam nunc ex tota voluntate mea, ſummè amo, omnibusque præfero, ac præferre in æternum volo ac propono.

Gratulationis. Patri, Filio & Spiritui ſancto, Unitati & Trinitati, volo, gaudeo, gratulor, quod ſit id quod eſt, nempe Deus in Trinitate Unus, & in Unitate Trinus. Pater, Filius & Spiritus Sanctus, à ſe Ens, omni bono & perfectione plenum, beatum, nullius indigum, omnium potens, omnium dominans, per omnia; Actus purus, ſecuritas, immenſitas, Bonitas, plenitudo, Veritas, æternitas, & omnia illa, quæcunque eſt. Eidem gaudeo, volo, gratulor, quod omnis creatura in ejus poteſtate eſt, omnis ab illo eſt, & per omnia dependet, omnis ſine illo nihil eſt, omnis in conſpectu ejus nihil eſt, omnis ei comparata magis non eſt quam eſt. Hoc Deum meum, Trinitatem eſſe, plus gaudeo, plus volo, quam me omnimode beatum eſſe, quam omnis boni, cujus capax ſum, poſſeſſorem ac fruitorem eſſe. Plus enim amo & cupio Trinitate DEO bonum ejus vel minimum, quam mihi bonum meum vel maximum.

Poſtulationis. Sanctiſſima Trinitas, Pater, Fili, Spiritus Sancte, Unus DEUS. Ego creatura & cura tua, peto à Paterna & Divina Bonitate tua, ut des mihi dona tua, quæcunque diſpoſuit mihi dare

ſapi-

ſapientia & voluntas tua, utraque adoranda, & mihi ſuaviſſima ſponſa mea. Nihil à te peto, mi Trinitas Deus, niſi, ut hoc facias, tam mecum, quàm cum omnibus creaturis tuis, quod facere nobiscum ab æterno ordinaſti, & hoc etiam ipſum non aliter à te peto, niſi quia ut petam, tu ordinaſti. Fac tu, Sanctiſſima Trinitas, quod vis, & me facito jumentum, ſponſumque tuæ ſacroſanctæ Majeſtatis, Bonitatis, Voluntatis, Dignitatis & Trinitatis.

CORONA.

INdues affectum indigniſſimi ac mendiciſſimi (ſicut revera es) hominis, atque in aliquot decadibus coronæ, eâ qua par eſt indigentisſimam creaturam humilitate, à ſanctisſimæ Trinitatis omnibus & ſingulis Perſonis, miſericordiam (vel quod aliud donum voles) poſtulabis, in unione meritorum Chriſti.

Pater de cœlis Deus
Fili Redemptor mundi, Deus
Spiritus Sancte Deus
Sancta Trinitas, Unus Deus } Miſerere nobis.

O Pater, per amorem corporis & ſanguinis Filii tui. O Fili, per amorem corporis & ſanguinis tui proprii. O Spiritus S. per amorem corporis & ſanguinis à te, in viſceribus ſanctisſimæ Virginis efformati, date mihi & toti mundo, potisſimum autem amicis meis, amorem veſtrum perfectum. Indulgete veniam peccatoribus, lucem æternam oſtendite animabus purgatorii, inimicis meis privatis & communibus benefacite, date gratias efficaces conſanguineis & pœnitentibus meis, date veſtri cognitionem infidelibus, date ſalutem omnibus, ſub-

ſubvenite mihi in omnibus operibus meis, neceſſitatibus, tribulationibus, negotiis, & officiis meis, ut vobis cum tota creaturarum veſtrarum univerſitate ſerviam, id millies & æternaliter poſco, per corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti Domini noſtri.

Gratiarum actio, ut ſuperiùs.

GLoria Patri & Filio & Spiritui Sancto, ſicut erat in principio & nunc & ſemper &c.

§. X.

Die Sacratiſſimi corporis Chriſti.

Prima pars Præparationis.

PRæcognitio futuri operis. Quid facere aggredior? negotium omnium negotiorum maximum, introibo in ſancta Sanctorum, hominum ad Deum Mediatorem agam, in conſpectu curiæ cœleſtis, coram ſanctiſſima Trinitate, publicam totius mundi cauſam perorabo. Parum eſt, ſed etiam quod conceſſum non eſt Angelis, quod ipſi Divinæ matri non eſt datum, quod omnis creaturæ merita dignationesque excedit, corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti veri Dei, verbis producam, & cum ſanctiſſima Trinitate operabor, hoc magnum Sacramentum: inſuper etiam, manibus tractabo, intuebor oculis, ore contingam, manducabo, in viſcera recondam, diſpenſabo, Deique mei creator, bajulus, conviva, arbiter, diſpenſator ero. O negotium negotiorum maximum! ô præſtantiſſimum inter omnes humanas actiones opus! faceſſite quævis alia negotia, omnes alio avocantes cogitationes, curæ, ſolicitudines, abite. Hoc unicum anime age quod agis, ruat mun-

dus, pereant amici, quidquid pretiosissimum est, unius horæ involvatur damno, non distrahatur cor tuum, majus præ manibus negotium est, ad hoc solum omnes potentiarum sensuumque vires intende, hoc tracta, cum illo jam inde occupari elige, cum quo beatissimè æternum occupabere. Melior omnibus creaturis Deus, huic omnia creata postpone, plus tua interest unicum Deum benevolum amicumque habere, quam quosvis mundi favores.

Indignitatis confessio. Atquis ego sum Eminentissime Deus, ut tantum opus aggredi audeam? Quis ego sum & quis es tu? Tu es Deus magnus & grandis nimis, Deus Majestatis, Deus cui cogitatio nulla par, Deus nunquam digne æstimabilis, Deus nihil horum omnium quæ cogitantur aut sunt, sed super illa omnia. Ego autem quis sum? Ego conceptus, & educatus, & adultus in peccatis totus. Ego peccator, revera major & vilior quam putem, & quam cogitare possum. Ego canis putidus, ego labiis & toto corpore pollutus, ego fœdissimorum scelerum mephytis. Ego mille titulis debitum infero caput, ego terræ exosum pondus, & cœli odium, ego tanto vilior, quanto plurium peccatorum constringor reatu, eo magis indignus, quo magis ingratus, ego vilissimorum vilissimus, quia ipsa vilitas, nihil, peccatum. Et ista duo extrema tam dissita, tam disparata, tam distincta, hodie conjungentur, conviscerabuntur, tantus Deus, tantillo homini incorporabitur. O Sacramentum! ô mysterium! vere mysterium arcanum, abditum, latens. Quis unquam id beneficii genus ausus est optare, nunquam in cor hominis descendit dignatio tanta. O Domine, si tu ob imensam dignitatem tuam non agnoscis te, sine saltem

ut

ut mea vilitas agnoſcat ſe, & quidem meritò reformidet conjungi tibi. O cor meum, quam audax & temerarium es, quod vel cogitare audes accedere ad hoc Sacramentum? eſtne Tibi Seraphica, illa Cryſtallo nitidior puritas? inſtar miraculi Eccleſia prædicat, quod Filius Dei non horruerit Virginis uterum, qui tamen à Spiritu S. pulcherrimo gratiarum, donorum, & virtutum omnium apparatu fuerat inſtructus, quomodo igitur te cubile Draconum, te proſtibulum immunditiei, te ſentina ſcelerum non horreſcat. Quo ſolari radio ait Chryſoſtomus non ſplendidiorẽ oportet eſſe manum, carnem hanc dividentem, os quod igne ſpirituali repletur, linguam quæ tam tremendo ſanguine rubeſcit? quo igitur auſu peccator impudentiſſime, manus tuas fædis ſceleribus contaminatas, ad puriſſimam illam Chriſti carnem admovebis? qua temeritate linguam innumeris peccatis commaculatam, ad manducandum cibum hunc Angelicum exerces? quo ſcelere in corde tot peccatorum ſordibus polluto, inimiciſſimum peccato Chriſtum repones? time iram Omnipotentis, & vel tam tremenda myſteria temere contrectare ne aude, ne reus corporis & ſanguinis Domini judicium tibi manduces: vel temetipſum proba, & dijudica, ſi digne de hoc pane Angelico edas, & de ſanguine bibas, ſcrutare cordis intima, & minimum expia nævum peccati.

Examen conſcientiæ. Reſponde mihi animæ, quantas habeo iniquitates, ſcelera mea & delicta oſtende mihi. O mi DEUS, quibus ego Te peccatis offendi. 1. Quomodo præparatio, miſſa, gratiarum actio heri peracta. 2. (Si Religioſus) quomodo paupertas, caſtitas, obedientia ſervata. 3. Si aliquid

habes contra fratrem tuum, vade prius reconciliari illi, & tunc venies offerre munus tuum ad altare. 4. Lingua Sanctissimæ Eucharistiæ ferculum, an commaculata verbo iracundo, contumelioso, murmuratorio, detractorio, sarcastico, gloriabundo, mendaci, turpi, maledico &c. 5. Horæ canonicæ an distractè, an debito tempore, an præpropere & mutilate recitatæ. 6. Meditatio, examen utrumque an omissa, an bene absoluta. 7. Temperantia in cibo potuque, in prandio, in cœna, extra prandium & cœnam &c. (si Religiosus) an sine facultate cibus aut potus sumptus. 8. An principali officio satisfactum, an cum recta intentione, & fervore dilectionis &c. Hæc & omnia totius vitæ peccata detestor supra omnia mala, quia tibi Deo meo displicent, cui ego placere quam maxime cupio, quia me indignum usque & usque reddunt tua liberali & amica gratia, quia arctiorem illam unionem, ad quam anhelo, retardant, quia impediunt gustum illum & suavitatem, & fructum hujus Sacramenti, quem devote celebrantibus servis tuis impartiri soles. Utinam te nunquam offendissem dignissime perpetuo amore Deus. Utinam omnia desideria cordis tui ad amussim explevissem, doleo quam possum intensissimè. Peto veniam, propono emendationem, ô utinam tibi jam inde perfectius serviam! Utinam ex intimo erga te amore omnes voluntates tuas perficiam!

Intentio. At etiam sic expiatus non audeo tantum opus aggredi, quia homo peccator ego sum, quia indignissimus undequaque. Quia tamen ad sacerdotalem statum me quoque vocare placitum est ante te, & nunc etiam visà me sacrificari, pareo & ex omnibus possibilibus tibi placendi teque honorandi motivis, volo conficere corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, juxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ, intendens ea omnia,

quæ

quæ Salvator dilectissimus, in prima hujus sacratissimi Sacramenti confectione, & institutione intendebat, & quæ à me hodie sacrificaturo vult intendi. Atque imprimis offero Tibi Eminentissime Deus, hoc præcellentissimum sacrificium, ut recognoscam te supremum esse Dominum, universorum vitæ & mortis potestatem habentem, utque meam ac totius mundi demisissimam, sub absolutum tuum dominium, subjectionem protester. Offero in gratiarum actionem pro N. & pro omnibus aliis beneficiis tuis. In satisfactionem pro N. & pro omnibus aliis peccatis & pœnis. In impetrationem N. omnium aliorum beneficiorum tuorum. Offero & ad hos fines; ut plenarium à te Jubilæum, & quascunque possum indulgentias ex thesauro Ecclesiæ consequar. Ut fomitem peccati sanguine Christi extinguam, & perfectam castitatem ab attactu Virginalis ac purissimi corporis illius obtineam. Ut indignitatem, atque infamiam, ex præteritis peccatis residuam, à desideratissima amicitia tua me arcentem, amplius & amplius tollam. Ut fervore charitatis ab hoc igne consumente succendar, & ut sortiar omnes Christiferæ passionis affectus. Ut Spiritum Christi imbibam, quo vivam, cum illa humilitate, charitate, castitate, obedientia, paupertate, corporis mortificatione, contemptu mundi, zelo animarum & gloriæ tuæ, cum quo Salvator meus dilectissimus vixit, ut jam non meo, non mundi, non carnis, sed Christi Spiritu spirem, idque solum probem quod ille, id duntaxat eligam quod ille. Ut à vanis, superbis, imundis, & iracundis cogitationibus & desideriis emunder, & sanctis adimplear, ut hoc emplastro vitiosos animæ habitus sanem, ut hac potione ab omni peccato mortali & deliberato veniali æternum præserver. Ut submisissimis adorationibus, & omni obsequiorum genere affectuumque effusione, Chri-

ſtum Dominum meum Regem colam, ut illum exaltem & ſuperexaltem, ac toti mundo adorandum, laudandumque exhibeam. Ut amorem meum complectar, conſtringam, deoſculer, ut ejus deſideratiſſimo aſpectu, præſentia, colloquio, exſatier. Ut in amaritudine animæ meæ cum illo confabuler, eique omnes neceſſitates meas, dubia, gravitates, exponam, ut benedictionem in vita Religioſa (ſi Religioſus) & omnibus officiis meis, ab illo obtineam. Ut ſuavitatem & benevolentiam tuæ paternæ providentiæ, qua tuos gubernare ſoles, promerear. Ut dilectum votorum meorum in viſcera mea recondam, & totus in illum transformer, ut jam non ego, ſed Chriſtus in me vivat. Ut ſolidam & conſtantem devotionem ad hoc ſanctiſſimum Sacramentum, ad JESUM incarnatum, & paſſum, & pretioſiſſimam Parentem, impetrem (ſi Religioſus) ut vocationem ad Societatem, ad Religionem, vel ad Statum aliquem, juxta DEI voluntatem & præſervationem à peccato mortali impetrem N. N. Ut latiſſimam charitatem toti mundo exhibeam, præcipuè ut agonizantibus felicem mortem, peccatoribus pœnitentiam, juſtis ſanctitatis augmentum, afflictis conſolationem, captivis redemptionem, pauperibus ſuaves tuæ providentiæ divitias, infidelibus converſionem, operariis in vinea tua felicem zelum continuem. Ut quam plurimas animas è purgatorio liberem, omnibus vero levamentum pœnarum impetrem, ut omnibus amicis & inimicis meis, & quicunque pro me orant, vel orationibus meis commendati eſſe cupiunt, aut debent, beneficia maximè neceſſaria dones. Ut amorem & Spiritum vocationis, perſeverantiam

in Re-

in Religione, (si Religiosus) & felicem mortem, ab absoluto vitæ & mortis Domino, mihi meisque obtineam, impetremque cœleste viaticum pro itinere æternitatis, tam mihi quam iis.

Postulatio gratiarum. Et in hos quidem ego fines sacrificare intendo, at quo honore tuo, quo gustu sacrificabo, dignissime DEUS, si me non præveneris in benedictionibus dulcedinis? Anima mea velut terra sine aqua, nisi tu eduxeris mel de petra, oleumque de saxo durissimo, cor instabile & vagum, sicut parturientis, phantasias patietur, nisi à te Altissime, emissa fuerit visitatio. A quo remedium petam, nisi à te, à quo omne bonum descendit.

O Pater luminum & DEUS totius consolationis, remove à me omnes Diaboli tentationes & impedimenta, ut sine ulla animæ distractione omnes animæ facultates impendam, ad hoc negotium maximum.

O æterna Sapientia, Fili Dei, suppedita intellectui meo, sancta dictamina digne tractandi, honorandi, amandi, manducandi corpus tuum, ut nihil omnino agam, quod displiceat tibi.

O Amor, qui semper ardes & nunquam extingueris, Sanctissime Spiritus, inflamma voluntatem meam, accende omnes affectus, ut sicut ferrum igni, ita ego uniar Christo Jesu Amori meo, ô quam ego illo tempore, quo verba sacrosancta proferam, quo sanctissimam Hostiam elevabo, dividam, sumam, cuperem esse Cherubim vel Seraphim, non propter meam sensuali-

tatem ſpiritualem, ſed propter tuam dignitatem, amantiſſime Deus, ut quam ſcientiſſimè quàm devotiſſimè tractem digniſſimum hoc Sacramentum.

Invitatio Sanctorum. O Virgo beatiſſima, Genitrix hujus ipſius corporis, quod ego verbis producam, manibus tractabo, obſecro adſis Sacro meo, & concede mihi tuas manus, tua labia, tuam linguam, tuos oculos, tuas conſiderationes & affectus, omnemque gratiarum, donorum, virtutumque tuarum apparatum, ut tam decenter, tam caſtè, tam reverenter, tam ſanctè, tam amanter & devotè Filium tuum tractem, quàm tu illum tractaſti. Tu ſcis, quod ego ſim ſtultus & impolitus Corydon, obſecro appone mihi aliquem ex Cherubim, Magiſtrum Ceremoniarum, qui me doceat politiam cœleſtem, ne barbaro cum cœleſtia agendi modo, juſtam curiæ cœleſtis offenſionem incurram.

Angelicæ militiæ Princeps S. Michael Archangele, per reverentiam Domini Jeſu tui Regis obteſtor, mitte legionem ſanctorum Angelorum, qui mihi ſacrificaturo aſſiſtant. At vos, per zelum honoris divini, ſanctiſſimi Spiritus precor, velitis eſſe Subdiaconi, Diaconi & Miniſtri mei, cuſtodite me diligenter ſacrificantem, ne errem, ne cogitationibus vel paſſionibus diſtrahar, ne à malis geniis interturber, ne mihi imprudenti minima particula corporis vel ſanguinis Domini excidat, aliusque caſus contingat. Quam enim commutationem vilis homuncio darem pro tanto damno? Omnes ſancti Patroni mei, omnes ſancti Sacerdotes, qui devotiſſimè ſacrificabatis, adeſte, & orate pro me, ut decenter & ſanctè hoc præſtantiſſimum opus adminiſtrem, impetrate mihi veſtræ devotionis participationem.

Præparationis pars tertia.

1. CONfiteberis myſterium ſanctisſimi Sacramenti & Sacrificii. 2. Scopum ejus expendes, qui eſt, ut ſumatur à nobis, & uniamur illi. 3. Excitabis in te deſiderium & famem ejus.

PRAXIS.

JESU dulcisſime, qui de ſinu Patris tui æterni, ideo ad nos miſeros homines, in hoc terreſtre exilium deſcendiſti, miſeriarum noſtrarum in carne fragili particeps eſſe voluiſti, ut nobis ineffabilem Bonitatis miſerationisque tuæ plenitudinem communicares: agnoſco & confiteor Divinæ charitatis tuæ erga nos omnes miſerationes tuas, & omnes dulcedinis tuæ, quos noſtri cauſa profudiſti atque nobis reliquiſti, theſauros. Etenim, non contentus, quod omnia, quæ Patris æterni ſunt, tua eſſent, quodque à ſæculo eſſes gaudium Angelorum, & lignum vitæ, fructusque ſalutis, voluptatis & beatitudinis æternæ, omnibus beatis ſpiritibus, placuit inſuper tibi, deſcendere in terras, naſci de Virgine, inter homines vivere, hominibus legem vitæ & præcepta diſciplinæ tradere, pro iisdem hominibus laborare, fatigari, pati & mori, eosdem ſanguine morteque tua redimere, & à ſervitute Diaboli, à corruptione mortis, à peccatorum jugo, à pœnis inferni liberare, vitam æternam cœleſtemque gloriam illis aperire, & ad omne bonum, tuo ipſius exemplo, illis præire, viamque ſternere. Sed neque hoc ſatis fuit Benignitati tuæ, verùm poſtquam ſalutis noſtræ negotium, juxta Patris æterni voluntatem perfectè conſummaſſes, teque in Sacrificium, ſuper aram crucis, ſemel Patri æterno pro noſtra ſalute obtuliſſes, & victor à morte

gloriosus resurgens, Triumphator cœlos ascensurus esses, invenisti apud inscrutabilem sapientiam tuam, modum, quo nos, usque in finem, infinita dilectione tua diligeres. Ergo statuisti & fecisti, ut nobiscum esses præsens in hoc mundo, usque ad consummationem sæculi, nos minimè relinquens orphanos, sed potiꝰ suavissimæ tuæ præsentiæ nobis pignus indulgens. Statuisti etiam, & fecisti, ut hæc tua nobiscum commoratio otiosa non esset, sed ut inter nos manens, cibus potusque animarum nostrarum fieres salutaris.

Eam igitur ob causam, ordinasti manere inter nos sub speciebus Panis & Vini, ut quotiescunque placeret nobis alimoniam æternitatis propinare animabus nostris, illam ex mensa tua, regalibus deliciis plena, sumere possemus, tuoque sacratissimo corpore & pretiosissimo sanguine, corda nostra nutriremus, & animas nostras saginaremus. Super hæc verò universa, progressa est ulterius charitatis tuæ abundantia, jussisti enim præterea & statuisti, ut hoc ipsum corpus tuum atque sanguis, non tantum esset nobiscum, nec tantum nobis in cibum & potum cederet, sed insuper ut esset nobis æterna Hostia & juge Sacrificium, oblatioque munda. Jussisti enim nos, corpus & sanguinem tuum, vel potius teipsum, per ministerium verborum nostrorum, & per Omnipotentiam Virtutis tuæ, in speciebus Panis & Vini consecrare & immolare, in odorem suavissimum Dei Patris tui, in gratiarum actionem pro beneficiis ejus erga nos, in commemorationem & repræsentationem rerum à te, pro nobis, sive gestarum, sive toleratarum, in impetrationem novorum nobis necessariorum munerum ac beneficiorum. O Bonitas, ô charitas, ô misericordia, quid tibi pro tantis tuis erga nos miserationum tuarum profusionibꝰ, Domine Jesu, non dico retribuam, sed respondebo? Majores sunt misera-

tiones tuæ istæ super nos, quam ut sufficiamus, omnes pro iis dignas Majestati tuæ gratias agere. Si tradidero me tibi in servum, nihil est. Si me totum tibi dedero, & hoc nihil est. Si me in gloriam tuam totum vilificavero, etiam hoc ipsum nihil est. Si me per totam æternitatem soli gratiarum actioni consecravero, brevis erit & ipsa æternitas, tantæ obligationi meæ, tanto excessui charitatis tuæ. O mi Jesu, tuæné Sapientiæ atque Majestati venire hoc in mentem potuit, ut nobis te in cibum potumque dares, & à nobis jugiter sacrificari & offerri velles? Non erat satis Bonitati tuæ, carnem nostram assumere, & tuæ Divinitati associare? Innocentissimam carnem tuam, pro nobis, lethalibus tormentis excruciare? Animam sanctissimam pro nobis in mortem dare? nonne, inquam, erant hæc satis? Ut quid insuper opus erat adinventionibus istis magnis? ut quid opus erat manducari Te à nobis? ut quid opus erat inviscerari & concorporari Te à nobis. Parum erat ablui sanguine tuo, etiam oportebat inebriari nos illo? parum erat corpore tuo redimi? etiam oportebat nos eodem saginari? Parum erat te pro nobis in ara Crucis, Sacrificio cruento immolari? oportebat etiam eundem te, pro nobis, à nobis, incruento Sacrificio sacrificari quotidie. Quibus stuporibus demirabor stupendam adeo Bonitatem tuam, plus quam bone & dulcis JESU. Si pro me universus Angelorum cœtus, si omnes sanctorum hominum ordines, si totus creaturarum populus pro me gratias agere tibi, teque exaltare voluerit, quantulum hoc erit, ut tu exalteris, qui tantum me extulisti, tantum te demisisti pro me, Bonitate & charitate tua. Ecce autem habeo quid retribuam tibi, pro his omnibus, quæ retribuisti mihi, docuit enim me hoc ipsum doctrix disciplinæ tuæ Sapientia tua, nempe cibum & calicem Salutaris accipiam, & magnipotens

nomen

nomen tuum invocabo. Sumam te, mi JESU, ex altari tuo.& immolabo te in altari tuo, tibi ipſi Deo ſalutari meo. Ecce hoc eſt quod docuiſti me, quod juſſiſti fieri à me, & impoſuiſti jugum præcepti ſuper me, ut non vivam, niſi vivam te. Et ergo, ne tanti erat vivere me, ut victurus manducarem te, nec viverem niſi manducando te & immolando te.

Quis hoc perſuaderet cordi meo, vel Apoſtolus, vel Angelus, vel miraculorum patrator, niſi tu æterna Sapientia & Veritas JESU, cordi meo, corde ipſo interior Magiſter, erudires illud, & docibile illud faceres, tibi, ad omnia verba & præcepta tua, quantumvis arcana & magna. Tu es, mi JESU, qui doces corda Tuorum ſcientiam hanc. Tu es, qui dilatas ea, ut capiant eam. Tu es, qui accendis illa, ut non tantum audeant, ſed etiam ardeant exequi & perficere illam. Etenim fecit hunc quoque gradum miſerationis, magna Bonitas tua, ut non tantum audere, ſed etiam ardere nos jubeat, in immolationem & manducationem ſui. Nimium erat, ô bone JESU, nimium certe ſi auderemus: quantum hoc erit, quod etiam deſiderare, feſtinare, omni fame concupiſcere, nos jubeas, minerisque nobis penuriam, vel abundantiam tui, juxta penuariam vel abundantiam deſiderii noſtri. Quoniam ergo non ſolum imolari, non ſolum mãducari, ſed etiam cum fameſcenti avaritia imolari, manducarique te vis à nobis, ô cibus potusque noſter, mi dulcis JESU, accende, inflamma, conflagra & exure me igne deſiderii tui, tu qui Pater deſideriorum es, fiat mihi ſecundum verbum tuum, fiat mihi ſecundum ignitiſſimum votum meum, Amen. Veni Domine JESU, ecce patet porta cordis mei, ecce patet oſtium animæ meæ, ingredere, ô benedicte Domine. Paratum tibi, paratum cor meum JESU, ſi parum,

rum,

rum, tu amplius para illud. Ardet tibi amor meus, si parum, amplius succende illum, ut ardeat ardore tuo, amore tui, tantum, quantum tu vis, quantum tu das, quantum tu dignus es: Exsurge ergo, ô gloria mea, exsurge psalterium meum JESU, Amen.

Veni Domine JESU & noli tardare. Ecce, tibi dicit cor meum, Domine JESU veni, facies mea exquirit te, & vultum tuum requirit. Audeo, aveo, ardeo, dulcissime JESU, recipere te, habere te, possidere te, vesci te, conjungi tibi, concorporari tibi, immolare te & offerre te, in odorem suavitatis, inque Sacrificium laudis, Patri tuo, & tibi, & sancto Spiritui Uni-Trino Deo, cui soli honor, laus & gloria in sæcula, Amen.

In tertia parte Præparationis.

Fiet 1. Invocatio Jesu Christi pro nobis sacrificati, B. V. Mariæ sacrificato Christo redemptæ, & corpore sanguineque illius nutritæ, Sanctorum omnium Christi Sacrificio redemptorum, & Sacramentorum nutritorum. 2. Jesu Christi Sacerdotis &c.

Affectus totius Sacri.

Accedes ad Sacrum peragendum, illudque perages eo affectu, quo Jesus Christus, vel in ultima cœna incruentum, vel in cruce cruentum Sacrum seu Sacrificium suum peregit, seseque discipulis suis manducandum porrexit, & in sui commemorationem, eundem Sacrificii ritum, de se ipso ab illis fieri præcepit. Suavissime JESU, quo tu affectu, sanctissimæ Trinitati in ultima cœna, te & ipse obtulisti, & à discipulis tuis offerri præcepisti in Sacrificium, atque iisdem discipulis

lis tuis te donasti in edulium, hoc eodem affectu, eodemque ritu, & ego te in hoc Sacrificio immolare, inque Sacramento sumere cupio & propono.

Affectus ad Consecrationem.

COgita totum mundum, Ecclesiam, Regnum, (Religionem) animam tuam esse instar pupilli, sine Patre, Matre, tutore, evoca de cœlo Patrem amabilissimum, qui curam pupillorum gerat, eosque corpore & sanguine proprio pascat, non multum laborabis in eo advocando, paucula vix dices verba, aderit. O mi JESU, facta est anima mea sicut vidua & pupillus, non est qui adjuvet aut qui consoletur eam, ex omnibus charis ejus. Tu DEUS totius consolationis, adesto in auxilium, in præsidium, in solatium, in edulium ejus. Descende priusquam aut moriatur, aut fiat in prædam & gaudium inimicis suis. Ecce ad te oculi ejus. Ecce vultum tuum requirit. Ecce tibi dicit cor ejus. Ecce immolant te verba ejus, in unione & efficacia affectus illius, quo tu in ultima cœna te Patri æterno pro nobis obtulisti, atque simul etiam immolat se tecum, in Sacrificium plenum, per manus sanctissimæ tuæ Humanitatis, per manus tuæ pretiosissimæ Parentis, per manus Sanctorum omnium.

Affectus ad Elevationem Hostiæ.

COgita, vel roga Jesum Christum, ut expandat alas suas super te, & super omnes tuos, sicut expandit aquila super pullos suos. O mi Jesu, Amor & Amator noster, ecce nos pulli pupilli tui. Expande super nos alas misericordissimæ protectionis tuæ, ut protegas nos à sagitta volante, à negotio perambulante, in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano &c.

Affe-

Affectus in Communione.

IMaginare te esse veluti infantem lactentem, à Matre derelictum & expositum, languentem præ spirituum alimentique inopia, & fame perire. JESUM verò in Sacramento esse Patris æterni mamillam, Spiritu vitæ plenam. Utpote, in qua lactis Divini plenitudo corporaliter inhabitat, admove te ad hanc sacratissimam mamillam & trahe succos divinos. Indue affectum famelicorum & sitibundorum, vel potius fame, sitique pereuntium, ac illorum impotenti desiderio os cordis, corporisque aperies, & corpus Christi manducabis, sanguinemque bibes. O mi Jesu dulcissime, qui nosti famem, sitimque animæ meæ, qui nosti quam sit anima mea sicut exusta terra, sine rore & sine aqua, tota famis, tota sitis meæ aviditate, & potentia desidero te, & ad corporis tui cibum, sanguinisque potum sumendum festino, anhelo, ardeo &c. In sumptione calicis. JESU mi dulcissime, Sacratissima æterni Patris mamilla, accedo ad te infans ego, tu adimple vota & desideria mea Spiritu tuo: O uber mundi, exhibe te mihi, lacta me succo tuo, inebria me lacte tuo, ut nutriar & inebrier te totus, tu nosti, quoniam tibi soli inhiat anima mea; Tu nosti, quoniam sicut oculi & labia lactentis ad ubera Matris suæ, ita oculi mei ad te uberrimam Dei mamillam.

POST SACRUM.

EXercebis varios virtutum actus. Excitatio fervoris. Jam quod quæsivi, teneo, quod concupivi, habeo, Deum corde possideo, & sumo bono gaudeo, utere tempore, ô anima mea, & particula boni doni non prætereat à te. Aude magna petere à magno hospite, qui se ipsum tibi donavit, nunquid sua denegabit? Ideo pretiosus iste mercator cum cœlestib. mercibus venit, ut vendat, quo fer-

ferventius orabis, eo plura emes. Habes thesaurum intra te absconditum, fode. Age, quid faceret avarus ad nummariam arcam admissus cum licentia, quidquid per quadrantem capere posset, in proprium usum exportandi. Epulare, anima mea, bibe, deliciare, habes multa bona reposita in annos plurimos, imò in totam æternitatem. Non prætereat te flos temporis, coronemus nos rosis, antequam marcescant. Nullius meriti expers sit diligentia nostra, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors. Eja igitur anime mi, quodcunque facere potes, operare instanter, ne defrauderis de die bono. Da, & accipe, & justifica animam tuam. Ante obitum tuum operare justitiam, quia non est apud inferos invenire cibum. O si cognovisses & tu, quæ ad pacem tibi, fac quod potes, & intimo cordis affectu dic.

Adorationis. Agnosco te, ô divinissimum Sacramentum in pectoris mei sacrario, inibique te tota cordis mei prostratione adoro & glorifico, imò etiam adoro te in omnibus mundi templis atque Sacramentis, in quibuscunque existis, & vel parum digne tractaris, vel etiam gravibus peccatis injuriisque inhonoraris. Adoro te corpus, & sanguis, & anima, & Divinitas dulcissimi amoris mei Jesu. O admirabile mysterium, ô tremendum Sacramentum, ô adorande & Divinis tantummodo sat digne redamande Amor meus amoribus. En assumo omnium creaturarum, etiam possibilium adorationes, & amorosos affectus, omnesque illos in te amor mi, quem hodie recepi, plena hilaritate effundo, eosque omnes tibi impendo, & affectum hunc in omne momentum & æternitatem, continuari cupio & continuo.

Salutationis. Saluto te, ô augustissimum Sacramentum! Ave dulcissime & gratissime, desideratissime & ex-

& expectatissime, dignissime & honoratissime Hospes, Amorque mi JESU, ô quam te libenter in hac paupercula domo mea degentem video. O quam cupio digne te tractare, saluto te omnibus salutationibus omnium creaturarum, illâ quâ te sanctissima Mater tua in hac vita solita fuit salutare, quâ te Sancti tui cum primum in cœlum veniunt, & deinceps, salutare solent, illâ quâ Tu Patrem tuum cœlestem, & quâ Te Pater Tuus, unaque omnes Angeli & Sancti, ad cœlum in Ascensione Tua venientem, salutârunt.

Confessio Indignitatis. Agnosco honorificentissimum Sacramentum, indignissimum me, undequaque esse, adventu tuo. Confiteor vilitatem meam vilissimam. Detestor omnia peccata mea, super omnia mala, quæ quanto plura, & graviora fuerunt, tantis me indigniorem tuis beneficiis fecerunt. Execror tetram ingratitudinem, & abominandam tepiditatem, quæ obdurant cor meum, impediuntque, ne grandem hanc indignitatem, magis ac magis pœnitentia abluam, ac fervore charitatis restinguam, & ne tibi in præsentiarum, dignas gratias persolvam. Heu quia peccavi. Utinam te dignissime perpetuo amore Deus, nunquam offendissem. Utinam omnes lubentiarum tuarum gustus sanctissimi, totius anteactæ vitæ operibus exsatiassem. O si id quod factum est, aliquo possibili modo posset esse infectum, quam vellem peccata mea in rerum natura, & in tua cognitione, ac odio, non extitisse, confidentius profecto irem in tuos amplexus, sanctissime amor, nunc autem conscius pudor, infamem animam confundit, rejicitque ad oscula pedum tuorum nitentem. Sed etiamsi, omnibus nostris meritis & demeritis superior, te nunquam offendissem, imò etiamsi omnes Sanctos gratia præcellerem, nunquam tuæ dignitati dignas gratias pro tanto beneficio referre possem, omnem possi-

bilem gratitudinem, hæc Tua dignatio vincit, quia me creaturam tuam, ſanctiſſimi Corporis tui Creatorem, bajulum, adminiſtratorem, inſuper manducatorem & diſpenſatorem eſſe voluiſti: Quid tandem retribuam Tibi pro omnibus quæ tribuiſti mihi, non eſt quidquam pretioſius te ipſo mi Jeſu, itaque te ipſum cum tua Divinitate, Humanitate, gratia, donis, meritis, gloria, omnibusque tuis divitiis tibi offero. Offero & omnium ſanctorum triumphantium, & militantium, ardentiſſimos gratitudinis, amoris, omniumque virtutum affectus, in unione tuorum affectuum, quos in terris æterno Patri exhibuiſti: cum his veluti nullius momenti obolum, infiniti valoris pretio junctum, me ipſum, cum omnibus Tuis donis, omniumque quos pro tenuitate mea, perfectiſſimos elicere poſſum affectuum effuſione, Tibi in ſimplicitate cordis mei offero.

Fidei. Credo dulciſſime Amor mi Jeſu, te in ſanctiſſimo ſacrificio, quod peregi, & in Sanctiſſimo Sacramento, quod recepi, eſſe cum Divinitate, Anima, Corpore, Sanguine, meritis, virtutibus, gratiis, vivum, totum, Omnipotentem, & Credo te cum Patre, Spirituque S. eſſe in anima mea. Credo autem, quia tibi credo, quia tu veritas es, & quia tu dixiſti illud: *Hoc eſt enim corpus meum.* Tu es Domine Jeſu, Deus meus, Dominus meus, Redemptor meus, ſalus mea, vita animæ meæ, tu ipſe & non alius, quem ſub hoc Panis & Vini velamento ſuſcepi, atque obtuli, ſuſcipe & tu me, viva fide credere cupientem in te, & ſuſcipientem te, credo mi Jeſu de te, de tuo ſacrificio, de tuo Sacramento, hæc omnia, quæ Tu revelaſti, quæ credit Eccleſia, quæ negat, vel ignorat hæreſis incredula.

Spei. Spera in Deum anima mea, quoniam ecce ſuſcepiſti, & manducaſti illum, qui ſi dedit ſe ipſum, dabit etiam ſua tibi, dabit bona naturæ, gratiæ, gloriæ, ex bo-

bonitate ſua, quia Deus eſt, ex meritis ſuis, quia Homo, Redemptor tuus eſt. Spero, dulciſſime Jeſu, miſerationes tuas, quarum non eſt numerus. Spero miſericordias tuas, quas in æternum cantabo tibi in terra Tua, Deus meus, & refugium meum, conforta me Rex Sanctorum, principatum tenens, & hac, & omni hora, & virtute, ac meritis, Sacratiſſimi Corporis, ſanguinisque tui, quem modo in SS. Sacramento recepi, omnẽ inimicorum viſibilium, inviſibiliumq; vim ſuperem, tibi unico, ac ſummo bono meo, perenni, & immota ſpe, fiduciaque inhæream, & tecum in gloria tua regnem, laudemque magnum nomen tuum, in ſecula ſeculorum, Amen. Si Religioſus es; Spero in multitudine miſerationum tuarum, remiſſionem omnium peccatorum, & ſalutem æternam. Copioſa apud te Redemptio, Salvator benigniſſime, peccata mea illam exhaurire non poſſunt, hæc te cogat Charitas, ad ſalvandum me, quæ te compulit, ad patiendum pro me. Miſeratio tua meritum meum, & ſi miſericordiæ tuæ multæ, multus ego in meritis. Scio cui credidi: Promiſiſti Domine abrenuntiantibus mundo, propter te, centuplum in hac vita, & vitam æternam da quod promiſiſti. En ego verbo tuo fretus, omnes mundi ſpes derelinquo, omnes voluptates, honores, libertatem, inclinationes, & connaturales abdico, abjuro, deteſtor, & ex omnibus poſſibilibus tibi placendi motivis, electionem ſtatus Religioſi, & vota mea ratifico, innovo, ac pro præſenti, ſingulisque momentis futuri temporis, voveo coram Divina Majeſtate tua, paupertatem, caſtitatem, & obedientiam perpetuam in Religione. Sumque ita erga te affectus, quanto pro me vilior, tanto mihi charior Jeſus, ut etiamſi mihi, ad voluptatem & abſolutum dominium, tot delicioſiſſimi mundi, quot ſunt poſſibiles, darentur, non deſererem paupertatem, & mortificationem religioſam, & ſi omnia mundi bona haberem:

hoc momento illis amore tui renuntiarem, imo etiamsi cum æquali gloria tua, & pari merito meo, possem esse pauper & dives, vilis & honoratus, infamis & gloriosus, afflictus & deliciosus, eligerem, tamen paupertatem, contemptum, & mortificationem, ut me sapientissimæ electioni tuæ conformarem. O mi JESU! auge in me hunc erga te affectum, auge amorem, & Spiritum vocationis, & perseverantiam, è gratuito tuo dono largire.

Charitatis. Amo, amo, amo te sacratissime Amor mi Jesu, quoniam tu prior dilexisti me, & quidem adhuc inimicum tuum. Ah cur non amem te, qui es Amor, qui amas, qui amari vis, nec quidquam vel agis, vel agere vis, quam amare, ex toto corde, tota mente, toto me amare. Vide Domine JESU cognitor cordis mei, quod amem te, quod desiderem amare te, quod desiderem desiderare amare te. Et quando fiet istud, ut impleantur ad plenum universa desideria animæ meæ, cordisque mei? an forte adhuc parva sunt, & ideo differuntur, ut crescant. Heu me, quare non desidero te Deus meus tantum, quantum te desiderare desidero? Heu me anima mea, ad quid vivimus, si desiderare Deum nostrum, prout dignus est, & amare quantum dignus est, non possumus? O mi Jesu Deus meus, pars sola, & una cordis mei, adimple tandem aliquando, plenitudine tua, omnes recessus cordis mei, exple aliquando, totam capacitatem desideriorum meorum, & explendo adauge, ut amplius semper crescant, & finem non habeant. Amo itaque Te dignissime DEUS meus, quam intensissimè, & appretiativissime possum. Amo propter dignitatem tuam, omnes perfectissimi amoris illecebras, in se continentem. Amo ex omnibus aliis, quæcunque perfectissima esse possunt, amandi te motivis, & hunc

hunc amorem æternum continuari, & in ſingula momenta innovari, magniſque incrementis augeri, cupio. O ſi te ab inſtanti conceptionis meæ cœpiſſem amaſſe! O ſi primo rationis impetu mentem, animumque meum, in te conjeciſſem! obſtrinxiſſemque votis, nulla poſtmodum culpa diſſolvendis. O ſi pueritiam, & juventutem ſceleris puram, in caſtisſimis tuis amoribus exegiſſem! Heu optima vitæ pars, non amplius reditura unquam, ut velociter fugiſti, nec vidiſti bonum. Volo dignisſime Deus, grandem hanc amoris jacturam, nunc, & ſingulis reſiduæ vitæ momentis, penſare. Appretio, æſtimo, adoro, laudo, magnifico te, perfectisſime Deus. Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabbaoth. Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo, ſit Tibi DEO noſtro, in ſecula ſeculorum, Amen.

Conformationis. Veneror, approbo, laudo, & ab omnibus laudari cupio, judicia tua omnia, etiam occulta, tremenda. Idem volo probare & reprobare, idem velle & nolle, quod tu. Gratulor tibi omne bonum tuum, mallem æternum in inferno ardere, quam minimam gloriæ tuæ diminutionem pati. Gaudeo, quod ſim creatura tua, & quod tu ſis Creator meus, recognoſco, veneror, amo excellentiam tui Dominii abſoluti ſuper me. Sum contentus, omni tua circa totam vitam meam diſpoſitione, & permisſione, id unicum obnixe petens, ut peccata mihi convertas in bonum, Tibi verò ad majorem gloriam. O mi dilectisſime Amor, jam te nolo amplius illo peccato offendere, heu jam ſatis, ſuperque peccatum eſt in Te patientiſſime Deus, non amplius, non amplius, volo abhinc voluntates tuas ad amuſſim explere, (ſi Religioſus) volo omnes minimas etiam regulas ſervare. Volo totis viribus ad perfectionem eniti, & perſeverare in Religione. Volo

omnia adversa, quæcunque acciderint, patienter & læte perferre. Volo generosa virtutum opera, & continuas passionum, & corporis mortificationes facere, in testificationem amoris mei erga te. Utinam moriar in vincendo me propter te. Utinam non tantum ipse te amem, sed etiam quam plurimos, ad agnitionem tui, amoremque perducam. Sitio zelum animarum, sitio quam plurimos, quam ferventissimos zelatores earum. Utinam sint plurimi Sancti in mundo, qui te perfectissime Deus, melius præ cæteris, æstiment, ament, honorent, & alios ad amorem, & honorem tui perducant. Utinam omnes peccatores ad te convertantur, & nunquam amplius bonitatem tuam offendant. Pereant omnes scandalosi, qui resipiscere nolunt, nec secum alios in exitium trahant, pereant, qui amplificationis gloriæ tuæ obicem ponunt. Largire felicissimos negotiis honoris tui successus. Detestor omnia omnium peccata, super omnia mala, quæ zeli fervorem extinguunt, successum impediunt. O Domine, bene prosperare, noli obsecro, propter peccata nostra, prostituere dignissimum honorem tuum, nos ut libet punias, tibi ipse parce. Parce & pretio sanguinis Filii tui, nec illud, una cum animabus, nulli commutationi æquivalentibus, perditum velis. O animæ Divinæ naturæ agnata progenies, præstantissima creaturarum pars prima, ac præcipua cura Domini Jesu, magno empta dolore voluptas, dilecta affinitas nostra, gratiæ & gloriæ cœlestis capax, ut vestram beatitudinem cupio, Deo, Christo, vobis, & sanctis Tutelaribus vestris. Paratus sum, & cupio pro salute vestra, quosvis labores, & ærumnas perpeti, ut vos Christo lucrifaciam.

At sine gratia Tua, quid boni fieri potest, ô Author omnium bonorum.

Petitionis. Quocirca peto à te, dona, ad meam, & proximorũ saluté procurandã necessaria. Peto augmentum gratiæ

gratiæ habitualis, ſanctificantis. Peto continuas gratias, efficaces, excitantes & cooperantes. Peto intenſiores habitus virtutum, Fidei, ſpei, charitatis, juſtitiæ, prudentiæ, fortitudinis & temperantiæ. Largire dona Spiritus S. Sapientiam, Intellectum, Conſilium, Fortitudinem, Scientiam, Pietatem & Timorem tui. Largire fructus ejusdem Spiritus S. charitatem, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, bonitatem, longanimitatem, manſuetudinem, Fidem, modeſtiam, continentiam & caſtitatem. Largire opera miſericordiæ ſpiritualis & corporalis. Largire etiam gratias gratuitas, ad ſalutem proximorum, & amplificandam gloriam tuam, multum conducentes, præcipue donum Fidei, ſapientiæ & ſcientiæ, Interpretationis ſermonum, concionum & colloquiorum, ac diſcretionis Spirituum, tribue gratiam orationis mentalis & vocalis, examinis utriusque, frequentis recollectionis, ſilentii, ſolitudinis, internæ compunctionis, devotionis humillimæ, & intimæ tecum unionis, pietatis erga dulciſſimam Virginem, obſervantiæ erga S. Angelum tutelarem, cultus erga ſanctos Patronos. Concede, ut perfectè (ſi Religioſus) obſervem regulas & vota. Auge in me amorem vocationis, & da mihi Spiritum Societatis aut Religionis, & aptitudinem ad omnia munia ejus. Da virtutes ſolidas, humilitatis, mortificationis heroicæ & continuæ, abnegationis in omnibus, charitatis fraternæ laborioſæ, reſignationis plenæ, in ſanctam voluntatem tuam, ad omnem (ſi Religioſus) nutum Superiorum, ſitim inſatiabilem contemptus & injuriarum. Effice mi Domine, ut ſim verecundus, ſimplex, ſincerus, verax, conſtans, gratus beneficiorum, affabilis, manſuetus, immemor injuriarum, alienorum tolerans defectum, miſericors, ſilentii & cubiculi & laboris amans. Da felicem & ſecundum ſcientiã zelum, animas tuo amori lucrandi.

Da, ut te nunquam offendam. Da vitam meritis plenam, & tuo amore ferventem. (si Religiosus) Da perseverantiam in Religione, & felicem in optimo animæ meæ statu mortem, Amen.

Benedictionis. Benedictus sis millies, infinities dulcissime JESU in hoc, & pro hoc tuo sacratissimo Sacrificio atque Sacramento, quod in bonum animarum nostrarum, ex ardentissima excessivaque charitate tua erga nos, instituisti. Benedicta sit caro tua, anima tua, sanguis tuus, Divinitas tua, quæ modo venire dignata est ad me, & dignata cum omni plenitudine meritorum, donorum, virtutum, divitiarum, gratiarumque tuarum, sit super te, mi dulcissime JESU, Benedictio Patris tui æterni, & Benedictio VERBI, & Benedictio Spiritus Sancti, omnium Sacrosanctæ Trinitatis personarum, quæ cum tua purissima Humanitate venire dignatæ sunt ad me, sit super te, mi dulcissime JESU, Benedictio omnium cœlestium Spirituum, Angelorum & hominum, & sit super te Benedictio omnium Justorum in terra viventium, & insuper, sit super te Benedictio omnium creaturarum.

Postulationis. Benedic quoque, dulcissime JESU, toti corpori, animæ, sanguini, visceribus, vitæ, membris meis, in quibus es, & receptus hodie moraris. Benedic linguæ meæ, palatui, labiis, faucibus, gutturi, pectori, visceribus. Benedic illi horæ, momento, quo ad me venisti. Benedic illi tempori, quo apud me moratus es sacramentaliter. Benedic omnibus cogitationibus, consiliis, operibus, sermonibus, officiis, muneribus, motibus meis. Benedic toti mihi, & quantus quantus sum, amore tuo sancto, perfectè me adimple. O Pater æterne, per amorem sanguinis Filii tui. O Fili, per amorem corporis & sanguinis tui proprii, ô Spiritus S. per amorem corporis & sanguinis à te, in visceribus sanctissimæ

Vir-

Virginis efformati,date mihi &toti mundo,potisſimum autem amicis meis,amorem veſtri perfectum,indulgete veniam peccatoribus,lucem æternam oſtendite animabus purgatorii, inimicis meis privatis & communibus benefacite, date gratiam parentibus & conſanguineis meis,date veſtri cognitionem infidelibus,date ſalutem omnibus, ſubvenite mihi in omnibus operibus meis, necesſitatibus,tribulationibus, ut vobis cum tota creaturarum veſtrarum univerſitate ſerviam,id millies & æternaliter poſco, per corpus & ſanguinem JESU. Nunc me,ô æterne Pater,reſpice,nunc me reſpice Redemptor mi Fili Dei, nunc me reſpice, ô Sanctisſime Spiritus, quia alias vobis abominabilis merito ſum,nunc me reſpicite Corpore ſanctisſimo Chriſti Jeſu paſtum, ſanguine potatum,à qua lotum,meritis veſtitum. Gratiis exornatum, Divinitate circundatum, ut propter hunc tam pretioſum, elegantemque ornatum, placere vobis commerear. Beate me muneribus veſtris & gratiis ſanctis,ut non ſim penitus indignus tantis,quibus jam integer ornamentis. O nunc mihi amorem,nunc ſpem, nunc fidem, obedientiam, humilitatem, paupertatem, patientiam,caſtitatem,Spiritum orationis,prudentiam, modeſtiam, diſcretionem, efficaciam in agendo,fervorem,perſeverantiam, omnesq; elargiamini virtutes,his enim omnibus,& his ſimilibus opus habeo, ut hoc auguſtiſſimum Sacramentum in me continere, & vobis dignè ſervire poſſim.Sed eſt præterea,quod ulterius petam ; Fac me,dulciſſime Jeſu,veritatis tuæ cognitorem, amatorem, profeſſorem, voluntatis tuæ mancipium & ſponſum, dignitatis tuæ zelatorem & devotum,ſapientiæ tuæ diſcipulum, miniſtrum & ſocium, gratiæ providentiæque tuæ nutritium & infantem, Dominii tui ſervum, dignationum tuarum Anteſignanum, pretioſiſſimæ Parentis hæredem. Da mihi, dulciſſime Jeſu,ut

ſim rete & hamus animarum, dirige ad me omnes, auxilii ſpiritualis indigas, da verbis meis lucem, pondus & flammam: da cordi meo diſcretionis & Prophetiæ, Apoſtolicumque Spiritum & zelum, da omnium & ſingulorum Spiritus Sancti donorum copiam, abundantiamque. Da converſationis, affabilitatisque congruæ donum, ad omnem conditionem hominum & proximorum. Da in omni occaſione atque momento lumen, amorem, directionem, da lumen in intellectu, amorem ſeu efficaciam in effectu, da directionem & perſeverantiam in omni actu. Da clavem ſcientiæ & apertum ſenſum, ad intelligendas ſcripturas. Da linguam eruditam in lege tua. Da oculum ad intima cordium penetrantem.

Noli me, dulciſſime Jeſu, facere mirabilem in oculis humanis, ac præſertim in meis, non ſinas adverſa mea, ſi quæ patior, ſciri ab aliis, non ſinas labores meos & difficultates agnoſci, vel apprehendi aut æſtimari, fac me linguarum Martyrem, reprehenſionum locum, contemptuum ſubjectum, non utaris maligna linguâ, judicio, cenſurâ, calamoque meo, ad probandam, limandam, exſpoliandamque virtutem alienam.

Aufer mihi pondus in ſenſualitate mea. Excæca oculum meum, quo intueri ſoleo ad ipſum me, & illum ad tui ſolius intentionem, intuitumque converte. Denique, dulciſſime Jeſu, fac me ſanctiſſimæ Humanitati tuæ conformem, Divinitati ſimilem, voluntati unitum, Dignitati devotum, Bonitati immerſum, Amore ebrium, Sapientia abſorptum, totum totaliter in te transformatum, mihi plene mortuum tibi ſoli & te ſolo viventem ac ſpirantem.

§. XI.

§. XI.

Diebus Sabbathi.

Præparationis pars prima, ut ſuperius in aliis.

In ſecunda parte Præparationis.

1. HOnorabis variè Parentem pretioſiſſimam. 2. Virtutes, & gratias, & gloriam ejus, myſteriaque recenſebis. 3. Deum in ea, pro ea, per eam, laudabis. 4. Invocabis ad tuum ſubſidium, præcipuè ad actum Sacrificii & communionis. 5. Petes ad prædictos actus ejus devotionem.

PRAXIS.

SAncta & immaculata, pura & Deificata, pretioſa & ſuper omnes benedicta Virgo MARIA: quibus te laudibus efferam neſcio, quia quem cœli cœlorum capere non poterant, tu gremio tuo contuliſti, de puriſſimo ſanguine tuo, & de Spiritu Sancto concepiſti, de integerrimo viſcere tuo genuiſti, & quem genuiſti, adoraſti, genitum ubere de cœlo pleno lactaſti. O beata Mater & intacta Virgo, glorioſa Regina cœli, Domina mundi, Genitrix Dei, tu paradiſi janua, tu oſtium cœli, tu reparatrix mundi, tu ſpes generis humani, tu vitæ vena, fons gratiæ, aquarum viventium puteus, ſpeculum absque macula, miſericordiæ officina, tu advocata noſtra, tu refugium noſtrum, tu conſolatio noſtra, tu gaudium cordium noſtrorum, tu meſſis bonorum noſtrorum, tu officina ſalutis noſtræ, tu ſummarium beatitudinis noſtræ. Te ſaluto Principem meam, & veneror Dei mei & meam Matrem, te honoro Dominam meam, te benedico hæreditatem meam, te deſidero hæredem meam, & te amo ſponſam meam. Tu immaculatiſſime concepta & nata, debitam filiorum & filiarum iræ nec ſolviſti,

nec debuisti, quia neque contraxisti, sed Maternitatis Divinæ prærogativa (ad quam ab æterno prædestinata es) obumbrata, à debito contrahendi immunis remansisti, sola cum Filio tuo, de massa generis Adæ, primogeniæ Innocentiæ, originalisque justitiæ hæreditatem retinuisti, habentibusque cunctis generis tui populis, tu sola in gratia obedientiæ constitisti. Tu nativitate tua gaudium attulisti universo mundo, tu trimulam te Parentum tuorum, magis autem devotiss. oblatione, Deo in ancillam, in sponsam, in Matrem, in omnia præsentasti atque obtulisti. Tu prima Virginitatis votivæ Deoque desponsæ vexillum extulisti, sterilitatis opprobrium amore pudoris contempsisti, Materque ac Virgo existere perpetua meruisti. Tibi per vicem Angeli ministrarunt, in sacrario templi Divini commoranti, jam tunc te Principem suam agnoscentes & venerantes. Tibi sanctissima Trinitas, Deus, per vocem Angeli sui salutationem transmisit, Incarnationis Filii Dei consilium intimavit, modum ineffabilem verbis ineffabilibus edocuit. Virginali integritati, pro qua zelabas perhonorificè cavit, consensum tuum obtinuit, obedientiam acceptavit, humilitatem respexit, fidem fœcundavit, virtute obumbravit, Spiritu suo Sancto te Matrem Dei fecit. Tu Deo gravida sine gravamine, abiens in montana, senemque cognatam visitans, Joannem in utero salutatione tua sanctificasti, Matrem Spiritu Sancto replesti, ipsa laudes Deo propheticas cecinisti, domum Zachariæ ministeriis, virtutibus, benedictionibus, Arca Dei melior, quia verior adimplesti. Tu genuisti eum, quia te fecit, sine dolore puerpera, cum Virginitate Mater, cum integritate lactans, nutrivisti Nutritorē mundi, & panem vitæ nobis ministrasti, Majestatem ipsam atque dignitatem subditam habuisti, & ministrantem tibi Divinitatem incarnatam, annis triginta sustinuisti.

Tu verba vitæ æternæ ex ore Verbi æterni, Filii tui hausta, in corde tuo conservasti, miraculis coruscum & gloriosum vidisti, & denique mortuum in laboribus propter obedientiam Patris, propter sitim nostræ salutis, super aram crucis deficientem, immolatumque spectasti, imo & ipsa in quantum in te erat, Divinæ illum voluntati atque beneplacito cordis tui submissione sacrificasti. Te gloriosæ resurrectionis suæ ex mortuis, Filius tuus primam participem fecit, tibi ante omnes à morte Victor apparuit. Tibi ad cœlos ascendens, parvum Ecclesiæ gregem commendavit, atque in te Spiritus Sancti primitias, quas usque ad finem mundi Dilectis tuis communicares, in die Pentecostes effudit. Te post mortem tuam tertia die redivivam è sepulchro, cum anima & corpore, ad cœlos assumpsit, super omnes choros Angelorum exaltavit, uni sibi secundum fecit, omnium Dominam, & Reginam constituit, gloria & honore Dei genitricis coronavit. Tu vas auri solidum, omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Pulchritudo & decor vestis tua, diffusa est gratia in labiis tuis, & Deus benedixit te in æternum. Tu charitatis Divinæ thesaurus indeficiens, tu amatrix populi tui, tu fidei Magistra, tu spei Dux, tu Virginitatis Primiceria, tu modestiæ speculum, tu humilitatis miraculum, tu innocentiæ hæres, tu patientiæ Martyr, tu Martyrum Regina, tu obedientiæ Filia, tu orationis Alumna, tu devotionis Exemplar, tu paupertatis Gloria, tu fortitudinis specimen, tu temperantiæ Gymnasium, tu justitiæ sedes, tu prudentiæ norma, tu perseverantiæ disciplina, tu collegium sanctitatis, tu mare virtutum, tu complementum perfectionis, tu regnum sapientiæ, tu gratiarum & thesaurorum Dei complexio & abyssus. In te Deus laudabilis, in te admirabilis, in te incomprehensus, in te dignissimus, in te omnipotens,

in te

in te Sanctissimus, in te rectus, in te verax, in te infinitus & immensus, in te sapiens & inscrutabilis, in te justus & misericors, in te felix & beatus, in te perfectus & gloriosus, in te bonus & amabilis, in te Salvator & Vindex, in te Deus & Filius, in te Dominus & subditus, in te Creator & creatus, in te Trinitas & omnia, in te Deum amo, & laudo, & agnosco, & adoro, & veneror, & spero, & miror, & timeo, & glorifico, & exalto, & deprecor, & prædico, & invoco, & teneo, & possideo, & fruor. Per te Deo vivo, Deo servio, Deum sentio, Deum gusto, Deum sapio, Deum anhelo, Dei totus sum, Deo me trado, Deo devoveo, Deo dedico, Deo dono. Per te Deus mihi omnia, in omnibus Deus meus, & omnia Deus mihi, & ego illi. Deus est mihi Deus, & ad me conversio ejus, ad eumque conversio mea. Per te apud Omnipotentem possum omnia, omnia habeo, omnia sum, per te in igne non æstuo, in fame non esurio, in siti non sitio, in labore non deficio, in altis non extollor, in adversis non deprimor, in casu non frangor, in periculis non pereo, in morte non morior. Tuum est enim, ô Dei Mater! regnum, tua potestas, tuum imperium, tua salus, tua gratia, tua vita, tua beatitudo.

Tu omnia potes quævis, quia apud Deum omnia potes, & Deus omnia vult, quæ tu vis, & idcirco ad te oculi mei, ad te spes meæ, ad te exspectationes meæ, ad te vota mea, ad te cogitationes meæ, ad te desideria & suspiria mea, ad te omne consilium meum, ad te omnis providentia & intentio mea, ad te omne robur & sufficientia mea, ad te omnis egestas, necessitas, & insufficientia mea respicit, ad te intendit, fugit, apud te conquiescit. Idcirco in omnibus & singulis operibus & indigentiis meis, ad te solam, unam, primam,

post

post Deum sese convertit anima mea, & nunc & semper, tibi committens & concredens omnem inchoationem, tractationem, seriem, exitum, fructum, effectum, omnis consilii, omnis conatus, omnis desiderii, omnis propositi, omnis operis sui; Potissimum autem in hac hora, invoco te Matrem Dei, Sacerdotum Reginam, summi Sacerdotis Matrem, invoco inquam te, & invocat mecum omnis substantia & capacitas mea, ad hoc, ad quod accedere propono Sacrificium de Filio tuo, cum honore tuo, honori, amori, cultui, dignitati Dei Patris, Dei Filii, Dei Spiritus Sancti offerendum atque immolandum.

Invoco etiam ad ejusdem Sacrificii simulque Sacramenti, tanquam Regalis ac Divini convivii, pro me, ex sanguine corporeque Jesu Christi, Filii tui apparati & instructi, sumptionem atque manducationem. In omnibus necessitatibus meis peto, ut adjuves me semper, ô dignissima, dignissimi Dei Mater, sed præcipuè in hujus & Sacrificii oblatione & Sacramenti susceptione, adsis mihi, præsente copioso, efficaci auxilio tuo, adsis mihi intercessione, precibusque tuis, adsis mihi meritis & gratiis tuis, adsis mihi devotione & exemplo tuo.

Sic offeram, sic manducem Filium tuum in hoc Sacrificio & Sacramento præsente, sicut tu scis & vis, sicut Divina dignitas digna est, sicut Divina voluntas vult & dat.

Tertia

Tertia Pars, ut ſupra.

Affectus totius Sacri.

ILlo affectu, quo Parens pretioſiſſima & fuit in hac vita, & nunc eſt in illa cœleſti erga Sanctiſſimam Trinitatem, digniſſimamque Jeſu Chriſti Humanitatem, hoc tu offer, eumque toto Sacrificii hujus decurſu retinere propone. Volo & ſtatuo, Sanctiſſimæ Trinitati offerre Sacrificium hoc, illo affectu, quo pretioſiſſima Parens Maria fuit, & eſt, & erit, erga Sanctisſimam Trinitatem, dignisſimamque ex ſe conceptam, & genitam Jeſu Chriſti Humanitatem, eumque affectum, toto Sacrificio retinere propono, imo toti Sacrificio applico, uniendo illum affectui quo &c.

Affectus in Conſecratione idem erit totus, qui ſupra.

Affectus in Elevatione.

QVo affectu & exaltat ipſa, & exaltari cupit Jeſum Filium ſuum pretioſisſima Parens, ſuper omnes creaturas, hoc tu quoque illum eleva & exalta, ſub his ſpeciebus. Dulcisſime Jeſu! quo te affectu cordis ſui, pretioſisſima Parens, corpore ſanguineq; ſuo veſtitum, & ſpecie Humanitatis indutum exaltavit, exaltat, exaltari cupit, hoc ipſo affectu te ego exalto, his ſpeciebus Panis & Vini circundatum.

Affectus in Communione.

PRetioſisſimæ Parentis affectu & devotione, ſanctisſimum SacrificiumSacramentumque ſume, quo ſcilicet affectu, ipſa communicare ſolebat, poſt Chriſti aſcenſionem, ſimulque attende & intende, Chriſti corpus ſumere, ſub hac etiam ratione, quod ſit particula corporis & ſanguinis Mariæ. Mi JESU, quo te affectu Mater tua in Sacramento manducare conſueverat, hoc te ego

te ego quoque affectu illius nunc ſumo, ſub ea ſpecialiter ratione, quod corpus & ſanguis tuus, ſit portio corporis & ſanguinis ejus. Tu pretioſiſſima Parens, in hac hora juva me orationibus, orna gratiis, dita virtutibus, ac devotione Tua tota &c.

Poſt Sacrum.

1. JESUM Chriſtum, immolatum, & ſumptum adorabis. 2. Pretioſiſſimam Parentem ad gratias tecum agendas invitabis. 3. Gratias ei collatas gaudia & glorias recenſebis. 4. Petes omne genus gratiarum per ejus merita apud Deum. 5. Implorabis ejus auxilium tibi, tuis, Eccleſiæ, &c.

O Generoſiſſime flos Divinitatis, ô illi beatiſſime Jeſſei floris fructus, Jeſu dulciſſime, quem modo tibi, Patri, Spiritui Sancto, in commemoratione honoris, meritorum, & gratiarum pretioſiſſimæ Parentis obtuli, quemque in Sanctiſſimi Sacramenti convivio manducavi, te tota cordis proſtratione adoro, tota mentis latitudine amplector, tota animæ gratulatione ſaluto. Saluto te principem cordis mei, bonum animi mei, ſatietatem deſiderii mei, ſcopum ſenſus mei, finem propoſiti mei, ſaluto te gaudium animæ meæ, partem hæreditatis meæ, coronam ſpei meæ, ſubſidium ſubſtantiæ meæ. Saluto vitam meam, ſpem meam, fortitudinem, robur, medelam, bravium meum. Tu es holocauſtum meum, quem pro toto me, & pro cunctis debitis meis, æterno Patri, tibi ipſi, tuoque Spiritui immolavi. Tu apud te, apud Patrem, apud Spiritum Sanctum ſupple, & ſuffice defectus meos, & fac tibi, Patri, Spiritui-que S. in me plenitudinem, quam deſiderat anima mea, & quam facere ſibi in me expetit ſufficientiſſima plenitudo tua. Sana infirmitates meas medicinis tuis, dita egeſtates meas divitiis tuis, illumina tenebras meas luminibus tuis, perfice imperfectiones meas perfectioni-

bus tuis, corrige insipientias meas sapientiis Tuis, exhauri miserias meas miserationibus tuis, dissimula peccata mea indulgentiis tuis. Idcirco enim te, & immolavi, & manducavi, ut esses mihi hoc, quod esse vis mihi, & quod ut esses mihi, fecisti te sacrificium, oblationem, convivium, cibum, potum, orationem, motum, justitiam, suffragium, & misericordiam mihi. Idcirco immolavi & manducavi te, ut essem tibi hoc, quod esse me vis tibi, & quod ut essem tibi, fecisti me convivam, amicum, fratrem, sponsum, sacerdotem tuum. O Domine! quando explebis desideria mea in te? O Domine! quando satiabis vota tua in me? quando eris mihi, quod vis esse mihi? Quando ero tibi, quod vis me esse tibi? O quis det me tibi sine impedimento meo, à me effici tibi quod vis. Quis det dilatari me, ut capiam te? ignescere me, ut ardeam te? famescere me, ut esuriam te? depauperari me, ut diter te? ampliari me, ut magnificem te? Quis mihi det esse juxta regulam cordis tui, juxta gustum beneplaciti tui, juxta desiderium animæ tuæ? Fac mi Deus, fac cito, fac statim, fac quando vis, ut in me sint vota tua, ut sint in manibus tuis sortes meæ, ut in me sint viæ tuæ, ut sim juxta cor tuum. Hoc à te per omne id, quidquid est bonitatis tuæ in te, quidquid est miserationum in corde tuo, quidquid est gratiarum in medullis, ac visceribus tuis, hoc à te tota mendicitate, quæ quanta sit, tu plane solus nosti, peto & supplico. Ecce vides desideria cordis mei, ecce patent tibi viscera animæ meæ, ecce hiant tibi abscondita omnia capacitatis meæ, vide, ingredere, penetra, adimple, posside. Hoc à te poscit dilecta tua, pretiosa tua, amabilis tua, Genitrix tua Virgo Maria, poscit hoc à te mihi, quia scit quod hæc sit voluntas Tua, & quia hoc exigit ab illa universa bonitas tua, quam effudisti in eam, & confirmasti super eam, ideo ut pro-

propter eam & per eam miferearis creaturæ tuæ,hoc eſt omnium noſtrum, qui nihil aliud ſumus coram te, niſi perpetua indigentia bonitatis & gratiæ tuæ. Ideo hæc Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, Mater bonitatis, Mater dilectionis, Mater omnis ſanctæ ſpei, conſtituta eſt à te, inter nos & te, ut per eam eſſet acceſſus & ad nos tuus, & noſter ad Te. Hæc eſt enim exceſſio bonitatis Tuæ ô Deus, ut cum peccata noſtra dividerent inter nos & Te, Tu ſternens Tibi viam, ut aperires portam, tibi ſemper perviam ad nos, per quam & venires ad nos, & ad te traheres nos, & faceres nobis bene, & faceres nos Tibi bonos. O via, ô janua, ô porta cœli, ô porta per quam Salvator ingreditur, & ſalvandi perveniunt ad ſalutem, ô Maria ſedes Trinitatis, vena miſerationis, gratiarum derivatio, donorum ſcaturigo, ſanitatum fons, ſalutis divitiæ, theſaurus omnis boni noſtri. O Maria ſpes, & refugium, & anchora, & clypeus, & turris, & armatura, & ſolatium, & hæreditas, & Regina, & Mater, & Nutrix, & Patrona noſtra. O Maria! quam Dominus adamavit, & amabilem fecit, ut per amorem Tui caperet nos, tuque eſſes Rete, Sagena, Prædatrix animarum noſtrarum, in guſtum ejus, & in bonum noſtrum.

Fungere jam, ô Maria! fungere officio, poteſtate, prærogativâque Tuâ. Age jam omnipotenti DEO meo, unigenito Filio Tuo, age quas potes, & ſcis gratias pro me, pro omnibus ejus in me miſerationibus, quas effudit ſuper me, ab omni prædeſtinatione ſua, per totam ſeriem ſuæ circa me providentiæ, & in ſpecie pro gratia,

qua me ornavit Sacerdotali, qua me exaltavit, & ad ſacrificandum ſibi hoſtiam laudis elegit, qua me ſatiavit, nutrivit, & ſaginavit, in convivio ſuo ſacramentali. Impetra mihi, à ſuaviſſimo Filio tuo, Deo meo, gratias omnes, quibus indiget inexhauſta paupertas mea, impetra mihi omne genus virtutum, in omni gradu mihi competenti, ſimili tibi, placito Filii Tui voluntati, impetra mihi, ut ſim fidelis Deo meo, nec arrogem unquam mihi, quod ejus eſt, meum autem non eſt. Impetra, ut ſim gnarus voluntatis ejus, ejus devotus dignitatis, nutritius gratiæ, ſervus Providentiæ, Inſtrumentum miſericordiæ. Impetra mihi, ut ſim fortis, aſſiduus, & felix zelator gloriæ, doctrinæ, & Eccleſiæ ejus, ut ſim amator, & ſectator veritatis, poſſeſſor & profeſſor crucis, dignationum ac ſtultitiæ, infirmitatum & opprobriorum ejus. Impetra mihi, ut ſim amator tuus, & propagator amoris tui. Impetra mihi, quidquid ſcis, vel neceſſarium mihi, vel placitum voluntati Divinæ, ut impetres mihi. Impetra denique finalem perſeverantiam mihi, in omnibus voluntatibus Dei, doctrinis Filii tui, exemplis Jeſu Chriſti pro me crucifixi. Hoc à te peto ô Mater mea, quia tu es Mater gratiæ, quia tu es ſpes mea, quia tu es Mater Dei. Hoc à te peto, per omnes miſerationes Dei tui, quas ab ipſo unquam percepiſti, peto per omnes gratias naturales, ac ſupernaturales tuas, peto per omnes prærogativas, excellentiasque tuas, peto per omnia merita tua, peto per omnes Virtutes tuas, peto per omnes portiones, potentiasque corporis & animæ tuæ, peto per omnes actiones, locutiones, cogitationes, commotiones, facultates, converſationemque totius vitæ tuæ, peto per omnia myſteria vitæ tuæ, ſive gaudioſa, ſive doloroſa, ſive glorioſa, peto per omnia inſtantia tua, peto per illum ſanguinem, quem Spiritui S. ad formandum corpus Verbi incarnati

ſubmi-

ſubminiſtraſti, per illum actum omnem, quoad Incarnationem Filii Dei concurriſti, per illum actum, quo te ad hoc myſterium obtuliſti, & diſpoſuiſti: per illos omnes actus, quibus Chriſto Filio tuo, tota vita ejus, à primo conceptionis inſtanti, qualitercunque miniſtraſti, & obſequium præſtitiſti, peto denique, per omnem inter te, ac Deum Filium tuum connexionem, atque conjunctionem, peto autem juxta mentem tuam, juxta voluntatem Divinam. Non ſolum autem mihi peto ô Mater digniſſima, ſed peto etiam omnibus, totius Eccleſiæ Dei, cujus tu Regina es & Patrona, filiis, atque neceſſitatibus, peto omnibus tibi ſpecialiter in Eccleſia devotis, & deditis, peto omnibus mecum quocunque modo in Deo connexis, peto omnibus quos ſpecialiter propter Te diligo, & qui ſpecialiter propter Te diligunt me: Peto Hæreditati tuæ univerſæ, peto his qui ſingulariter ambiunt amorem tuum, & promovent honorem tuum, peto his, qui te iis modis atque rationibus honorant, à quibus amabilius honorari, & tu vis, & Divinæ voluntati placet, & inter hæc peto etiam omnibus, ad meam curam, officiumque meum pertinentibus. Quibus officiis, neceſſitatibus meis te Parens pretioſiſſima ſingulariter Matrem, Patronam, & Directricem cupio, eligo, & poſtulo, potiſſimum vero his, in quibus gloriæ divinæ, & boni communis, atque animarum amplius poſitum eſt, & adhuc potiſſimum his, quæ officium Sacerdotale, tractationem Divinorum myſteriorum, oblationem ſacrificii, ſumptionemque Sanctiſſimi Sacramenti concernunt, ut hæc omnia ſemper digne, ſemper dignius, ſemper quam digniſſime tractem, tradam, offeram, & ſumam, ad conſolationem tuam, ad laudem Filii tui, ad gloriam, guſtumque Sanctiſſimæ Trinitatis.

Gratiarum actio.

GRatias ages Jesu Christo summo Sacerdoti, Reginæ Sacerdotum omnium, sanctis Sacerdotibus quod adesse voluerint &c.

CAPUT XI.

Pii affectus in Festis Deiparæ, inter sacrificandum usurpandi.

§. I.

De Conceptione & Nativitate B. Virginis MARIÆ.

Affectus totius Sacri.

IN unione divinissimi illius affectus, quem tu ô Sanctissima Trinitas, Deus meus, habuisti, & ab æterno prædestinans, & in tempore faciens, immaculatissimè concipi (nasci) pretiosissimam æterni Verbi Parentem, offero tibi, ô adoranda Trinitas, hoc sanctissimum Sacrificium, ad illum ipsum gustum, quem in prædestinatione & Conceptione (Nativitate) Virginis habuisti, quemque ipsa Virgo concepta, (nata) primo suæ ad te conversionis actu, Divino tuo gustui exhibuit.

Affectus ad Consecrationem.

QVo tuo gustu, Verbum æternum, Matrem tuam concipi (nasci) fecisti & vidisti, ad eundem ego gustum, Humanitatem tuam JESU, in speciebus istis concipi & formari, per verba ministerii mei propono, conor, facio.

Affe-

Affectus ad Elevationem.

QVam alte tu Deus extulisti pretiosissimam Parentem supra omnem puram creaturam, in ejus exortu, tam altè ego te Deum, olim de hac Virgine conceptum,(natum) & nunc sub hisce Panis & Vini speciebus contentum, supra ipsam pretiosam Parentem, & amplius exaltare contendo & exaltari desidero.

Affectus ad Communionem.

QVanto desiderio, mi JESU, Virginem exortam destinasti tibi in Matrem, omnemque ejus tam substantiam, quam vitam & vitæ actionem, tibi absorbuisti & consignasti, & vicissim, qua affectus plenitudine, totam se Virgo tibi in omnem usum, obsequiumque primo sui exortus instanti consecravit ac devovit, eodem ego hoc sanctissimum Sacramentum sumo, cupiens eadem plenitudine in te transfundi, qua hæc Virgo, à primo ortus sui instanti, transfusa in tuam possessionem & hæreditatem fuit. Tibi vero, ô Virgo infantula, recens concepta,(nata) in conspectu Sanctissimæ Trinitatis, in sanctissimo Sacramento, cum Christi humanitate latentis & præsentis. Offero meipsum totum atque trado, in hæreditatem & possessionem æternam, eo modo, quo infantulis donaria offerri solent, atque ego in hujus donarii mei oblatione, omnes creaturas reliquas, tam tempore, quam affectu, præcedere cupio.

§. II.

Die Præsentationis beatissimæ Virginis MARIÆ.

Affectus totius Sacri.

PRetiosiss. Parens, quâ tu devotione, puritate, promptitudine mētis tuæ, præsentasti te hodie in Templo,

æternisque obſequiis Dei mancipaſti, & gratiſſimam guſtui Divino, ex teipſa oblationem feciſti, hac eadem ego ſervus tuus deſidero, atque propono, hoc Sacrificium, cum illoque etiam me ipſum, hodie divinæ Majeſtati atque dignitati præſentare. Tu dulciſſima Virgo, adjuva me, & adſis mihi præſens, meritis & precibus tuis, devotione mentis tuæ, propter amorem Filii.

Affectus ad Conſecrationem.

DOmine Deus, cui ſe hodierna die dulciſſima Virgo trimula, cum tota ſua ſubſtantia carnis & mentis, devotiſſimè donavit, ego quoque, ejuſdem Virginis Filium, cum tota ejuſdem corporis & ſanguinis ſubſtantia, ſub his ſpeciebus tibi & præſentare & immolare volo. Quo vultu Matrem ſe tibi devoventem ſuſcepiſti, ſimili me ejuſdem Matris Filium, tibi immolantem ſuſcipe.

Affectus ad Elevationem.

O Immenſæ Majeſtatis ac bonitatis Domine Deus, iſte Filius eſt in manibus meis, illius Matris ac Virginis Filius, quæ ſe tibi hodierna die triennem offerens, ſuaviſſimæ voluntatis tuæ guſtu, inenarrabiliter recreavit. Da mihi, ut ego quoque ſervus tuus aliquatenus, aliquando recreem te.

Affectus ad Communionem.

DEUS, qui non munerum, ſed cordium es avarus acceptator. Tu hodie Virginem ſanctiſſimam, ſeſe ti i in munus offerentem, donantemque corde pleniſſimo acceptaſti: da mihi etiam pauperculo tuo, ut Jeſum Chriſtum Filium tuum, ſimulque Virginis, ſeſe mihi, ecce nunc in cibum potumque animæ offerentem,

tem, quam plenissimo, devotissimo, sincerissimoque corde acceptem, & propter hoc munus tibi gratior evadam.

§. III.

Die Annuntiationis beatissimæ Virginis MARIÆ.

Affectus totius Sacri.

VOlo & propono tuam, dulcissime JESU, æterni Patris Verbum, Incarnationem, sub speciebus Sacramentalibus, in sanctissimo Sacrificio renovare atque perficere, eo affectu, & in honorem ejus affectus, quo Sacratissima Trinitas & dulcissima Mater tua, eandem tuam Incarnationem perfici desideravit, reque ipsa perfecit, ad purum gustum Sanctissimæ Trinitatis, ad dulcissimæ Virginis honorem & totius humani generis salutem.

Affectus ad Consecrationem.

JESU, dignissime Verbum Patris, quo te affectu dulcissima tua Mater, Spiritu S. cooperante, in visceribus suis incarnavit, suoque purissimo sanguine convestivit, hoc eodem affectu, ego teipsum, nunc sub his speciebus incarno ac immolo.

Affectus ad Elevationem.

QUo te affectu, dulcissime Jesu, pretiosissima Parens, in se incarnatum adoravit, hoc eodem affectu, ego te sub his speciebus adoro, omni creaturæ adorandum exhibeo, eumque omni, & pro omni creatura, adoro.

Affectus ad Communionem.

OMnipotens, ſempiterna, Digniſſima Trinitas, Deus, qui glorioſæ Virginis, dulciſſimæque Parentis MARIÆ corpus & animam, ut dignum Verbi habitaculum effici mereretur, Spiritu S. cooperante præparaſti, in cujus viſceribus etiam incarnati Verbi humanitate, plenitudine Divinitatis, corporaliter cum ſuaviſſima guſtus tui oblectatione inhabitaſti, dignare etiam, cum hac ejusdem Verbi Humanitate, quam ecce ſacramentaliter ac ſpiritualiter recipio, in viſceribus meis, plenitudine gratiæ tuæ habitare, meque ut tibi dignum habitaculum efficiar, ſemperque permaneam, donis tuis, dulciſſimæque Virginis meritis copioſiſſimis, exornare. Exorna me, ô Deus plena mater, dignè te, dignè Filio tuo Jeſu Chriſto, dignè Sanctiſſimæ Trinitate. Exorna me gratiis tuis, ut huic ſacratiſſimo Sacramento recipiendo idoneus ſim.

§. IV.

Die Viſitationis beatiſſimæ Virginis MARIÆ.

Affectus totius Sacri.

DEſidero & propono te, dulciſſime JESU, in hoc ſanctiſſimo (ad quod peragendum accedo) ſacrificio & affectu cordis immolare, Sanctiſſimæque Trinitatis guſtui offerre, quo te in ſuis viſceribus recens incarnatum, dulciſſima Mater, in montana Judeæ, in domum Zachariæ detulit, Joannemque Præcurſorem tuum ſalutatione ſua, virtute tua, ſanctificavit.

Affe-

Affectus ad Consecrationem.

JESU mi, consecrare & conficere te, sub his speciebus volo, ministerio vocis meæ, efficacia Virtutis tuæ. Tu me tibi consecra, & effice in æternalem servum, Matrisque tuæ in mancipium & jumentum, copiositate gratiæ tuæ, ministerio & subsidio meritorum, intercessionumque pro me dulcissimæ Matris tuæ, eo modo, quo consecrasti tibi Joannem, ministerio salutationis Matris tuæ.

Affectus ad Elevationem.

JESU, qui à dulcissima Parente in montana delatus, Joannem sanctificasti, sanctifica etiam me, in montana elevatus à me, & Spiritu affectuque dulcissimæ Matris tuæ, cantabo hymnum laudis tuæ: Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in DEO &c.

Affectus ad Communionem.

DUlcissima Virgo & Mater, absolutissima hæres Dominaque mea, quo fervore & fructu, dulcissimum Filium tuum exsurgens per montana detulisti, atque in domum Zachariæ intulisti, peto ego vilissimum mancipium, jumentumque tuum, ut hoc eodem affectu & effectu, eundem dulcissimum Jesum tuum, hisce speciebus Panis & Vini inclusum, in domum cordis mei deferas, in eoque deponas. O Domina, sanctifica me ut Joannem, reple Spiritu Sancto ut Elisabetham, imple benedictione & gratia ut domum illam, ut ego magnificem Dominum Deum tuum tecum, & dicam jugiter: Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo.

§. V.

§. V.

Die Purificationis integerrimæ Virginis MARIÆ.

Affectus totius Sacri.

SAnctissima Trinitas, Deus meus, cujus sese voluntati, die hodierna, Jesus Christus Redemptor meus, in templo præsentavit, ac pro nobis gratissimum in pignus obtulit, tuæ illi eidem voluntati atque dignitati, ego vermiculus tuus vilissimus, eundem Jesum Christum, sub Panis Vinique speciebus sistere, præsentare, ac immolare propono, eodem cupio, quo ille præstitit præstare affectu, sed amat charitas, amat immensitas, nos pusilli æmulamur cum mensura, quam nobis dispensat voluntas tua.

Affectus ad Consecrationem.

VIrgo sacratissima, quo tu affectu pignus tuum dulcissimum ac divinissimum, hodie templo illatum, altarique impositum, divinis oculis præsentasti, & voluntati immolasti. Simili cordis devotione, ego modo hunc Filium tuum, in hoc altari, sub speciebus his Panis & Vini, iisdem oculis, eidemque Voluntati Divinæ, præsento, immolo atque nunc depono.

Affectus ad Elevationem.

JESU mi, hodie à Simeone gestate & benedicte, elevare super altare, & pro pacis missione exorare, te ego quoque servulus tuus, manibus meis indignius gesto & elevo, cordis mei visceribus benedico, ac tota egestatis meæ capacitate confirmari, finaliterque in gratiæ tuæ amicitiæque pace dimitti ac relinqui in æternum postulo.

Affe-

Affectus ad Communionem.

DEUS meus, per hoc ſacratiſſimum Domini mei Jeſu Chriſti corpus, & per hunc ſanguinem, quem ſumpturus ſum, peto à voluntate tua, illam quam Simeon petiit & obtinuit, finalem pacem, illam quam dulcisſima Mater in humili purificatione ſua meruit, puritatem, puritatisque æternalem confirmationem illam, quam Dominus JESUS, infantulus in templo tuæ voluntati obediendi proteſtatus eſt, ſe habere ac retinere conſummatam ac ſempiternam voluntatem. Confirma me cum Filio tuo per Spiritum Sanctum in gratiæ tuæ pace, in mentis corporisque humili puritate, in voluntatis meæ ad voluntatem tuam æterna deſponſatione atque ſponſali transformatione, quia hæc eſt voluntas dignitatis tuæ, & dignitas voluntatis tuæ.

§. VI.

Die glorioſæ Aſſumptionis beatiſſ. Virginis MARIÆ.

Affectus totius Sacri.

MI dulcisſime atque amabilisſime JESU, quo tu Divini cordis tui affectu atque guſtu pretioſisſimam Matrem, Incarnationemque tuam, de ſepulchro ſuſcitaſti, atque in cœlos aſſumptam, inibi, ſuper omnem creaturam exaltaſti, hoc ipſo cordis tui affectu atque guſtu, & in ejusdem affectus guſtusque tam tui, quàm dulcisſimæ Virginis renovationem ac honorem, ſanctisſimum iſtud ſacrificium tuum immolare propono, agens tibi gratias, pro tanta abs te glorificatione Matris tuæ, & congaudens atque congratulans pretioſisſimæ Parenti, ac Incarnatrici tuæ, adeo ſupereminentem abs te exaltationem ſuam.

Affe-

Affectus ad Consecrationem.

SUavissime JESU, quo devotionis affectu, dulcissima Parens tua, hanc vitam conclusit, & animam in tuas manus tradidit, & Sanctissimam Trinitatem in assumptione sua salutavit, hoc eodem ego nunc, immolandi tui in isto Sacrificio sub his speciebus actum perficere, ad gloriam Sanctissimæ Trinitatis volo, petens, ut vitam meam, adinstar dulcissimæ Virginis terminare, per gratiam Sanctissimæ Trinitatis, perque merita assumptæ tuæ Genitricis possim.

Affectus ad Elevationem.

MEllitissime JESU, qua dulcedine, affectuosissimæ finalisque pietatis, sanctissimam Virginem Matrem tuam MARIAM, de terra in cœlum, in cœlo super choros Angelorum extulisti atque exaltasti, hoc eodem pietatis affectu atque sensu, ego servulus tuus, & Matris tuæ, te, tuamque Matrem, cum hoc sanctissimo Sacramento elevo atque exalto, super omnem creaturam.

Affectus ad Communionem.

GRatiosissime Deus, Jesu mi, hæc paupercula creatura tua anima mea, petit à serenissima pietate tua, ut quoniam placitum est ante te, auferre de hac terra dulcissimam Parentem tuam, antequam omnino assumas eam, divertere cum ipsa digneris ad animam meam, ut à vobis benedici, vobisque valedicere, ac tam suas, quam suarum omnium necessitates commendare valeat.

CAPUT XII.

Alia Liturgica.

PRo coronide ſacrorum hîc diſtributorum, non poſſum non apponere Præparationem Miſſæ, Acceſſum, Applicationem Sacri, Affectum in Sacro ex Liturgicis verè aureis R. P. Thomæ Mlodrianouski Societatis Jeſu in Polonia celeberrimi Theologi, Anno 1676. Cracoviæ editis, in quæ ex ſingulari providentia Dei caſu incidi, dum hæc ſcriberem: Pono ejus diſpoſitionem & formalia.

§. I.

Præparatio Miſſæ & Acceſſus.

1. FIat actus Contritionis, qui extendatur non tantum ad mortalia, ſed etiam ad venialia peccata, ut ita purus ab omni inquinamento, ad Dei tui altare, accedere poſſis.

2. Si vacat; dicendus Acceſſus præſcriptus in Miſſali. Item illa Oratio: Ego volo celebrare. Denique incidens in illam diem Oratio Ambroſiana.

3. Accipiendæ perſonæ variæ, & illarum nomine, adoranda Euchariſtia.

Accipio perſonam omnium irrationalium creaturarum, cum omni ſua farragine, in tua Domine omnipotentia contentarum, & earum nomine, te in ſanctiſſima Euchariſtia contentum, adoro, totiesque adoro, quoties omnia poſſibilia, in theſauro omnipotentiæ tuæ continentur.

Accipio perſonam omnium damnatorum, præcipuè tamen eorũ, qui ſpecialiter ſunt damnati, ob Euchariſtiæ abuſum, & in ſupplementum omnium blasphemiarum,

quæ

quæ fiunt in inferno, contra Euchariſtiam; acclamo tibi Domine: *Laudetur ſanctiſſimum Sacramentum.*

Accipio perſonam omnium Ethnicorum, de hoc myſterio neſcientium, aut ſcire nolentium, & illorum omnium nomine te adoro, dignus enim es Domine, ut à toto mundo adoreris, ameris.

Accipio, Domine, perſonam omnium Hæreticorum & Schiſmaticorum, qua te blasphemantium, qua non credentium, quâ injurioſè tractantium, & eorum omnium nomine, te in Euchariſtia contentum veneror & exalto.

Accipio, Domine, perſonam omnium malorum Catholicorum, qui ſe fructu & uſu Euchariſtiæ indignos reddiderunt, reddunt, reddituri ſunt, & in eorum perſona, jam tibi dedicata & addicta, te amo, te deſidero, te recipio.

Accipio perſonam omnium ſanctorum Catholicorum, qua conſecrantium, qua communicantium tantum, & eorum Religione te colo, eorum deſideriis, ad te ſincerè, ut vides Domine, anhelo, anhelo etiam præcipuè eorum Communicantium deſideriis, quorum multi ſi Sacerdotes fuiſſent, ô quam impenſius & ſanctius tibi ad altare ſerviiſſent? has omnes & omnium tibi notas devotiones mihi approprio, tibique eas impendo.

Accipio perſonam omnium animarum Purgatorii, quibus ſi daretur ad altare accedere, ſi daretur communicare, nonne majori amoris tui igne, quam flammis purgatorii arderent? hos amoris æſtus concentro in cor meum, & illis æſtibus ad te incendor.

Accipio perſonam omnium Sanctorum, jam in cœlo triumphantium, qui ſi deſiderare aliquid poſſent, id etiam unicè deſiderarent, ut illos Euchariſticè paſcas. Tibi Deo meo notis illorum affectibus nunc ad te feror,

ror,

ror, celebrare desidero, teque mihi communione unire. Quis dignius, Domine, tractavit tuum sanctissimum corpus, tuâ sanctissimâ Matre? cui si obtigisset felicitas, non tantum maternitatis, sed etiam Sacerdotii, quot Maria affectuum, illa tibi in Sacrificio profudisset. Feror in te Domine affectibus Matris tuæ, effundo tibi sacrificans mare illud affectuum, quos Mater divinissima elicuisset Sacerdos.

In te desinit omnis dignitas creata & increata, prime & novissime Sacerdos, Domine mi JESU. Da mihi, Domine, communionem totius illius Sanctitatis tuæ, qua Sacrificium hoc & instituens, & in cruce efformans, tibi illud, Patri & Spiritui Sancto, obtulisti. Hâc tuâ sanctitate decoro Domine affectus & actus peccatricis animæ meæ. Decora, Domine, os meum, prolaturum consecrationis verba, ultimo exspirio oris tui, decora manus meas manibus tuis. Corpus tuum in Eucharistia ferentibus, decora omnibus divinis interioribus tuis, fæda viscera mea, ut commodum tibi evadant hospitium, & maneas mecum in æternum.

§. II.

Applicatio Sacri & Invitatio Christi.

APplicandum erit Sacrum, secundum quod Theologi illud dividunt, nempe in quantum est.

Latreuticum seu Adorativum, Gratiarum activum, impetrativum, Propitiatorium.

Quoad primum. Offero tibi, Domine, Sacrificium hoc corporis & sanguinis tui, in adorationem supremæ Excellentiæ Dei Patris, Dei Filii, & Dei Spiritus S. Dei Unitatis, Dei Trinitatis. Immolo illud & tibi, ô Deus, in quantum Prædestinator es, & altissimæ inscrutabiliq; tuæ de me dispositioni, & quidem æternum duraturæ.

Veneror hoc Sacrificio infinitam misericordiam tuam, quæ secundum multitudinem miserationum tua-

rum delebat, delet, delebit, ut ſpero, multitudinem iniquitatis meæ.

Adoro hoc ſacro Divinam Juſtitiam tuam, & eam munere hoc Euchariſtico placo.

Accipe tremenda Juſtitia Dei, corpus & ſanguinem Domini mei, & jam reſpice in faciem Chriſti, & non reſpicias, plures arenâ maris, iniquitates meas.

O inexhauſte Theſaure, Providentia Dei Creatoris mei, ad te miſer peccator recurrens, & tuarum miſericordiarum benigniſſimarum mendicus, dono & devoveo tibi Euchariſticum convivium, & tu mihi ſuperimpendas benigniſſimas protectiones tuas. Si ivero in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades: nullibi non es, qui ubique es. Tuam hanc immenſitatem præſentiæ, exalto digniſſimo hoc ſacrificio, & adoro.

Adoro inſuper totum illud chaos, totam abyſſum, & pelagus Divinum dignitatum, Attributorum, Excellentiarum tuarum, & adoro his ipſis perfectionibus Euchariſtiæ adſtrictis, in illaque modo ineffabili contentis.

Quoad ſecundum. Gratias Tibi Domine hoc ſacrificio ago pro beneficiis datis Humanitati Domini mei Jeſu Chriſti, itemque Dominæ & Hæredi meæ, cujus ego non ſum dignus vocari filius (utinam condignum mancipium eſſem) Deiparæ Virgini. Gratias etiam tibi ago Domine, pro omnibus beneficiis, datis & dandis Electis tuis, præcipuè iis, qui me in cœlo jam exiſtentes, communione ſua ſpeciali, per impetrata mihi beneficia, dignati ſunt.

O quot theſauros Domine beneficiorum tuorum effudiſti in reprobos & damnatos.

Illiné tibi pro illis gratias agunt? Imo potius blaſphemant te Domine. En ſacrificium gratiarum actionis, pro omnibus beneficiis tuis, etiam genti illi maledictæ impenſis.

Et quo-

Et quomodo Domine mi, obliviſcar beneficiorum mihi indigniſſimo collatorum? Creaſti me Domine, poſt tot pericula & morbos conſervaſti, ſanguine pretioſo Filii tui redemiſti, mundo per Religionem, vel ſtatum meum, ſubtraxiſti, Sacerdotem feciſti, donis tuis naturalib. & ſupernaturalibus ditaſti. Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? & retribuit multa, cum nunquam pro illis ſupplicaſſem, ſpecialiq; ſua providentia, me ſemper refovit, ideo hoſtiam & calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo, etiam has gratiarum actiones extendendo, pro beneficiis cuicunque, quantumvis irrationabili creaturæ aliquando præſtitis, item extendendo gratiarum actiones, pro beneficiis, quæ nondum mihi dediſti, daturus es miſericorditer, daresque ſi dignus eſſem.

Quoad tertium. Offero tibi Domine ſacrificium hoc, ut impetrem, majus augmentũ gloriæ accidentalis, tibi ipſi Deo meo, à te ipſo, & poſt te in augmentũ gloriæ accidentalis Domino meo Jeſu Chriſto, beatiſſimæ illius & meæ Matri, totique Curiæ cœleſti, præcipuè S. Patronis meis, & nominatim iis, quorum dies annua, ingreſſus in cœlum, erit dies agoniæ meæ. Vellem etiam Domine mi, impetrare patriæ meæ, Poloniæ tuæ, apertum ſinum benedictionum tuarũ, vellem impetrare in toto mundo amantibus te, augmentum amoris tui, omnibus in peccato mortali exiſtentibus, actum amoroſiſſimæ contritionis, omnibus infidelibus lumen fidei, omnibus nunc certantibus, aut poſtea pro fide certaturis, gratiam martyrii. Vellem impetrare omnibus nunc agonizantibus, & poſtea agonizaturis, finalem perſeverantiam, omnibus tentatis ſubſidium, afflictis conſolationem, immo vellem Domine, nullam eſſe in mundo creaturam, etiam inanimem, cui aliquid, hoc infinitæ dignitatis ſacrificio non ſit à me impetratum.

Etquid mihi Domine mi, in particulari impetratum vellem? Da mihi DOMINE gratiam digne celebrandi, communicandi, viatico in extremo agone non carendi. Da mihi, Domine, confirmationem in gratia tua, ut non permittas me ſeparari à te. Da mihi victoriam omnium, ſed vel maxime earum tentationum, quibus de facili ſuccumbo. Transforma me Domine in te, ut Deo meo plenus, vivam in æternum. Denique tam magnus eſt mearum miſeriarum ſaccus, ut ne numerum quidem mearum neceſſitatum inire poſſim. O dives Domine, miſerere tam magni mendici, id omne & totum mihi da, quod me ſcis petere poſſe, petere debere. In particulari autem offero tibi, Domine, hoc Sacrum pro N. N.

Quoad quartum. Offero tibi Domine, infinitam hanc propitiationem diviniſſimi hujus Sacrificii, pro omnibus illis peccatis, pro quibus tu in cruce cruentum Sacrificium tuum voluiſti offerre, obtuliſti.

Offero pro omnibus ſceleratiſſimis facinoribus & peccatis meis, & notabiliter pro primo, quo unquam reſolvi me, ut offenderim te.

Offero & pro eo notabiliſſimè, quod notabiliſſimè cum majori Majeſtatis tuæ indignatione perpetravi.

Offero & pro eo, quod forte oculus tuus divinus videt, nondum me adæquatè confeſſum eſſe, vel ſi confeſſus ſum, nondum ſingularius pro illo temporalem diminui pœnam.

Offero tibi, Domine, pro omnibus Ethnicorum infidelitatibus, Hæreticorum & Schiſmaticorum blaſphemiis, fidelium irreverentiis, pro ipſo item abominabiliſſimo Chriſticidio & AntiChriſti peccatis, nam vellem nullas unquam eſſe offenſas tui, & ſi ſunt, nullas eſſe irrecompenſatas.

Deſcendo etiam in infernum vivens, & offero tibi illud,

illud, pro pœnis animarum purgatorii. Da illis libertatem, da ſaltem levamen pœnarum, præcipue verò illis, quas modo inibi tua juſtitia punit, & ego eas ipſas adhuc in Purgatorio reperturus ſum. In particulari pro N. N.

Sub hæc fiat applicatio Sacrificii, in quantum ſatisfactivum eſt, ſecundum quod devotio vel obligatio dictat.

Invitatio Chriſti.

DA mihi, æterne Pater, Filium tuum, eo affectu, quo eum in ſalutem humani generis obtuliſti.

Da mihi teipſum, ô Verbum æternum, eo affectu, quo affectu teipſum naturæ noſtræ humanæ conjunxiſti.

Da mihi, Spiritus Sancte, corpus & ſanguinem Domini ſumere, & da eo affectu, quo affectu corpus illius, in utero Virginali adaptaſti.

Da mihi teipſam, Humanitas Domini mei, eo affectu, prout à Verbo terminata, hoc Sacramentum inſtituiſti.

Da mihi, Virgo beatiſſima, unigenitum Filium tuum in Euchariſtia incluſum, eo affectu, quo affectu illum in ſalutem humani generis genuiſti.

§. III.

Acceſſus ad Sacrarium & Altare.

1. EUndo ad Templum, repetantur hæc verba: *Veni Domine Jeſu, & noli tardare.*

Eſurio, Domine, corpus tuum, & ſitio ſanguinem tuum. Te immolabo tibi. Amo te Domine, & doleo ex toto corde meo, quia te ſummum & infinitum bonum vel minimo peccato offendi.

2. *Ubi veneris ad templum*, adorando Euchariſtiam dic: Da mihi, Domine, gratiam digne celebrandi, communicandi, ſine hoc viatico ſalutis non moriendi.

3. *Aperiatur Missalis liber.* Et memor eris, quia liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur. Vel petes: ut per doctrinam, aperias cum Agno aliis librum.

4. *Lava manus* in lachrymis Magdalenæ, Petri, Matris dolorosæ, aqua lateris Christi, reflexeque pete, ut sine pollutione mentis, & corporis, valeas verè infirmissimus, Domino servire.

5. *Aptetur Hostia*, & benedicatur hic ager, ex quo hic panis, & vinum, sacrificii collectum. Bene precare & istis, qui hæc huic loco providerunt.

6. *Impone* tibi amictum, protestans quod præ corona aurea eligas tibi spineam, cum Catharina Senensi, peteque, ut te muniat Deus, ad expugnandos blasphemiæ, & tentationum contra fidem, præcipue in morte, incursus.

7. *Dealba me Domine.* Sed quo? Vulneribus totius corporis Jesu, ut sanguine hujus Agni dealberis.

8. *Affectu S. Thomæ Aquinatis*, & affectu S. Ignatii, pete cingulum castitatis.

9. *Merear Domine*, pete tibi gratiam contritionis, & fletus, in omni confessione, præcipue in agone, & ut multum pro Deo labores, recepturus mercedem laboris.

10. *Redde mihi Domine.* Desiderium excita cordiale, recuperandæ innocentiæ baptismalis.

11. *Domine qui dixisti.* Renova proposita servandi præcepta & vota Religionis, ut consequaris gratiam.

12. *Elige* tibi semper Patronos, in quorum comitatu procedas ad dicendum Sacrum, præcipuè Sanctos illius diei. Designa locum sacrificii tui, v. g. locum martyrii, domum Beatissimæ, cunas vel sepulchrum Domini, locum in quo, quod sis moriturus, prævidet Deus.

13. *Ubi veneris ad Altare*, & feceris v. g. adorationem,

nem, vel reverentiam cruci, pete audientiam apud Sanctissimam Trinitatem, & Dominum JESUM.

14. *Ubi proximius ad Altare accesseris*, præcipuè vicinior Eucharistiæ factus, pete, ut sicut S. Januarij sanguis, illius applicatus capiti bullit, ita ad viciniam hanc, totum cor tuum bulliat amore.

§. IV.

Inchoatio Missæ usque ad Evangelium inclusivè.

1. APertio libri, ut sup. num. 3. Et quia accedendo ad altare, vertit se sacerdos ad unam partem mundi, ad alteram procedendo, ad apertionem Missalis, ad tertiam mundi partem vertit se recedendo à Missali, ad quartam descendendo ad gradus, protestetur; quod in omnibus his mundi partibus Deum amet, & adoret, idque nomine quatuor illarum partium mundi.

2. *Recessus ab Altari* fiat, quasi ex indignitatis Tuæ consideratione, & quod Te judices accessu hoc indignum.

3. *Adoratio Eucharistiæ*, ut supra num. 2.

4. *Signum Crucis*, cum affectu imprimendi corpori etiam tuo vulnera Domini JESU.

5. *Introibo ad Altare Dei*. Nomine altaris intelligendo locum, in quo designasti tibi facere celebrationem, de quo n. 12. Interdum nomine altaris intellige altaria ab Ethnicis profligata, ab Hæreticis possessa, vel hoc ipsum altare, in quo ante te tam multi Sacerdotes celebrarunt. Nomine profligatorum, non hoc intendendo, quod etiamsi sit altare structum, tamen in illo celebrare velis, hoc enim est contra Canones, sed quod velles in illo loco innovari altaria, quod velles in illis celebrare Missam.

6. *Judica me Deus*. Judicio nunc misericordiæ, & discerne causam meam à reprobis, à qua gente non sancta,

& ab hoc iniquo, hoc eſt Dæmone, qui appellatur homo peccati, vel certè à me ipſo, qui revera dolosè tibi ſervio, & non in toto corde erue me.

7. *Emitte lucem* ſanctarum inſpirationum tuarum & illuminationum, quæ me deduxerunt in montem Eccleſiæ, & in tabernacula tua, Religioſum ſtatum vel ſpiritualem.

8. *Confitebor tibi in Cythara.* In te JESU crucifixo Sacerdos ſum, quanta hæc mea felicitas? Quare triſtis es anima mea &c.

9. *Gloria Patri.* Directum ad ſingulas ſigillatim perſonas, quaſi præſens illas conſpiceres. Sicut erat; compingendo omnes laudes, ſicut erant, ſunt, & erunt in ſæculum.

10. *Introibo* ut ſupra.

11. *Adjutorium noſtrum* &c. Imaginare te retrahi à mundo, carne, Diabolo, contra hos inclama; Adjutorium &c.

12. *Confiteor Deo* noſcenti peccata mea. Beatæ Mariæ ſemper Virgini, cujus immaculatas aures deprecor, quaſi fœdandas hac mea confeſſione, quam illi facio. Beato Michaeli Archangelo ponderanti peccata. Beato Joanni, qui ne peccaret in eremum ſeceſſit. Sanctis Apoſtolis Petro amare flenti, & Paulo clamanti de ſe, quod primus peccatorum eſſet. Omnibus Sanctis, ſingulis in cœlo volendo confiteri. Et vobis Fratres, viventes, quibus vellem publicè propalare nefandiſſimam vitam meam. Quia peccavi nimis cogitatione, verbo & opere, & vere nimis, quia ſuper numerum arenæ maris. Mea culpa, nam mille infernos mereor, mea culpa, nam millies cœlo ſum indignus. Mea maxima culpa. Quia Deum ſummum & infinitum bonum, aliquando vel minimo peccato offendi. Ideo precor, iiſdem affectibus dicatur, quibus confiteor.

13. *Misereatur* affectu cordiali, & apprime flammeo, desiderando omnibus peccatoribus contritionis actum, & gratiam resurgendi ex istis peccatis, ex quibus putant se non posse resurgere.

14. *Confiteor* Ministrantis dicatur: Te innovante omnes actus tuorum pœnitentium, præteritorum & futurorum, vel si hoc officium non exerces, excita in te desiderium, quod velles innovare dolores, quorumcunque pœnitentium.

15. *Misereatur* ut supra n. 13. & ad indulgentiam accipe manum Christi crucifixi, aut Jesu parvuli, aut Jesu resurgentis, & illâ te, & omnes pœnitentes absolve, præcipue tuos, desideraque innovare in illis omnes gratias Sacramentales, præcipue tuâ operâ participatas.

16. *Deus tu conversus*, qui hactenus te à me, propter peccata mea averteras, vel Deus conversione substantiali in Eucharistia ponendus, vivificabis me, teipsum, hoc est vitam æternam sumentem.

17. *Ostende, Domine, misericordiam tuam*, quæ licet jam sit mihi magna à te ostensa, adhuc parva est, ob multitudinem miseriarum mearum. Domine exaudi orationem meam: cujus aures spinis sunt punctæ, ut citius exaudiar.

18. *Deus vobiscum* sit per gratiam, sui præsentiam scilicet, ut ejus præsentiæ memineritis, & in futuro, per vitam æternam.

19. *Oremus*. Innova affectus cujuscunque orationis, à quocunque Sanctorum, in hac vel in altera vita Deo oblatæ, incipiendo à primo Sanctorum Christo.

20. *Aufer à nobis* quæsumus, Domine, iniquitates nostras. Quia nos ipsi ab illis non auferimus, ut ad Sancta Sanctorum, hoc est: Eucharisticum altare, puris mentibus mereamur, ab omni culpa & pœna, introire.

Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic ſunt, quibus ego hanc felicitatem gratulor, quod ſint ſubſtratæ Euchariſtiæ, licet multæ aliæ reliquiæ inhonoratæ, vel non ita honoratæ maneant. Pretioſius eſt enim aureâ Tumbâ ſubſterni Euchariſtiæ.

21. *Oſculum Altaris*, fiat mente ad hoc Altare, in quo intendis dicere Sacrum, ut ſupra.

Signum Crucis fiat ut ſupra num. 4.

Kyrie eleiſon pro irrationabilibus creaturis, ut illis etiam miſericordiam competentem impetres.

Kyrie eleiſon pro omni infidelitatis genere, ut illis Dominus miſereatur per donum Fidei.

Chriſte eleiſon, pro Chriſtianis, ut illis Dominus probis, det augmentum amoris, peccatoribus contritionem. Kyrie eleiſon pro omnibus Sacro tuo, vel re, vel mente præſentibus. Kyrie eleiſon pro te ipſo.

22. *Gloria in excelſis Deo.* Affectu Angelorum illud canentium tempore natalis Domini: *Et in terra pax hominibus*: Poloniæ, tot bellis afflictæ, & communitati, in qua vivis. *Laudamus te*, laudibus quibuscunque tibi à quocunque impenſis, impendendis. *Benedicimus te*, ob omnes afflictiones noſtras & cruces. *Adoramus te*, ubicunque toto mundo præſentem. *Glorificamus te*, glorificationibus, quas tibi Sancti in cœlo jam impendunt. *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*, quam ex Theandricis actionibus Chriſti habes. *Domine Deus Rex cœleſtis*, rege me. *Deus Pater omnipotens*, etiam in converſione ſubſtantiæ in corpus & ſanguinem Filii tui. *Domine Deus*, affectu S. Thomæ Apoſtoli, dicentis: Dominus meus & Deus meus. *Agnus Dei*, affectu S. Joannis Baptiſtæ id dicentis. *Filius Patris*, affectu S. Patri dicentis: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. *Qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.*

nobis. At quantum? quantum vis, ſcis & potes. *Qui tollis*, nullius ad te anhelantis ſit irritum votum. *Qui ſedes ad dexteram Patris*, affectu latronis ſancti, petentis, ut memor ejus ſit Chriſtus, ubi venerit in regnum. *Quoniam tu ſolus ſanctus*, & cur non ſanctificas me? *Tu ſolus Dominus*, cujus me regimini in vita, morte, æternitate ſubdo. *Tu ſolus Altiſſimus*, cui ſubdo Reges omnes & Monarchas. *Jeſu Chriſte*, affectu Beatiſſimæ, Gabrielis, affectu Bernardini, id nomen pronuntiando. *Cum S. Spiritu*, qui à te etiam procedit. *In gloria Dei Patris*, Amen. Ad quam, quando me Domine transferes?

Oſculum Altaris, ut ſup. immed. n. 21. *Dominus vobiſcum*, ut ſupra immed. n. 18. *Per Dominum noſtrum*, ut ſupra immed. in Gloria in excelſis.

23. *Orationes*, dicantur affectu Eccleſiæ, & ejus qui illas ſcripſit, & qui unquam legit.

24. *Lectio Epiſtolæ* fiat, quaſi plane Epiſtolam, vel rem illam, ad Chriſtianos directam, primum illis annuntiares.

25. *Munda cor meum.* Pete gratiam concionandi, aut ſaltem ſpiritualia loquendi, præcipue dum in confeſſione alloquendus erit peccator, & has gratias aliis etiam opta.

Jube Domino benedicere. Pete mandatum à SS. Trinitate annuntiandi Evangelium, & ut Dominus ſit in corde tuo, ne ſcil. illum unquam mortali offendas, & in labiis tuis, ut de Deo ignitè loquaris, nec cadas linguâ.

26. *Signabis librum.* Petens, ut ab Evangelio accipias virtutem, ut ex capite pellas cogitationes malas, ex ore peccata, loquelæ, utque tibi dulceſcat nomen Jeſu in ore, & ut ex pectore cordeque tuo abigas omnia terrena, Deoque ſoli illud relinquas.

27. *Lectio Evangelii*, ut ſup. num. 24. fiat affectu Sancti Soſii Diaconi, ſupra cujus caput legentis Evan-

Evangelium,apparuit flamma,eratque indicium,illum fore Martyrem.

Osculum Evangelii ex amore puro, volendo devorare Evangeliorum librum, & complacendo in tota Evangelii doctrina.

§. V.

Credo & alia ad Canonem inclusivè.

1. CRedo. Dic hoc verbum affectu Apostolorum credo componentium, vel affectu Patrum Nicænorum, vel quorumcunque professionem fidei, in occasione Martyrii edentium. *In unum Deum*, affectu damnantis omnem Idololatriam. *Patrem omnipotentem*, etiam in conversione Eucharistica. *Factorem cœli* &c. *Et invisibilium.* Et hæc omnia quasi apportata præsenta Deo æterno Patri, tanquam opera manuum ejus. Converte te ad Filium & dic: *Et in unum Dominum Jesum* &c. damnaque & redamna Arianam hæresin, affectuque Patrum Nicænorum, pronuntia istam dictionem. *Consubstantialem Patri.* Cui uni nomini, nulla perfidia subtilitatis humanæ, cuniculos agere potest. *Qui propter nos homines &c.* Age gratias Filio Dei, pro tanta ejus humiliatione. *Ex Maria Virgine.* Elicies actum credendi, quòd sit Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum. *Et Homo factus est.* Nomine cœlestium, terrestrium & infernorum, adora verbum incarnatum, idque in illa ipsa periodo terræ, in qua peracta Incarnatio. Et desidera ita profundam & altam adorationem elicere, ut incipiendo ab una parte cœli, desinat ad aliam appositam cœli partem. *Crucifixus etiam pro nobis* &c. Contristare illi, locaque omnia passionis mente osculare.

lare. *Et resurrexit.* Congaude illi. *Et ascendit.* Congratulare illi. *Et iterum venturus est.* Treme coram Judice, converte te. *Et ad Spiritum Sanctum.* Pete, ut te vivificet, ne sis emortuum membrum Ecclesiæ. Ad illa verba; *Filioque procedit.* Damna Græcorum & Ruthenorum schisma. *Simul adoratur.* Elice unam orationem, trinam terminativè, hoc est ad singulas personas directam. *Qui locutus est per Prophetas.* Pete, ut per te in confessionibus, concionibus, colloquiis piis loquatur. *Et unam Sanctam.* Damna præteritas, præsentes & futuras hæreses. *Confiteor unum Baptisma.* Pete à Deo, ne infantes Christiani sine Baptismo decedant. *Et expecto resurrectionem.* Converte te ad animas, præcipuè eas, quarum corpora ubi dicis Sacrum, sepulta, annuntiaque illis, annuntia & corporibus illarum adhuc, sed certò expectari resurrectionem. *Et vitam,* desidera videre Deum.

Signum Crucis. Dominus vobiscum. Oremus ut supra.

2. *Suscipe S. Pater.* Nomine Patris, intelligendo Sanctissimam Trinitatem, quæ intelligitur etiam, cum dicitur Pater noster, & aliis Scripturæ locis. *Omnipotens* &c. Pete communicationem omnipotentiæ ut supra. Quam ego &c. Elice actum, quod revera sis deterior omnibus peccatoribus ipsis etiam Dæmonibus &c. *Pro innumerabilibus peccatis* contra te *offensionibus* contra proximum & *negligentiis* in contemptu gratiarum & inspirationum. *Et pro omnibus Circumstantibus,* non tantum in hoc loco, sed ubicunque existentibus, præcipuè iis, qui desiderant, ut pro illis ores. *Sed & pro omnibus,* ita, ut nullus vivus, nullus in purgatorio sit Christianus, qui de hoc Sacrificio tuo non participet. Sed ut sit omnibus in vitam æternam, Amen.

3. *Ad mistionem Aquæ*, pete à Domino, ut te in se transformet. *Deus qui humanæ &c.* gratias age pro creatione. *Et mirabilius*, gratias age pro redemptione, pete consortium Divinitatis, hoc est, infusionem gratiæ habitualis in te, & omnes tuos, signansque aquam, unà habeas intentionem benedicendi tuum ministrantem.

4. *Offerimus tibi*, hoc est Christi Ecclesia, & ego, qui etiam me replicatum vellem, ut tibi multipliciter serviam, planeque intende, non tantum pro fidelibus Christianis, ut in oblatione hostiæ, sed & pro totius mundi salute orare. Unde etiam in oblatione calicis, plurali termino utitur Ecclesia: Offerimus tibi, cum in oblatione panis singulari utatur. Offero tibi Deo meo, in oblatione que Panis fit mentio tantum Christianorum, in oblatione Calicis fit mentio salutis totius mundi.

In Spiritu Humilitatis, humilia te profundius inferno, cum post tot Sacra & Communiones nec dum sis sanctificatus.

5. *Veni Sanctificator*, affectu illius sancti Episcopi, qui nunquam celebravit, quin in illum descenderit Spiritus S. Tuo sancto nomini præparatum, es enim de Societate Jesu, aut Jesu nomini specialiter addictus.

6. *Lavabo*, ut supra n. 8. *Ut enarrem.* Petitio doni concionandi, spiritualia loquendi, præcipue in confessionibus. *Domine dilexi.* Excita in te planè intimum amorem decoris Ecclesiarum. *Ne perdas*. Petitio, ne in æternum damneris.

Ego in innocentia mea, quâ, h. e. Jesu & Mariæ mihi appropriatæ, *ingressus sum.* *Pes meus*, Gratias age Deo pro dono vocationis. *In Ecclesiis*, præcipue tuæ Religionis benedic.

7. *Suscipe Sancta Trinitas.* Elice unum, trinum terminativè affectum. *Ob memoriam Passionis*: cui compatere, *Resurrectionis*, cui congaude. *Et Ascensionis*, cui con-

congratulare. *In honorem B. Mariæ*, quem illi exhibe, in loco exiſtentiæ illius in cœlo. *Et omnium Sanctorum*, intende affectum, qui mereatur ſingulis dividi. *Quorum memoriam*, præcipue tuorum, ad Sacrum aſſiſtentium Patronorum, hodie primum in cœlum ingredientium, & eorum, quorum die moriturus es. Peteq; ut hoc *illis proficiat ad honorem*, nempe augmentum gloriæ accidentalis. *Nobis autem ad ſalutem*, reſurgendi è vitiis, quibus maximè premimur. *Oſculum Altaris*, ut ſupra.

8. *Orate fratres*, dirigatur ad fratres in cœlo jam exiſtentes, populumque præſentem.

9. *Per omnia ſæcula*. Reverentia æternitatis Divinæ. *Dominus vobiscum*, proximè per Euchariſtiam futurus. *Surſum corda*, planè cum deſiderio levandi animas ad cœlum. *Gratias agamus*. Extendendo gratitudinem pro beneficiis, etiam irrationali cuicunque creaturæ datis. Cogita te à gratitudine retrahi, & exclama. *Verè dignum & juſtum eſt ſemper*, id eſt, omni momento, ex tunc per æternitatem ſecuturo. *Et ubique*, partire te per omnes mundi atomos, & verum ſit, te ubique *gratias agere Deo. Omnipotens*, pete, ut ſupra communicationem omnipotentiæ. *Æterne Deus*, reverentiâ æternitatis Divinæ, totum id fac. *Per Chriſtum*, quaſi dans illi hanc gratitudinem & laudes, nomine tuo, Sanctiſſimæ Trinitati deferendas, & ut illæ pertranſeant quodam modo per Chriſtum. *Per quem Majeſtatem tuam laudant Angeli*, cum quibus laudo & adoro. Cum Dominationibus. Tremo cum poteſtatibus, ſanctifico cum virtutibus. Amo cum Seraphinis, cum quibus turpes tuas voces pete immiſceri. *Sanctus* Deus Pater, *Sanctus* Deus Filius, *Sanctus* Deus Spiritus Sanctus. *Pleni ſunt cœli*, ad quos aſcendit Jeſus, *& terra*, ob Euchariſticam præſentiam, *gloriâ tuâ*. *Benedictus qui venit* ſacramentaliter.

§. 6.

§. VI.

Canon usque ad Pater noster.

1. TE *igitur, clementissime Pater*, cujus clementiam cognosce, quia te Sacerdotem fecit, & post tot indevota Sacra, ad altare admittit. *Hæc dona*. Excita in te omnem vim laudativam Eucharistiæ, omnesque laudes in his verbis velis contentas. *Pro Ecclesia tua sancta Catholica*, in qua gratias age, quod sis. *Quam pacificare* à tot dissidiis infidelium & politicorum, itemque tot bellis. *Custodire*, ne illam præcipue Saracenismus minuat. *Coadunare*, ne hic quidem sit Ecclesia Catholica, illic secta Lutherana, illic alia, & tum primum Ecclesia Catholica, sed ut indisruptim ubique reperiatur. *Vna cum famulo*, ex corde bene precare & Papæ & Episcopo.

2. *Memento*. Junge illud cum memento Christi in cruce, & Beatissimæ sub cruce stantis, & cum memento utriusque jam in cœlo existentis.

Seriem autem eorum pro quibus oraturus es ita dispone.

Ad caput Domini Jesu, ora pro omnibus Principibus spiritualibus & politicis.

Ad manum dexteram, pro omnibus tuis Benefactoribus spiritualibus & temporalibus.

Ad manum sinistram, pro tuis per Confessiones, Communiones, Conciones, Colloquia, Doctrinam, Filiis in Christo.

Ad Pedem dextrum, pro omnibus peccatoribus, conculcantibus legem Domini, sive fidelibus sive infidelibus.

Ad Pedem sinistrum, pro omnibus necessitate pressis, & in sua agonia, tentationibus, periculo, necessitate, ad Dominum recurrentibus.

Ad cor

Ad cor Jesu, pro tuis amicis & inimicis. pro omnibus prædestinatis, pro tuis consanguineis, pro iis qui insignius Deum amant, vel amaturi sunt &c. &c.

Et omnium Circumstantium, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisq; omnibus, idque gratias tibi agendo, pro beneficiis vel crucibus. *Pro redemptione animarum suarum*, petendo præsidia vitandi peccata, proficiendi in virtutibus. *Tibique reddunt vota sua*, ratione necessitatum, nunc se prementium, vel proximè pressurarum.

3. *Communicantes.* Planè ex corde volendo habere communionem in virtutibus in meritis eorum (qui hic numerantur) Sanctorum, ut ita dignius ad altare accedas *Genitricis Dei*, secundùm tempus illam compellabis, vel stantem sub cruce, vel bajulantem in utero Jesum, vel fasciis stringentem. *Petri:* amare flentis, *Pauli:* prædicantis Jesum crucifixum. *Andreæ:* crucem salutantis. *Jacobi*: quem in Hispaniis non proficiente conversione animarum Virgo beatissima solata. *Joannis:* cui beatissima Virgo commendata. *Thomæ:* Indiarum Apostoli. *Jacobi:* quem qui vidit, Dominum se vidisse putavit. *Philippi:* à quo Gentiles petierunt, ut viderent Dominum. *Bartholomæi:* excoriati. *Matthæi:* ex telonio vocati. *Simonis & Thaddæi:* Persidis Apostolorum. *Lini:* primi sancti Petri successoris. *Cleti:* ante Linum à S. Petro designati Papæ. *Clementis:* In ponto Euxino nostro submersi. *Xisti:* prophetantis Laurentio de martyrio. *Cornelii:* Cyprianum corrigentis. *Cypriani:* à Cornelio correpti. *Laurentii:* in craticula ustulati. *Chrysogoni:* Epistola Anastasiam Martyrem consolantis. *Joannis & Pauli:* aulam contemnentium. *Cosmæ & Damiani:* Medicorum corporis & animæ, *& omnium Sanctorum tuorum*, ita ut nullus sit in cœlo, de cujus virtutibus & donis, non participem. *Ut in omnibus*, non

tantum aliquibus, *protectionis Tuæ muniamur auxilio*, pete hic gratias, quas Theologi appellant ſpecialis protectionis.

4. *Hanc igitur oblationem ſervitutis.* Excita in te cultum latriæ, prout ille condiſtinguitur cultibus aliis. *Diesque noſtros in tua pace diſponas*. Pete pacem Europæ, Chriſtianis in India, Poloniæ Religioni. *Atque ab æterna.* Elice actus deſiderii, ut ſis inter prædeſtinatos tam exaggeratum, ut ſi prædeſtinatus non eſſes, vi illius deſiderii prædeſtinareris.

5. *Quam oblationem &c. benedictam*, & quæ major benedictio quàm ſacrari in corpus & ſanguinem Chriſti. *Adſcriptam*, ut ſit digna quæ in cœlo ſcribatur, tanquam à te oblata nomine Chriſti. *Ratam*, ut hoc ſacrificium etiam quantum ex vi petitionis tuæ, habeat ratitudinem ſuam, uſque ad finem mundi, & uti ex templo præcipuè in quo ordinarie celebras, nunquam deſinat. *Rationabilem.* Cum ex Pane & Vino convertatur in rationalem Chriſti ſubſtantiam. *Acceptabilemque* etiam ex opere operantis. *Ut nobis corpus*, quod eſurio. *Et ſanguis*, quem ſitio, fiat &c.

6. *Qui pridie* &c. Pete ſanctificari manus tuas à manibus Jeſu crucifixi. *Et elevatis oculis*, quos tu dignus elevare non es, præ multitudine iniquitatis tuæ, pro qua fac actum contritionis antecedentem conſecrationem ipſam.

7. *Conſecratio.* Fac intentionem conficiendi corpus & ſanguinem Chriſti, & pete: ut ſicut tu convertis ſubſtantiam Panis in ſubſtantiam corporis, & Vini ſubſtantiam in ſanguinem Domini. Ita Deus convertat cor tuum in amorem ſui, & magnum, & perpetuum.

8. *In Genuflexione.* Adoro hoſpitem novum, gratias age, quia hic eſt, & pete gratiam dignè celebrandi, commu-

communicandi, ſine hoc Sacramento non moriendi, curaque ut ultimum eſſe prolationis verborum conſecrativorum conjungatur cum adoratione tua interna.

6. *Elevatio.* Tempori accommodata v. g. oſtendendo mundo Chriſtum infantem, ut illum agnoſcat, crucifixum, ut illi condoleat. Ordinarie fiat elevatio hoc affectu. Dono Domine tibi Sacroſanctum corpus & ſanguinem Chriſti. Vel emitte Domine radios vulnerum tuorum, & infige illos cordi meo. Exalto Domine Te ſuper omnia.

10. *Repoſitio Euchariſtiæ* fiat in corde MARIÆ, in corde animarum Purgatorii, in corde peccatorum, ut conterantur ordinarie in corde proprio.

11. *Genuflexio* Euchariſtiæ ſit ſalutativa & adorativa Domini, primum nunc in Euchariſtia præſentis, gratias agendo illi quod hic ſit, & petendo gratiam digne celebrandi, communicandi, ſine hoc Sacramento non moriendi.

12. *Simili modo.* Per verbum præclarum Calicem, lauda calicem felicitandum præſentia ſanguinis Jeſu, *in ſanctas* &c. affectu oſculare manus Chriſti Domini.

13. *Conſecratio* fiat ut ante. In elevatione calicis elice deſiderium, quod velles in tuum calicem cadere gemmam ex cœlo ad ornandum hunc ſanguinem, ut cecidit ſacrificante S. Lupo. *Genuflexio* Euchariſtiæ, fiat tam digna, ut & corpori & ſanguini Domini dividi & attribui poſſit.

14. *Vnde & memores nos tam beatæ*

Passionis &c. affectus ad Passionem, Resurrectionem & Ascensionem, ut supra.

Offerimus planè quasi præsens in cœlo Sanctissimæ Trinitati exhiberes munus. *Hostiam puram*, quæ me emundet. *Hostiam sanctam*, quæ me sanctificet. *Hostiam immaculatam*, quæ me præservet. *Panem sanctum*, quem esurio, *& calicem*, quem sitio.

15. *Supra quæ*. Pete, ut ex opere operantis sit hoc sacrificium ita Deo gratum ac Abel, ac Abraham, ac Melchisedech.

16. *Supplices te rogamus*. Pete, ut per manus sancti Angeli, v. g. Tui custodis deferatur sanctissimæ Trinitati hoc sacrificium. *Ut quotquot* bene precare omnibus ad tuam orationem spectantibus. *Osculando altare* applica os ac famelicus solet, cibum vorare volens, aut saltem sanctifica vicinia hac, os quod tantum mysterium sumet, corpus & sanguinem Domini. *Omni benedictione*. Quia interdum Deus in aliquibus benedicit, in aliquibus benedictionem subtrahit, pete in omnibus benedici.

17. *Memento mortuorum*. Ora ad manum dextram pro omnibus Devotis ad Christum crucifixum. Ad sinistram pro devotis ad Beatissimam, præcipuè ad immaculatè conceptam. Ad extimam partem pedis dextri, pro pauperibus, ad intimam pro pridem Demortuis. Ad pedes sinistri intimam partem, pro iis quos à Te Deus vult juvari, ad extimam pro iis, qui jacent in Ecclesia ad quam celebras. Ad vulnera dorsi Christi, pro Salvatis post multa carnalia peccata, & pro iis qui nunc primum mortui. Ad caput CHRISTI, pro Mortuis gentis Tuæ, & pro iis qui diu sunt futuri in Purgatorio, ut illis Divina Providentia provideat eliberationem. Ad cor Jesu, pro iis qui

jam jam irent ad cœlum, ſed aliquid illis deſideratur, pro tuis pœnitentibus, conſanguineis tuis, in Religione fratribus, notis, ut ex affectu in S. Xaverium pro omnibus Indorum, præcipuè ab illo in fide deſcendentium hinc ex corde dic: Ipſis Domine &c.

18. *Nobis quoque.* Affectu volentis cum Auguſtino confiteri peccata etiam toti mundo. *Partem aliquam.* Si enim non poſſum eſſe Martyr cum illis, ſaltem in virtutibus participem. *Joanne,* ultimo veteris Teſtamenti Martyre. *Matthia,* ſupra quem cecidit ſors. *Stephano.* Primo novi Teſtamenti Martyre. *Barnaba,* ſocio peregrinationis Apoſtolicæ ſancti Pauli. *Ignatio*, in cujus corde repertum nomen JESU. *Alexandro,* qui convertit nobilitatem Romanam. *Marcellino,* è Papa Idololatra ex Idololatra Martyr. *Petro,* qui primus Arianis reſtitit. *Felicitate,* ſeptem Martyrum Matre. *Perpetua,* poſt puerperium mactata. *Agatha,* quæ expeditam ad ſe corrumpendam Aphrodiſiam convertit. *Lucia,* ſanctæ Agathæ devota. *Agnete,* vix ætatem ingreſſa, & jam Martyre. *Cæcilia.* Ape argumentoſa in converſione juvenum. *Anaſtaſia,* literis conſolante Chryſogonum. *Intra quorum nos conſortium.* Excita in te cordiale deſiderium viſionis beatæ.

19. *Per quem ſanctificas,* quæ major ſanctitas quàm continere Sanctitatis fontem? *Vivificas,* verè enim hæc Hoſtia vivificatur vivente in ſe Chriſto. *Benedicis,* & quæ major benedictio, quàm continere benedictum qui venit. *Genuflexio,* ut ſupra. *Per ipſum,* tanquam Mediatorem. *Cum ipſo,* tanquam tibi æquali. *Et in*

ipſo, cui per circuminſeſſionem es præſens. Quinque autem quæ fiunt cruces, fiant ad ſenſus corporis tui. *Omnis honor & gloria.* Colliges omnes laudes Deo aliquando factas, aut faciendas, aut alicui creaturæ impenſas, aut impendendas, & hæc omnia Deo tuo precaberis. *Elevans* autem calicem una cum hoſtia, elice actum fidei circa Euchariſtiam, & pete, ut in amore vivas, in amore & ex amore moriaris.

Genuflexio ut ante.

§. VII.

A Pater noſter uſque ad finem.

1. P*Er omnia ſecula ſeculorum* fiat ut ſupra, adoratio æternitatis Divinæ. *Oremus* ut ſupra. *Audemus dicere*, dic plenè ex corde, quod niſi acceſſiſſet mandatum Chriſti, nunquam auſus fuiſſes appellare Deum, Patrem.

2. *Pater noſter*, dicatur ſecundùm varias paraphraſes, quas in ipſo authore ſufficientes & pulchras invenies.

3. *Libera nos* quæſumus Domine ab omnibus malis. *Præteritis*, ne in ſimilia incidamus. *Præſentibus*, ut ex illis eruamur. *Et futuris*, ut ab illis præſervemur. *Da propitius pacem*. Poloniæ, domeſticis meis. *Vt à peccato* etiam venialiſſimo ſimus liberi. *Et ab omni perturbatione* præcipuè quæ nunc nos vexat.

4. *Signabis te*, ut ſupra, & *Divides hoſtiam* in tres partes, quartus erit ſanguis. Hinc ſingulis quatuor partibus mundi, aſſigna portionem.

Intingens particulam, & cum illa vel peccata tua, ut emunderis, vel cor & animam tuam, ut in Deo ſubmergaris, vel omnes afflictiones & actiones tuas.

5. *Hæc*

5. *Hæc commixtio.* Pete: ut hæc communio sit tibi per modum Viatici, nescis enim, an cras sis victurus, fiat ergo tibi ad vitam.

6. *Agnus Dei,* dicatur affectu S. Joannis: Primum dic: ut misereatur tui Christus, auferendo à te culpam. Secundum, ut misereatur auferendo habitus malos. Tertium, ut tui misereatur, liberando te ab æterna & temporali omni pœna, ut rectà ad cœlum ire possis.

7. *Domine Jesu Christe, ne respicias peccata mea,* facias actum contritionis. *Sed fidem Ecclesiæ tuæ,* quam totam profiteor, pacificare & condonare, dic ut supra. *Libera me per hoc Sacrosanctum corpus,* quod esurio, *&* *sanguinem tuum,* quem sitio. *Ab omnibus iniquitatibus meis,* pro quibus doleo ex corde. *Et universis malis,* præcipuè iis quæ nunc premunt, peteque cordialissimè & studiosissimè donum confirmationis in gratia per illa verba: *Et fac me tuis.*

Indignus sumere præsumo, qui me post tot communiones non emendavi.

Prosit mihi ad tutamentum mentis, ne in delirio si tibi placet, moriar. *Et corporis,* ne diuturna ægritudine aliis sim molestus. *Et ad medelam,* pro istis quæ me modo premunt corporis & animæ malis.

8. *Genuflexio* fiat tanquam jam ultimo adorativa utriusque simul in hac missa sub speciebus contenti.

9. *Domine non sum dignus.* 1. Ob peccata in sæculo commissa. 2. Ob peccata post ingressum in Religionem commissa. 3. Ob peccata quæ prævides Deus meus inposterum me comissurum. Vel primum dicatur affectu S. Elisabethæ dicentis; Unde mihi hoc ut veniat.

 Secun-

Secundum, affectu Centurionis. Tertium, affectu S. Petri dicentis; Exi à me, Domine.

10. *Corpus Domini nostri.* Accipe illud per modum viatici, & signa illo os sumpturum, manus tangentes, oculos de vicino intuentes.

11. *Ante sumptionem* eliciantur affectus breviter ii, qui continentur in præparatione ad Missam.

12. *Actus sumpta Eucharistia hi fieri possunt.*

Desinam Domine esse, si non debeo amare te.

Desinam Domine esse, si non gaudeo, aut non gaudebo unquam, adventu tuo Eucharistico.

Gratias tibi, quia venisti ad me, & unde hoc mihi?

Saluto te, hospes amantissime.

Osculor sacrosancta vulnera tua.

Quis nos separabit à Charitate Christi, quem in me habeo?

Tripudium: Vivit in me Christus.

Applica animam tuam ad Animam Christi, corpus tuum ad Corpus Christi, dona tua naturalia ad dona Christi naturalia, dona tua supernaturalia ad dona Christi supernaturalia, ut in simili fecit Elisæus, & fac id optando, ut à Christo sanctificeris.

Si haberem per impossibile perfectionem aliquam te dignam, quam tu non haberes Domine, & illâ mihi ablata deberem desinere; Tu autem haberes perfectiones Deitati debitas, evaderesque absolutè Deus: vellem illam tibi dare, & ipse desinere esse. Qui actus fuit S. Augustini.

Fieri potest, quia damnabor, volo nunc satiari amore tui, qui actus fuit S. cujusdam Eremitæ.

Malo Domine, propter te amatum esse in inferno, quam propter te odio habitum esse in cœlo, qui actus fuit S. Anselmi.

Vellem Domine, obstruere ostium inferni, ne ultra homi-

homines peccent & pereant, qui actus fuit S. Theresiæ.

Omnibus me omnes Sancti superent donis tuis in cœlo: vellem, nemo me superaret amore tui, qui actus fuit ejusdem Sanctæ.

Vellem incertus etiam salutis animas convertere, quam rectà in cœlum ire, ita amo te, Domine, cum S. Ignatio.

Sordet mihi terra, dum cœlum aspicio, ut idem S. inclamabat.

Clamabat servus tuus S. Franciscus Xaverius: Satis est, & ego ad te inclamo: Non satis Domine amoris tui, non satis amoris tui.

Amplius Domine, amplius laborem pro te, patior pro te, ut Sanctus idem vovebat.

Innovo Domine, omnes actus bonos tibi oblatos, vellem pati martyria Clementis, Ancyrani & Gregorii Armeni, vellem in columna stare cum Simeone, discerpi cum Ignatio, & cor nomine JESU signatum habere.

Vellem hinc cum S. Francisco cordialiter dicere, Deus meus & omnia. Vellem hinc pasci à vulnere hinc lactari ab ubere. Vellem æstuare usque ad refrigeria cum beato Stanislao. Vellem costam mihi attolli ad latius amandum te cum S. Philippo Nerio, rabiosèque ex siti sanguinis tui calicem arrodere cum eodem. Vellem transfigi mihi cor cuspide amoris, cum S. Theresia. Vellem cor meum mutare cum tuo, unaque tecum recitare officium, ut fecit S. Catharina Senensis, omnia & hæc alia innovo tibi Domine, totaque æternitate continuo.

Suppleo Domine, omnes despectus tuos, quos aliquando in Eucharistia passus es ab Ethnicis, Hæreticis, Schismaticis, Catholicis in mortali, aut tepide Communicantibus.

Ama me, Domine JESU, ama me.

Amo te Domine multum, plus, & hoc parum, plus adhuc, ſed & hoc parum adhuc, ſuper plus & ſuper plus.

13. *Genuflexionem facies*, quaſi jam adorans Euchariſtiam in te contentam, & ſimul cum corpore Chriſti in te contento, adorabis ſanguinem, invitans Chriſtum ad te, ſub vini ſpeciebus contentum.

14. *Quid retribuam Domino pro omnibus.* Et quæ iſta omnia? Deus meus & omnia. In gratiarum actionem. *Calicem ſalutaris*, hoc eſt, ſanguinem tuum accipiam. *Laudans invocabo*, hoc eſt, invocabo Dominum. *Et ab inimicis meis*, carne, mundo, Diabolo, ſalvus ero.

15. *Sanguis Domini noſtri* cuſtodiat, ne peccato mortali vitam gratiæ amittam.

16. *Ante ſumptionem calicis*, pete, ut promittat tibi ſanguis Divinus, quod in te extinguet omnem libidinem, quod ingenerabit in te ſanguinem martyrio etiam dignum, quod te roborabit contra omnia adverſa, & amara mortis, & cum hac intentione ſumptionem calicis, in tres divides partes.

17. *Poſt ſumptionem calicis hi poſſunt elici actus:*

Recreate Dominum in me contentum omnes S. Angeli, & hic localiter in me cantate illi Sanctus veſtrum.

Omnes ſancti Innocentes, effundite ſanguinem veſtrum pro Chriſto datum, in animam meam, illoque me decorate, decorate & innocentia veſtra vos, qui ſine ſanguine Infantes deceſſiſtis.

Omnes Sancti Veteris Teſtamenti, præcipue toties cum Domino collocuti, converſati, recreate pro me Dominum, docete me converſationem cum Jeſu.

Omnes ſancti Apoſtoli & diſcipuli Domini, facite me vivum Domini mei Evangelium.

Recreate pro me illum omnes Sancti Societatis, dulceſcat mihi nomen Jeſu, impetrate mihi, ut illud in agone devote pronuntiem. Ora hic Sanctos ſtatus tui, & invita ut recreent pro te Chriſtum.

Omnes

Omnes Sancti, qui me ſpecialius amatis, amate Dominum meum pro me, neſcio enim amare illum.

Omnes Sancti & SanctæDei, præcipuè Sancti & Sanctæ agoniæ meæ, ſitis ad recreationem, ſitis ad delicias Domino meo pro me.

Martyres, facite me ſaltem voto & vita martyrem.

Omnes S. Confeſſores & Doctores, loquimini pro me Domino JESU, quia ego neſcio loqui illi.

Auge, Domine, gloriam accidentalem Sanctis & Electis tuis.

Da lumen animabus Purgatorii.

Juſtificatis auge gratiam, peccatoribus da juſtificationem.

Supplico tibi Domine pro afflictis, captivis, peregrinantibus, tentatis, ægrotantibus, & pro tota univerſim indigentium farragine.

Mihi autem, Domine, da amorem tuum, gratiam docendi populum tuum, & ſpiritualia loquendi, ſpiritum Apoſtolicum, felicitatem ad animas. Hic unusquisque proponat ea, quæ ſpecialiter à Deo ſibi dari poſtulat.

Subdo tibi Imperatorem, Reges & gentes Catholicas: Vice-Reges Indiæ, cum tota India, Reges hæreticos & ſchiſmaticos, totum Saraceniſmum, totum Judaiſmum, totum Ethniciſmum, totum mundum.

Si vacabit; præcipue in Miſſis cantatis. Addes hæc: Amo te Domine amore viæ Sanctorum, qui vixerunt, & amore patriæ, quo nunc te in cœlo amant. Amo te amore viæ eorum, qui nunc vivunt, & patriæ amore quo te diligent. Amo te Domine amore viæ eorum, qui poſtmodum victuri ſunt, & amore patriæ, quo tè dilecturi ſunt. Amo te amore Beatiſſimæ , quo te amavit in terris, amore illius, quo te amat in cœlis. Amore item Chriſti in terris & jam in cœlis.

Amo

Amo te amore tuo communi omnibus tribus Perſonis, amore item ſpirativo & amore perſonali. Amo Domine toto amore increato, & omni poſſibili creato. Sed & amor meus Crucifixus eſt. Amo & te, Virgo mea Mater, cum Thaide inclamo; Domine, qui plaſmaſti me, miſerere mei, qui redemiſti me, miſerere mei. Mater beatiſſima Lauretana, Czeſtochoviæ celebris miraculis, item in loco N. N. miſerere mei. Oculi Mariæ aſpicite me. Manus Mariæ protegite me. Pedes Mariæ portate me. Caput Mariæ cogita de me. Cor Mariæ ama me.

Mitte me, Sanctiſſima Trinitas, ad converſionem animarum: Mitte Domine JESU, mitte Virgo beatiſſima. Gratias tibi Domine pro omnibus, quæ mihi dediſti, & quibus me afflixiſti. Diſpone me tibi, diſpone mea tibi, gratias & tibi, Domine Jeſu Chriſte crucifixe, & tibi beatiſſima Mater, diſponite me ad veſtra beneficia, diſponite mea.

Agnoſco, Domine, indignitatem meam. Reſpicies Jeſu crucifixe canem mortuum, ſi reſpicies me. Renovabis miraculum Theophili, beatiſſima Deipara, renovando me.

Mendico gratiam vivendi ſecundum vocationem meam, & gratias quas mihi offers, & ut dignus ſim quo utaris ad laudem tui, animarum bonum.

Benedic, Domine Jeſu, & omnia quæ intra me ſunt, æternum Patrem. Benedic, Domine Jeſu, & omnia quæ intra me ſunt, teipſum. Benedic Domine Jeſu & omnia quæ intra me ſunt, Spiritum S. Miſerere Domine Poloniæ tuæ, defende in illa Eccleſiam tuam. Complaceat tibi Virgo Mater in Rege noſtro.

In fine dic mente Orationem S. Franciſci Xaverii, pro impetranda gratia martyrii. Ave lignum crucis, ave crux pretioſiſſima, me tibi totum dico in perpetuum, & oro ſuppli-

ſuppliciter, ut gratiã pro te fundendi ſanguinem, quam Indiarum Apoſtolus S. Franciſcus Xaverius, poſt tot exantlatos labores conſequi non meruit, mihi licet indigniſſimo largiaris. Adde: vel ſaltem ſerviendo peſte, infectis, quod ſi ne hoc dono tuo dignus ſum, Sacramentis omnibus ſumptis, in gratia tua & circumſtantiis gloriæ tuæ debitis, vitam immolare concede.

18. *Quod ore ſumpſimus.* Apello, Domine, beneficium Communionis, nomine communi dicens. Quod ore ſumpſimus, quia neſcio quo nomine illud compellarem, tam illud ingens eſt & Divinum. Ad illa verba: *Purâ mente capiamus.* Pete, ut inpoſterum ſanctius communices: memorque, quanta vulnera animæ tuæ ſint, pete à ſanctiſſimo Sacramento non temporale ſed æternum remedium.

19. *Corpus tuum.* Pete, ut planè agglutinetur tibi, & adhæreat corpus & ſanguis Domini. Pete item, ut in te non remaneat ſcelerum macula, ſed ut evadas talis, qualis fuiſti poſt Baptiſmum. Dum aptabis calicem, dic mente: Anima Chriſti. & dirige orationem non jam ad illum qui in altari fuit, ſed ad eundem quidem, jam tamen intra te contentum.

20. *Poſt Communio*, legatur, quaſi per os tuum, hæc Chriſtus in te latens, adhuc intus dici vellet.

21. *Oſculaberis altare* affectu lambentis illud, quod inde corpus Chriſti ſumpſeris.

Dominus vobiscum. Dic corpori & animæ tuæ, quod intra illa ſit Dominus. *Oremus*, ſit excitativum tui ad orandum, ſiquidem Deus in te eſt abſconditus. *Orationes*, ita dirigantur ad Deum in te latentem.

22. *Dominus vobiscum* ſit Auditores meæ Miſſæ, ut qui in me eſt, & vobiscum quam citiſſimè ſit, quam frequentiſſime per Communionem. Ite miſſa eſt, & in conſpectum Sanctiſſimæ Trinitatis delata.

23. *Ad*

23. *Ad Placeat tibi S. Trinitas.* Inclina te Sacrosanctæ Trinitati, Christifer factus, adeoque in te inclinando illi Christum, pete, ut ex opere operantis sit acceptabile, magnoque affectu dic, ut sit omnibus propitiabile.

24. *Benedictio populi* fiat digitis corpore Jesu sacratis, aut manu Christi crucifixi, aut manu Beatissimæ Jesum portantis, aut manu Infantis Jesu, secundum quod exiget tempus, particulariter benedictio impendatur illi, pro quo speciali intentione obtulisti Sacrum.

25. *Dominus vobiscum*, ut supra 22. Signatio sui ut alias optando sibi imprimere vulnera Domini. *In principio erat Verbum*, elice actum Fidei de Verbo incarnato. *Omnia per ipsum facta sunt.* Approba argumentum Augustini exinde deducentis, Christum non esse creaturam. *In ipso vita erat*, quia ipsa in te est eucharisticè. *Lux hominum*, pete, ut te illuminet hæc lux. Pete, ne tenebræ æternæ comprehendant. Pete, ut sis homo missus à Deo ad salutem multorum. *Non erat ille lux*, non sim & ego aliquo honesti titulo aspectabilis in conspectu hominum. *Illuminat omnem hominem.* Illumina Domine præcipue nunc, nunc, ad usum rationis venientes, ut ad te convertantur. Dole, quod sui Christum non receperunt. Recepi ego te, da mihi potestatem *Filium DEI fieri. Et Verbum caro factum*, elicies actum, quem elicuisti in Credo ad illa verba, *Et homo factus est*, habita in me Domine, videam gloriam tuam in hoc mundo propagatam, in cœlis manifestatam, Amen.

CAPUT

CAPUT XIII.

De quotidiana celebratione Missæ.

SAt fusè tractatum de sanctissimo Missæ Sacrificio. Ne mireris. Est enim opus tremendum, excellentissimum & superans omne opus. Opus magnum Dei omnipotentis, creantis cœlum & terram, verbò, majus tamen illud, quo creatura quodammodo instrumentaliter verbis Christi, in propria persona prolatis, creat Creatorem, homo Sacerdos Deum suum, quod nulli unquam concessum, nec supremis Angelis, imo nec ipsi pretiosissimæ Genitrici Dei Mariæ. Concessum illi, ut immaculatè Virgo conciperet, novem mensibus portaret in utero, pareret, gestaret, nutriret, oscularetur, at illum ponere sub speciebus Panis & Vini non concessum. Solis Sacerdotibus N. Testamenti hoc commissum. *Grande mysterium*, ait Thomas à Kempis de Imitat. lib. 4. c. 5. *& magna dignitas Sacerdotum, quibus datum est, quod Angelis non est concessum.* Unde non miror illud P. Gasparis Tausch, Soc. Jesu, in aureo suo libello, intitulato Fontes Salvatoris. Quod si unus homo haberet merita omnium Sanctorum, etiam B. Virginis, majorem mercedem ei Deus hîc in mundo pendere non potest, quàm si det vel semel consecrare corpus & sanguinem. O verè opus magnum! Ideò quàm plurimos posui modos celebrandi, quos quilibet celebrans, non sine maximo fructu suo, & sibi commissorum, absolvere potest. Justum est, ut hac in parte quilibet Sacerdos sit sanctè avarus, & non negligat tantum thesaurum, sed potiùs quotidiè sibi coacervet copiam ejusdem. Veruntamen, cum rari inveniantur Sacerdotes, vel maximè sæculares, qui quotidie celebrent, & magni æstiment hunc thesaurum, consultum videtur hic ponere motiva quotidianæ celebrationis, & refutationem Objectionum contra quotidianam celebrationem. Sit igitur

§. I.

Motiva ad celebrandum quotidie.

1. PRoclamatum oraculo D. Sapientiæ; *Prudentiores filii tenebrarum in generatione sua, filiis lucis.* Heu pudor! quanta cura, quanta ſolicitudo hominum mundanorum, in coacervandis theſauris corruptibilibus? & Sacerdos negliget theſaurum indeficientem, immenſum ac æternum in Sacrificio Miſſæ poſitum tam facilè comparandum, id eſt Deum, in quo omnia? Juſtè ingemiſcit divino Spiritu plenus Kempiſius lib. 4. de Imit. cap. 1. *Dolendum valdè, quod multi tam parum hoc ſalutare myſterium advertunt, quod cœlum lætificat, & mundum conſervat univerſum.* Quantus theſaurus conſervare mundum univerſum?

2. Sat movere deberet ad quotidie celebrandum, exemplum illius ſervi pigri in Evangelio, quem Dominus *ſervum nequam* vocat, ex eo, quòd accepto talento, non fuerit uſus, ſed foderit in terram. Quantum talentum commiſſum Sacerdoti, ut ſit Mediator inter homines peccatores & Deum, utque ſit actor cauſarum totius mundi coram Sanctiſſima Trinitate, ut ait S. Chryſoſtomus lib. 6. de Sacerdotio, verba ſunt ejus: *Sacerdos pro univerſo orbe terrarum legatus intercedit, deprecatorque eſt apud Deum, ut hominum omnium, non viventium modo, ſed etiam defunctorum peccatis propitius fiat.* Et idem hom. 6. in 1. Tim. 2. *Sacerdos quaſi communis quidam pater eſt. Dignum igitur eſt, ut omnium curam agat, omnibus provideat, ſicut & Deus, cujus fungitur vice.* Cogitet igitur Sacerdos, ſi Deus providentiam & curam ſubtraheret vel uno die, quid fieret in mundo? Idem ſibi imputet, ſi negligat hanc curam vel uno die. S. Amb. adhuc plus exigit à Sacerdotibus in c. 3. Tim. *Sacerdotes die ac nocte pro plebe ſibi commiſſa oportet orare.* Nota die ac nocte.

3. Confundit & confundet aliquando non celebrantes quotidie Sacerdotes Job gentilis, de quo Job. cap. 1. Quod habebat *filios qui faciebant convivium per domos, unusquisque in die sua, pro quibus Job consurgens diluculo offerebat holocausta pro singulis*. Nec sine ratione. Dicebat enim; *Ne fortè peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis*. Sic faciebat Job *cunctis diebus*. Si quis certè Parochis quotidie, seu cunctis diebus offerendum holocaustum. Ipsi enim sunt Patres, ut supra citatus S. Chrysostomus ait, qui habent tot filios, quot sibi commissos habent Parochianos. Nonne justè indies sibi occinere possunt. *Ne forte peccaverint filii mei*, sicut enim Pater pro filiis strictam reddet rationem, sic Parochus pro quolibet sibi Parochiano commisso, ejusque commissis peccatis reddet rationem. Quotidie à tuis filiis peccatur ô Paroche, quotidie placari debet Deus, ne tibi imputentur illorum, à quibus illos liberare, & conservare potuisses peccata, per quotidianam celebrationem.

4. Audite Fratres charissimi aliquo modo negligentes & desides in celebrando, qui sine causa quotidianum omittitis Sacrificium. Audite S. Bonaventuram cum Venerabili Beda, tractatu de Præparatione ad Missam cap. 5. *Cum Sacerdos absque peccato mortali, in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, ex negligentia celebrare omittit, tunc quantum in ipsô est, privat Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, justos & subsidio & gloria, in Purgatorio existentes refrigerio; Ecclesiam Christi spirituali beneficio, & se ipsum medicina & remedio, contra quotidiana peccata & infirmitates, quia sicut ait Ambrosius: Si quotiescunque effunditur Sanguis Christi, toties in remissionem peccatorum effunditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur, quia*

semper pecco, debeo semper accipere medicinam. Item: Privat se omnibus talibus provenientibus ex sacra communione, quæ sunt peccatorum remissio, fomitis mitigatio, mentis illuminatio, interior refectio Christi, & corporis ejus mystici incorporatio, virtutum roboratio, contra Diabolum armatio, fidei certitudo, spei elevatio, charitatis exercitatio, devotionis augmentatio. & Angelorum convivatio. Item, non complet sibi injunctum magnæ dignitatis obsequium, nec officium exercet debitæ servitutis Dei, & tamen scriptum est: Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Item contemnit Christi præceptum de observantia hujus Sacramenti, ideo Christus comminatur: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Item abjicit viaticum suæ peregrinationis, exponens se periculo mortis, quia nisi recipiat alimentum corporis Christi, & vitæ vegetationem, efficitur sicut aridum membrum, ad quod non transmittitur corporalis cibi nutrimentum. Ultimò quantum in illo est, evacuat divinum cultum, & latriam Creatori debitam, ingratus de beneficiis. Unde dicitur in Numerorum lib. *Si quis mundus est* (scilicet à peccato mortali) *& in itinere non fuerit* (scilicet aliter impeditus) *& non fecerit Phase, anima illa de populo suo exterminabitur, quia Sacrificium non obtulit Domino in tempore suo.* Ergo quantum potes, toto conatu, per exercitium boni operis, lachrymarum contritionem, & devotionis flammam, expelle à te omnem teporem & negligentiam, ne inveniaris respuere tantorum charismatum dona. Hactenus verba S. Bonaventuræ. Videte jam, quàm multis injuriam facitis negligentiâ vestrâ, qui omnes accusatum consurgent contra vos, in illo tremendo die furoris. An parum putatis Deum privare laude & gloria? Miseros peccatores in terribili statu peccati mortalis, privare venia? Justos quos Deus sitit, ex Sacrificio vestro singulari sub-

ſidio & gratia decorare, eosdem hoc theſauro privare, & pro guſtu Domino Deo maximum diſguſtum commovere? Quid dico de exiſtentibus in purgatorio, inter quos fortè etiam parentes, fratres, ſorores aut conſanguinei veſtri reperiuntur, crudeliter in graviſſimis pœnis privare refrigerio? Certè crudelitas non infima. Optarem, ut unicuiq; Sacerdoti, quaſi monitor aliquis, quotidie Divinus Kempiſius illud ſuum intonet lib.4.c.5. *Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos lætificat, Eccleſiam ædificat, vivos adjuvat, defunctis requiem præſtat, & ſeſe omnium bonorum participem efficit, procul dubio; conſcientia urgente*, quotidie celebrarent, conſequenter multo facilius peccata evitarent, nauſeamque contraherent. Sed videamus objectiones raro celebrantium.

§. II.

Objectiones contra quotidianã Miſſæ celebrationẽ.

I. SEculares Sacerdotes potiſſimum qui curam habent ſimul rei familiaris objiciunt. *Tempus non habeo.*

Hæc non in frequens ſors benigniſſimi Dei noſtri: quo benignior eſt in homines, eo ipſi pejores, largitatem bonitatis Divinæ ſolvere neſciunt, niſi ingratitudine & turpi parcitate. Magna bonitas & largitas liberaliſſimi Dei, tot horas concedentis homini; Viginti quatuor horas die ac nocte. Et ex viginti quatuor horis, Sacerdos haud impendet mediam horam ditiſſimo & abundantiſſimo Sacrificio, in quo per mediæ horæ ſpatium, immenſum & æternum licet ſumere theſaurum? Ex 24. horis, mundo, rebus terrenis!, utinam non etiam Diabolo, & peccatis, liberali animo conceſſis Deo, & æternitati feliciſſimæ ſubtrahere unam mediam horam? Verè fatuitas inſignis! ô res digniſſima omni confuſione. Deus panem de cœlo offert, homo ſurdus contemnit, panem Angelorum negligit ſuſcipere, aurâ terrenorum eligens ſaturari, cum tamen ille ſolidus ſit hic inſtar fumi. Paſcua cœleſtia miſeri perdunt, & ab ejuſdem Dei converſatione diſcedunt, ne in temporalibus vel modicum patiantur detrimenti, aut ne ſe præparent parvo labore, aut neſcio potius, quo inſtinctu, quare fugiunt? Cur ſeſe à Deo ſejungunt? Maximis ſpoliant opibus, & ornamentis, ut quæ amoris Divini vilipendunt, quas commentus eſt ipſe Deus, ut ad ſe

 tra-

traheret homines,eos nutriret, in se ipsum transferret. Multi sunt, rationem non habent: Sæculares sanè aliquam adferant,Sacerdotes nullam,quæ digna sicut admittatur. Poterit enim Sæcularis dicere: Tempus non habeo. Uxorem enim duxi, familiæ cura mihi incumbit,nequeo toties me expedire à negotiis, & præparare communioni,forsan satisfaciet. Alter dicet: Operarius sum, nequeo victui lucrando deesse,mercator emptione, venditione, impedietur. At Sacerdoti nihil horum est,cum ipse dicatus sit cultui divino, Altaris ministerio consecratus. Ad hoc munus se obtulit,cum Ordinem sacrum suscepit. Unde & Clericus vocatur,id est,Dei & Ecclesiæ servitio mancipatus.

2. *Non sum paratus,& paratum oportet accedere.* Certissimum,imparatum accedere, nefas & scelus. Intonat enim S.Apostolus 1. Cor. 11. *Probet autem se ipsum homo,& sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit,non dividens corpus Domini.* Si paratus non es,te para. Utique non integro anno,aut integra septimana opus pro præparatione. Certissimum, secundùm proportionem ad dignitatem & excellentiam Sacrificii,nec tota vita, nec centeni sufficiunt anni, ut digne homo peccator conficiat corpus & sanguinem Hominis-Dei,eundemque sumat, atque sic nunquam esset paratus, aut dispositus.Si enim haberes Angelicam puritatem, & S. Joannis Baptistæ Sanctitatem, non esses dignus hoc Sacramentum accipere,nec tractare,ait Kempisius lib. 4. c. 5. Unde etiam Sanctissimus quisque, post omnem possibilem & optimam dispositionem, in Sacro ante Communionem dicit. *Domine non sum dignus.* Secundùm autem proportionem ad nostram paupertatem atque fragilitatem, ea tantum exigitur à nobis, quam quantum ex nobis est,cum gratia

Dei

Dei adferre possumus. Optimum brevissimum, ac facilem modum se disponendi, Kempisius lib. 4.c.7. toto, quem perlegas, & tuam excusationem inanem reperies. Præterea sacrum unum, est dispositio ad aliud, quomodo enim melius disponi potes, quam si ipsemet te disponat, propter quem dispositio fit. Si quotidie celebrabis, erit celebratio matutina custodia tibi contra peccata per totam diem absoluti Sacri. Si in continua reflexione perseveraveris, quæ hodie egeris, cessabunt manus à peccati, minoris actib. quia tractârunt Deum. Horrebit lingua spurcitias, detractiones, mendacia &c. &c. proferre, quia Deum è cœlo evocavit consecratione. Oculi nauseabunt objecta peccaminosa, quia Deum viderunt sub speciebus. Fugiet cor ab illicitis desideriis, quia illum suscepit, in quo omnia desiderabilia & quidem licita &c. Vesper & antecedaneum tempus ante Sacrum, iterum dispositio ad futurum Sacrum. Ne sit excusatio calva, cape & dispositionem, & gratiarum actionem accuratissimam, ex Provisionibus senectutis P. Gasparis Druzbicki mihi fol.97. Cum non unicuique liber sit, ad manum eam hic appono.

Quater sancta Quaternio (id est sanctissima Trinitas, Deus & Homo, Dei Hominis Mater, & electi ac sancti Dei. His quatuor, propter diversum cultum, titulus communis dari potest quater sancta Quaternio) toto te, toto me, tibi actiones & passiones, seu mutationes totius vitæ, substantiæq; meæ, (imò & omnium, quantũ in me est, creaturarum) unitas actionibus, & passionibus, & meritis totius vitæ Domini mei Jesu Christi, in realem, verbalem, cordialem, præteritam, præsentem, & futuram, omnimodam, possibilem, infinitam, incessabilem, offero, consecro, trado, sacrifico. Gratiarum actionem, laudem, adorationem, amorem, venerationem, exaltationemque tui. Itemque in præparationem

ad futuras Missas &Communiones,& Confessiones Sacramentales. Item in dispositionem ad gratias omnis Sacrificii,Sacramenti,beneplaciti,actuales, habituales, opportunas,efficaces, perseverantes, finales. Idem in satisfactionem pro defectibus omnibus quidem, at in specie Missarum, & Communionum & Confessionum mearum,pro omnibus meis tam culpæ quam pœnæ obligationibus, potissimumque omnibus pœnis spiritualibus.Item pro animabus in purgatorio. Item pro gratia fervoris in vita & morte,proque S. morte,& pro finali in bonitate,sanctitate, perfectione & statu perseverantia.

3. *Reverentia & Humilitas.* Timeo,ne se Diabolus hic transformet in Angelum lucis. Ipsius enim studium continuum,sub prætextu boni retrahere à bono,à salute æterna. Et ubi potior salus quàm in Sacramentis? Scio quod dicant spirituales viri,posse interdum Communionem differri, ad conciliandum majorem reverentiam,tamen Sacerdoti non facilè abstinendum à Missa, quia majori cautione quàm laicus differt communionem: quod tamen raro fiat. Ut Suarez Theol.consultè Tom.3. disp.69.sect.4.ad finem.*Non est negandum, ait, posse interdum hujusmodi frequentiam differri,ad conciliandum majorem reverentiã,id tamen potius debet esse rarum,& extraordinarium,quam frequens.Ne fortè contingat illud Psal.*101.*Percussus sum ut fœnũ,& aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meũ.* Huc usque magnus Theologus. Demus duos Sacerdotes hac Dominica celebrare, pari devotione, & dispositione,similiter altera Dominica pari diligentia se præparare, cavere item à peccatis, pari studio, unus verò humilitatis & reverentiæ causa differat in sequentem Dominicam, alter celebret tota septimana. Haud dubio hic excellentius erit dispositus sequenti Dominica,quàm iste qui non celebrarit, prætereà superat illum maximis divitiis, quas sibi,totique Ecclesiæ accumulat. Quod de

octo

octo diebus dicitur , eadem ratione de quatuor, duobus, uno dici potest, nempe cæteris paribus, qui celebrat, longe non celebrantem excellit. Vera religio est offerre Deo Sacrificium Filii incruentum. Vera reverentia est, sacra Mysteria venerari, quoad possumus devotè celebrando. Vera humilitas est, agnoscere tantam in nobis infirmitatem, ut vel pedem figere nequeamus, sine præsidio Dei Authoris Sacramentorũ. Et licet solum Dæmonis averteremus lætitiam, qui enixè curat ne celebremus, conandum eò nobis esse vehementius, cum certi simus, perpetuas ejus esse curas. ut damna in nos procuret maxima.

4. *Ad quid celebrandum nullus venit ad Sacrum?* Hæc objectio est certè valde simplicis, aut hominis minoris fidei. Ergo frater mi non credis, quòd ibi absint tot millia millium Angelorum etsi tibi invisibiliũ. Adsunt suspiriis suis gemitibus inenarrabilib9 afflictissimæ animæ purgatorii. Adsunt si non corporaliter, saltem secundùm spiritum mendicantes captivi, per te liberationẽ poscentes, à gravissima captivitate, adest totus mundus, supplicẽ libellum manibus tuis porrigens Deo. Adest Ecclesia S. per te amorem suum sponso suo deferens. Ades & ipse tu, nudus, miser & miserabilis, de te dici potest illud psalmi, licet alio sensu: *Oculi omniũ in te sperant Domine*, Deus exspectat honorem Angelus lætitiam, Ecclesia ædificationem, vivi juvamen, defuncti requiem, tu ipse tibi participationem omnium bonorum.

5. Est illud commune. *Quotidie celebrans, aut Angelus, aut Diabolus*. Consentio & ego huic objectioni: sed ideò quotidie celebrandum, ut non Diabolus fiat sed Angelus. Experimentum habemus in ultima Cœna Christi Domini, dum ore Divino protulit: *Unus ex vobis Diabolus* , scilicet Judas Iscariotes , proditor & tamen eidem , & facultatem dedit celebrandi. Omnibus enim dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, eidem etiam porrexit sub speciebus, corpus & sanguinem suum, procul dubio ideò, ut ex Diabolo fieret Angelus, quod non factum sit, ejus avaritia, superbia, & pertinax voluntas in causa , quæ omnia caveat Sacerdos. Utiq; commune bonis & eruditis confessariis, habitudi-

natis peccatoribus, vel maximè in materia carnis, in Sacramento pœnitentiæ, injungere frequentem communionem. Cur hoc remedio non utatur Sacerdos, si sentiat se esse Diabolum, & habitudinatum in peccatis. Utique hoc Sacrificium est medicina & remedium contra peccata & infirmitates, ut ait S. Bonaventura sup. citatus. Sacerdotes utique vocantur Angeli, id est, Missi, Malach.2.v.7. *Sacerdos Angelus Domini exercituum est.* Missi enim sunt à Deo ad peccatores, à peccatoribus ad Deum, ideò omni conatu studeant esse re ipsa Angeli, imò plus quam Angeli, quod fieri non potest, nisi per frequentem celebrationem, ubi Christus Dominus Filius Dei Sacerdoti incorporatur, & unum fit cum Deo, & in Christum mutatur, sicut dicit Christus Dominus apud D. Augustinum. *Non tu mutabis me in te, sed ego mutabo te in me.* O felicitas! pereant omnes occupationes domesticæ, pereant omnes thesauri, maximus thesaurus Jesus, Filius Dei, celebres quotidie secundùm modum superius præscriptum, & senties in te Angelicam puritatem, amorem Seraphicum, zelum Apostolicum, fortitudinem Martyrum, resignationem Confessorum, senties dona extraordinaria Sanctis concessa. Poteris cum jubilo occinere. *Vivo ego jam non ego, sed vivit in me Christus.*

CAPUT XIV.

Unde sit, quòd quidam quotidie celebrantes in Spiritu nihil proficiant, ex Theologis rationes petitæ.

1. HÆc est causa, quòd tremens dico, quare multi quotidie celebrantes, & post multos Sacerdotii annos,

annos, modica ex hoc cruento Sacrificio & mirifico Sacramento dona cœlestia recipiant, quia parum parati, vitâ bonâ & consideratione sancta ad ipsum manibus offerendum, & ore sumendum accedimus. P. Jacobus Alvaretz de vita religiose instit. lib. 1. c. 8. poster. edit.

2. Ex modo accedendi ad Sacrificium Missæ, aut ad S. Communionem, pendet omnis ejus fructus & utilitas: Qualis enim est nostra dispositio, sive præparatio, talis erit & gratia quam recipiemus. Molina Institut. Sacerd. Tract. 4. c. 1. §. 2.

3. Raro Devotio in Altari conceditur, si mens ad fervorem non antea præparetur. Joannes Thrithemius Abbas lib. de Tripl. reg. claust. Opera ejus in suo tomo edidit Joannes Busseus Soc. Jesu.

4. Malè devotioni suæ & attentioni sub Sacrificio consultum reperiet, qui immediatè à studiis, negotiis, colloquiis & curis externis, ad Missam sese contulerit, quamvis jam ante præparationem præmiserit. Ita P. Consalinerius Soc. Jesu in opusculo de celebratione Missæ, vocans gravem hanc esse illusionem, & addit: Mirum est, quod muscæ & harpyjæ, non ad polluendum Sacrificium, sed ad inquinandum hujus hominis mentẽ ad distrahendum involent & incursent. *Adde tamen limitationem ex Thoma à Kempis; Si in omni loco, & in omni actione, & occupatione externa, tam esses intimus, liber, & tui ipsius potens, ut omnia essent sub te, & tu non sub eis, ut esses Dominus actionum tuarum, & rector, non servus, nec captivus, ut transitoria sinistro oculo intuereris, & dextero cœlestia &c. tum inquam, non admodum videretur incongruum, ab externis negotiis ad Sacrificium transire. Lib. 3. de Imit c. 38.*

5. Modus præparandi nimis imperfectus, & omnis internæ consolationis expers est, non nisi vulgares seu consuetas precandi formulas, ante vel post Missam usur-

usurpare (e.g. accessum & recessum qui est in Missali) ita Laudanus Episcopus in Opusc. Orat. Sacerd. Addo, nisi hæ orationes, cum peculiari devotione dicantur, per secundum orandi modum à S. Ignatio Fundatore Societatis Jesu traditum.

6. De mortalibus ante Missam vel Communionem confitendis, etiamsi quis contritus sibi videatur, est speciale præceptum, Trid. Sess. 13. c. 17. Quod si urgente necessitate confiteri non possit, quam primum confiteatur.

7. Qui cum conscientia peccatorum venialium, per confessionem aut per contritionem non deletorum communicare præsumit, exiguum fructum refert. Ita S. Thom. 3. p. q. 80. art. 10. Et Suar. Tom. 4. Dist. 11. Sect. 3. Asser. 3. Addens id verum esse, maximè de peccatis illis, quæ in habitum versa, altas in anima radices egerunt, potissimum quando sunt inordinatæ ad res creatas affectiones. Ut ergo fructum haurias ex quotidiana celebratione, & communione, fac quod in te est, & diligenter facito, non ex consuetudine, non ex necessitate, sed cum timore, & reverentia, & affectu, accipe corpus Domini Dei tui. Thom. de Kempis lib. 4. c. 12. & c. 2. ait. *Ideò nova semper mentis renovatione ad hoc disponere te debes. Ibidem subjungit, ac si eadem die Christus primum in uterum Virginis descendens Homo esset factus, aut in cruce pro salute hominum pateretur, & moreretur.*

Præterea serva præparationem remotam & proximã.

Præparatio remota est; 1. Continuum studium puræ & sanctæ vitæ. 2. Sublimis æstimatio & sensus de hoc mysterio, per exercitium fidei. 3. Frequens petitio gratiæ à Deo pro tanto mysterio dignè tractando.

Præparatio proxima est; 1. Discussio conscientiæ, confessio vel actus contritionis. 2. Actus fidei. 3. Actus humilitatis. 4. Intentio. 5. Actus spei. 6. Actus charitatis. 7. Desiderium & fames. 8. Ornatus. 9. Postulatio benedictionis.

ctionis. Tandem tanto melius ſemper præparatus eris, quanto melius & humilius præparationis tuæ defectum, tuamq; imbecillitatẽ agnoveris Thom. de Kemp. l. 4. c. 12.

CAPUT XV.

Doctrinæ Theologorum circa ipſam Miſſæ celebrationem aut Communionem.

1. ACtualis devotio in hujus Sacramenti uſu, ſemper quantum poſſibile eſt, procuranda. Conſiſtit autem devotio hæc, in ardentibus affectibus Religionis, humilitatis, fidei, reverentiæ, amoris, gratitudinis, reſignationis &c. De hac devotione diſputant Theologi, An ejus defectu impediatur effectus gratiæ Sacramentalis. Vide Suar. in 3. par. diſp. 63. Sect. 3. Primarius & reſpondens operi operato non impeditur, ſecundarius & reſpondens operi operantis, etiam quoad augmentum gratiæ & gloriæ impeditur, & propterea, talibus gratiæ actuales, excitantes, efficaces, denegantur; quæ conferuntur cum actuali devotione celebrantibus aut communicantibus.

2. Exterior Sacerdotis celebrantis maturitas, reverentia, & pia corporis compoſitio, non tantùm celebranti utilis eſt, & decora; ſed etiam in audientibus fidelibus excitant æſtimationem tanti myſterii, & devotionem, utiturque illâ Deus, tanquam inſtrumento, ad dandas audientibus fidelibus gratias excitantes, ſic P. Ludov. de Ponte in vita P. Balthaſaris Alvarez c. 6. §. 1. refert, quendam permotum ad ingrediendum Societatem, ex Patris Balthaſaris devotione, modeſtia, gravitate, & totius corporis compoſitione, in Miſſa cui intererat.

3. Antonin. Molina procemio ad lib. de Inſtr. Sacerd. ait; Sæpenumero videmus, ſacratiſſima myſteria celebrari, tã modica gravitate & decore, ſine modo, ſine ceremonia, pronuntiatione, ut cum qui id intueatur, penitus ex affe-

affectu, dolore, concuti necesse sit. Certum quippe est, si gentilem mystam videremus, litantem idolis, ea celeritate, an levitate dicam, quâ plures Christiani offerunt Deo æterno Unigenitum crucifixum, quibus non sannis, jocisque eum exciperemus? Et quot lachrymas meretur, si nota ipsis essent sancta, quæ in Missa tam abjectè tractamus, nunquid certo nobis non illuderent & ipsi?

4. Ponderosa sunt verba Card. Bellarm. Conc. 9. Dominicæ quartæ Advent. & de Gemitu Columbæ lib. 2. c. 5. Considerate, ait, quam triste & deplorandum sit spectaculum, videre Sacerdotem Divina mysteria peragentem, Angelorum choris undique septum, quæ ad ea quæ ipse operatur, & loquitur, stupent ac tremunt, & præ admiratione ingentes clamores excitant, & tamen Sacerdos, in medio positus, totus friget, & quasi stupidus, non attendit quid agat, non intelligit quid loquatur, & ita properat ad finem, ita signa involvit, ita verba præcipitat, quasi latrones post tergum haberet, & satis temporis ad fugiendum non esset: Et tamen, non propterea singultum conscientiæ patitur. Sic sacræ res contemnuntur, sic Deus irridetur, sic ridendi materia hæreticis datur. Clamamus in Sacramento Altaris, Christum ipsum esse, & interim nonnulli ita se gerunt, ita ista Sacramenta pertractant, quasi nihil minus verum esse putarent, & quasi Deum marmoreum, vel plumbeum haberemus, qui nihil sentiret, nihil videret, nihil audiret.

5. Quando Sacerdos ex præscripto Missalis genua flectit, non leviter genibus se incurvet, sed ut adorantem Deum vivum & verum, in Spiritu & veritate decet, usque ad terram, sese in genua dimittat. Ita Octav. Fran. Episcopus Tricar. in direct. discip. Ecclesi-

titu-

titulo de Divino officio, alias non ſatisfaciet præſcripto, ut ait Gauand. in Theſaur. Sacerd. Rit.

6. Totum Sacrum, Miſſæ Canonem, aliasque orationes quæ ob myſterium ac Religionem tacitè pronuntiandæ ſunt, ſic pronuntiet, ut ipſe quidem diſtinctum verborum ſonum leviter percipiat, adſtantium autem proximè nemo percipere diſtincta verba poſſit. Ita Epiſcopus Tricar. ſup. citatus num. 17.

7. In faciendis Crucis conſignationibus, præſcriptam à Rituali libro formam exactiſſimè obſervet, ne circulos, aut quævis alia ſigna potius, quam Crucis ſignum formare videatur. Idem ibidem num. 29.

8. Ceremonias exteriores, aliàs mortuas Spiritu animabis, ſi eas pulchrè, attentè, graviter, & cum quadam dignitate perficias, ſi cùm genuflectis, ita id facias ut qui Deo ſubmiſſionem profiteris, vel cultum latriæ defers. Si cum hoſtiam & calicem benedicis, ita ſigna illa ſacra facias, ut qui Sacrificium Deo acceptiſſimum benedicis. Si cum Miſſæ verba profers, ita diſtinctè & clarè proferas, ut qui Deum ipſum alloqueris. Sic denique iſta omnia ibi dicas & facias, ut dignum eſt voce & actione perfici, quæ Dei Spiritu S. Eccleſiam regente, approbata ſunt & inſtituta. P. Jacobus Alvaretz de vita Relig. lib. 1. c. 9. §. 2.

9. Præſcindendo à ſubjecto malitiam hujus rei, non advertentem, & judicando rem ex Objecto, Sacerdos celebrans properanter ac indecore videtur, peccare mortaliter. Tum quia gerens perſonam Chriſti, repræſentat Chriſtum tanquam aliquem mimum. Tum quia, ſi celebrare in corporali notabiliter immundo, eſt peccatum mortale, multò magis indecore celebrare erit mortale, cum major per hoc fiat irreverentia Sacramento & Sacrificio, quam per immundum corporale.

Tum

Tum quia per hoc vilificationi & ludibrio Sacrificium exponitur.

10. Pater Richardus Flaminius Soc. Jesu, ajebat subinde magnos Dei servos puniri quibusdam morbis, quorum nemo causam intelligit, idque fieri propter irreverentias quasdam,& defectus, quos committunt in rebus divinis intra Missam ex lib.Ingolstad.Mis.de Virtutibus Soc.c.18.§.49.

APPENDIX.

Quam horrendum sit Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare in peccato mortali.

Ex Revelationibus B.Birgittæ lib.1. c.47. lib.4.c. 135. & lib.6.c.9.

Colloquium Christi Domini cum B.Birgitta.

ILle Presbyter pro quo tu oras,cum accedit ad Altare, tunc averto faciem meam ab eo, & adstant ad latera ejus dæmones,cujus & animam inhabitant,quia ipsa est mortua ante me.

Cum imponit sibi superhumerale, hoc est amictum, dæmones obumbrant animam ejus, ut non cogitet, & non intelligat, quam terribile est accedere ad Altare meum,& quam mundus esse debet, qui mihi mundissimo adstare debet.

Cum induit se Alba, duritia cordis & indevotione induitur, quia cogitat peccatum suum non esse grave, supplicium æternum futurum non magnum; & quale gaudium est æternum,nunquam venit in mentem ejus.

Cum cingit se cingulo,tum ligatur voluntas ejus cum Diabolo,ita quod velit & proponat morari in peccato, & tunc dissolvitur charitas mea ab eo,quia voluntas ejus est ad omne id,quod Diabolus ei inspirat in mentem.

Cum imponit sibi manipulum,omnia opera ad Deum sibi fiunt gravia,& onerosa, terrena autem levia.

Cum

Cum imponit ſibi ſtolam, Diabolus grave jugum imponit collo ejus, & ſic onerat animam ejus, quod non ſinit eum ingemiſcere vel conſiderare peccatum ſuum.

Cum induit ſe caſula, tunc perfidiâ induit eum Diabolus. Quando autem legit Confiteor; Dæmones reſpondent; mentitus es, nos ſumus teſtes quod confeſſio ejus eſt ſimilis Judæ. Quia dicit aliud ore & aliud habet in corde.

Quando vero conſecrat corpus meum, tunc fugiunt dæmones ab eo, & corpus ejus remanet quaſi truncus, quia anima ejus mortua eſt ante oculos meos.

Cum autem corpus meum applicat ad os ſuum, ex præſumptione illa, omnis turba dæmonum revertitur ad eum, qui charitatem nullam habet ad me.

Ecce tales Sacerdotes non ſunt mei Sacerdotes, ſed veri proditores, ipſi enim & me vendunt, quaſi Judas, & produnt. Ego conſpicio paganos & Judæos, ſed nullos video eis deteriores.

Quia ipſi Sacerdotes ſunt in eodem peccato quo cecidit Lucifer.

Maledictus ſit cibus & potus eorum, qui intrat in os eorum, & paſcit corpus in cibum vermium, & animam in infernum.

Maledictum ſit ergo omne quod de terra ad utilitatem ſuam receperint, quia non laudant Deum & Creatorem ſuum.

Maledicti ſunt à cœlo, & terra, & ab omnibus creaturis inſenſatis, quia ipſæ obediunt Deo & laudant, iſti ſpernunt.

Maledicta ſit hora, quæ incipit eis in inferno & nunquam finiet.

Maledicti ſint anni eorum, quibus vixerunt inutiliter.

Maledictus ſit viſus eorum, quia non videbit viſionem Dei in me ſed tenebras & pœnas inferni.

Maledictus ſit guſtus eorum, quia non guſtabunt de bonis meis æternis gaudium, ſed amaritudinem æternã.

Ma-

Maledictus sit tactus eorum, qui non tractabunt me, sed ignem perpetuum.

Maledictus sit odoratus eorum, quia non odorabunt odorem illum suavissimum in Regno meo excedentem omnia aromata, sed fœtorem in inferno habebunt amariorem felle, & pejorem sulphure.

Maledictum sit corpus eorum, quod resurget in inferno sine fine arsurum.

Propterea juro in veritate mea, quia sum veritas, quod si sic moriuntur, sine fine damnabuntur. Væ talibus quod unquam nati fuerint: ipsi enim profundius cadunt in infernum quam aliquis alius.

Sacerdoti indignè celebranti exhortatio.

HEu miser Sacerdos, qui mortuus cœlo vivis in inferno, atque Diabolum habes in corde tuo, & ad Sanctum accedis, ad Altare, ad profanandum Sanctuarium Dei, & illudendum nomen sanctum suum: Ore benedicis & corde maledicis. In faciem benigni Salvatoris conspuis, dum verba Sacramenti immundo ore profers, & majestatem illam in quam desiderant Angeli prospicere, & omnis curiæ cœlestis exercitus incessabili voce proclamat Sanctus, Sanctus, Sanctus, tu impiè irrides, ac blasphemas, quando ore siles & ore velut canis latrans, clamans; Domine non sum dignus &c. Et ponis illam sanctissimam carnem in os tuum immundum, & Spiritu S. in utero Virginis immaculato conceptam, eam quæ est mundi pretiũ, dentibus tuis venenatis mordes, devoras, & projicis in sterquilinium animæ tuæ, quasi in lutum platearũ. Non minus est detestabile in os pollutum quam lutum sepelire Dei Filium, Patrem tuum, Creatorem & Redemptorem, pretium Redemptionis nostræ. O Judæis pejor & Juda deterior, horret infer-

nus

nus & contremiſcunt Diaboli, cum tu temere præſumis corpus & ſanguinem Chriſti indigne manducare, & ſi non morieris poſt ſacrilegam ſumptionem ut Judas, vives pro majori ſupplicio & graviori pœna, & ſi non convertaris, theſaurizas tibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ejus & tanto diſtrictior erit in judicio, quanto tibi ante judicium majorem patientiam prorogavit. Agnoſce frater chariſſime Sacroſanctam regalem dignitatem tuam, quali honore ſis inſignitus: Quem Virgo & Mater genuit, tu verbis concipis, & quali menſa fruaris: carne & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti paſtus es: ô felix exercitium, ô ſanctitudo manuum, ô lingua benedicta, ô pectus ſacratum, ô venter beate, ſi hoc manè ea puritate mentis & corporis qua decet, recipies corpus Chriſti, eris altera Maria, cujus venter paradiſus Filii Dei & ſacrarium Spiritus Sancti.

Oratio.

BEnigniſſime Jeſu fons amoris, Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, qui pro ſalute humani generis corpus tuum Sanctiſſimum pignus futuræ gloriæ nobis filiis & hæredibus reliquiſti, quod ſola fide cernitur, & corde firmiter creditur, communione carnis & ſanguinis tui nos Divinitatis eſſe participes voluiſti, te humiliter deprecor ego cinis, pulvis, nihil, antequam accedam ad altare tuum quod eſt cœlum & paradiſum, mihi concedere digneris tuam S. benedictionem, perfectam cordis contritionem, oris plenam confeſſionem, & operis completam ſatisfactionem, ut tuum S. Sacrificium, immaculatam hoſtiam cum lachrymis offerens in ſublimi Altari tuo nive candidior, lilioq; purior digne recipere valeam in remiſſio-

nem peccatorum meorum omniumque vivorum, in refrigerium mortuorum, in gaudium Sanctorum, in lætitiam Angelorum & in totius Trinitatis gloriam sempiternam Amen.

Romæ ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ 1658. Superiorum permissu. Deinde Posnaniæ 1659.

CAPUT XVI.

De Communione extra Sacrum.

POtest contingere, ut devotus Sacerdos se sola Communione sacramentali extra Sacrum reficiat, sicut tempore infirmitatis, vel etiam Feria quinta magna, ubi plures sunt Sacerdotes ad Ecclesiam, & unus tantum celebrans; Non abs re erit, actus ad Communionem, & post Communionem ponere, sit itaque

§. I.

Præparatio ad Communionem.

DUplex est ad Communionem Eucharisticam præparatio. Prima fit confessione de peccatis, satisfactione, jejunio, afflictione corporis, condonatione injuriarum, deprecatione si quem læsisti. Et hæc dici potest præparatio remota. Secunda est proxima, quæ nomine devotionis appellari potest, & hujus nunc actus aliquos practice explicatos, offero exercendos ante ipsam Communionem.

Præconceptio futuri operis.

DEus meus, quis es tu & quis ego? Deus magne & grandis nimis, Deus majestatis, Deus cui cogitatio nulla par, Deus nunquam dignè æstimabilis, Deus nihil horum omnium quæ cogitantur, aut sunt, sed super illa omnia. Ego autem quis sum? Ego peccator, ego miser, ego nihil, & quid jam vilius cogitem, cum nihil vanius sit? Illud quod omnium vanissimum, quod ipsa vanitas est, hoc sum. Et ista duo extrema tam dissita, tam dispa-rata, tam dissimilia, hodie conjungentur, conviscera-

bun-

buntur, tantusque Deus tantillo homini incorporabitur. O Sacramentum! ô Myſterium! Vere Sacramentum, verè myſterium, arcanum, abſconditum, abditum, latens. Quis enim capiat Deo jungi hominem? Corpore Dei paſci hominem? O Domine, ſi tu ob immenſam dignitatem tuam non agnoſcis te, ſine ſaltem, ut mea vilitas cognoſcat ſe, & quidem meritò reformidet conjungi tibi. O cor meum, quàm audax & temerarium es, quod vel cogitare audes, accedere ad tale Sacramentum. Ergone ego adibo, cupiam, capiam illum, quem cœli cœlorum capere non poſſunt, qui omnibus deſideriis major eſt, qui lucem habitat inacceſſibilem. Obſtupeſcite cœli ad conjunctionem iſtam, Deus homini. Homo Deo conjungendus eſt: Deus hominem paſcit? Deus fit cibus hominis? & Homo Deo paſcitur, facitque ſuum cibum Deum.

Fides.

CRedo mi dulciſſime Amor, mi Jeſu, te in ſanctiſſimo Sacramento, quod recepturus ſum, eſſe cum Divinitate, corpore, anima, ſanguine, meritis, virtutibus, gratiis, vivum, totum, omnipotentem, & credo, quia tu dixiſti illud; Hoc eſt enim corpus meum.

Intentio.

OFfero tibi dulciſſime Amor, mi Jeſu, Communionem hanc quam facturus ſum, ad majorem nominis tui honorem & gloriam, ad magis tibi placendum, & me uniendum, ad hoc ut per præſentiam & unitionem tui Sacratiſſimi corporis & animæ, liberer à gravibus malis corporis & animæ, quibus premor, & quæ mihi ingruunt, ut de liberaliſſima dextera tua accipiam, donum puri cordis, caſti corporis, orationis, Humilitatis. &c. Ut gratias tibi agam pro omnibus beneficiis tuis tota vita mihi præſtitis, & præſtandis, ut colam laudemque te Deum meum, ſanctoſque amicos tuos, præſertim pretioſiſſimam Virginem, Dominam,

Matremque meam , Angelum custodem, Patronum menstruum,& hujus diei. Ut Ecclesiæ, regno, civitati, loco isti,tuam singularem protectionem impetrem, ut juvem proximos meos tam vivos quam defunctos,præsertim qui mihi commendati sunt,vel commendati esse deberent,ut consequar indulgentias ex thesauro Ecclesiæ concessas. Ut habeam memoriale præsens amarissimæ passionis tuæ,ut spiritum in me languentem & tepentem excitem,calefaciam, & transformer totus in te,tuque maneas & vivas in me,ut spiritum tuum imbibam,quo vivam cum illa humilitate, charitate, castitate, corporis mortificatione,contemptu mundi, zelo animarum,gloriæque tuæ, cum quo tu vixisti, ut pro inimicis meis, tam publicis quam privatis, tibi aliquid dignum offeram,ut gratiam tuam abs te illis impetrem, ut officiorum, negotiorum præpositorum felicem successum obtineam.

Abrenuntiatio.

ABrenuntio dulcissime Jesu, quem in sanctissimo Sacramento quam dignissimè recipere cupio, omnibus iis, quæcunque tibi aliquo modo in me displicere possunt. Facessite à me omnia peccata, vitia, prava desideria,inclinationes,motus,proposita, abite & exultate pestes,omniaque opera tenebrarum,nunquam reditura, lux enim æterna, & sol perpetuus nunquam occasurus, mihi jam jam exorietur. Exuo dulcissime Jesu, omnes imperfectiones & defectus, ut nudus totus in conspectu tuo compaream, & sic in æternum permaneam. Possunt hic recenseri in particulari aliquot mala. Ut superbia, tepiditas, curiositas, sensuum sensualitas,evagatio mentis, libertas loquendi & agendi, neglectus orationis, hisque omnibus renuntiandum

ex corde cum dolore , & proposito ad illa non redeundi.

Ornatus.

O Merita & virtutes dulcissimi amoris mei Jesu Christi, adesto misero mihi, nunc si quando vestris est opus splendoribus, quando splendor ille gloriæ æternæ vester scilicet Jesus, ad me venire apparat. Adeste, & me vestris illis gratissimis coloribus exornate. Adesto & ardentissime amoris mei Amor, adesto, in cor meum, erumpe, illud occupa, posside, in te ex toto transforma. Adesto ô profundissima Humilitas, & in corde meo sedem perpetuam fige, meque digno Deo venturo humilia. Adesto vera contritio, & cor meum, atque adeo me totum purissimè purifica, ut sim purus totus, dignus Jesu venturo totus. Iterum advoco vos, & millies adjuro merita & virtutes amoris mei Jesu. Adjuro te Amor, te humilitas, te contritio, te cordis puritas, adeste omnes, irrumpite in me, occupate, possidete, ornate, in vos ex toto transformate, & dignum me inhabitatione Jesu facite.

Invocatio Creaturarum.

VOs advoco & invito creaturæ omnes, qui à dulcissimo amore meo Jesu creatæ estis, ad exornandum me, atq; ad adjuvandum, in hac tremendi corporis & sanguinis Christi Jesu perceptione. O quid cessatis, tardatisque venire adornare me, cum Dominus vester & meus, ecce venturus sit ad me. O cœli! non ornabitis me in usum Jesu, qui ornatis mundum propter usum meum? O stellæ! non ornabitis me Christo, qui ornatis noctem mihi? O Sol! non ornabis me Deo, qui ornas orbem meo oculo? O Elementa! non ornabitis me, quæ omnia ornatis propter me? Terra tu suppeditas campis, arboribus, agris, flosculis, bestiis, tot

& tam varios ornatus propter me,& renues propter Jesú exornare me? O ignis! accende meam animam, & aqua ablue cor meum. O odor affla mihi suavitatem tuam. O gustus palato meo totus inside. O Harmoniæ suaves insonate mihi & colores depingite me digne Christo, de Deo.

Invocatio Sanctorum.

VOs quoque purissimi & vicinissimi Deo, principia viarum Domini, angelici Spiritus invito, obtestor, & adjuro, ut me exornetis meritis, gratiis, donis, divitiis, & beatitudinibus vestris, quo sic ornatus, digne recipere aliqua ex parte possim Dominum meum, vestrumque Jesum Christum. Et vos hæc etiam cura tangere debet, utpote qui honorem Dei vestri impense amatis, me vero parem non esse dignè illum recipiendi probe cognoscitis. Juvate igitur & exornate me ô sancti Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Potestates, Principatus, Virtutes, Archangeli, Angeli, orna me tu sanctissime Angele custos. Orna me tu sanctissime Angele, qui huic Templo, huic Altari specialis custos sacratissimi Sacramenti à me nunc recipiendi, à Christo es deputatus.

Invocatio dulcissimæ Virginis.

AN verò sine te, sine tuis auxiliis, sine tuis ornamentis, ego pauper servus tuus, dulcissimum amorem cordis tui, Jesum recipere præsumam? O augustissima Mater & Virgo, absit à me tantum audaciæ scelus, aut recipere Filium tuum in sanctissimo Sacramento nolo, aut abs te ornatus volo. Si igitur illum à me recipi vis, ornare me illi recipiendo velis. Exorna me igitur meritis ac virtutibus tuis, & gratiis, & gloria, & beatitudine tua, & me sic comptum, Filio tuo advenienti siste, sic me exorna, ô dignissima Mater, Filio tuo, quemadmodum te Spiritus S. exornavit eidem Filio ad te venturo, & in visceribus tuis incarnando. Talem & non alium ornatum peto à te piiss. Mater, peto autem illo tuo, quo tu eundem à Deo petebas affectu; Obsecro Virgo clemen-

mentissima, ne contemnas, neque confundas hanc petitionem meam. Sed omnino etiam fiat mihi secundùm desiderium meum, & secundùm votum tuum.

Reformidatio.

DEreliquit me dulcissime Amor, mi Jesu virtus mea, & lumen cordis mei atque robur mentis meæ, non est mecum. Formido enim & terror, tremor Majestatis tuæ, occupaverunt & ceciderunt super me. Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti tui, & dignus ero in sanctissimo Sacramento recipere te. Quomodo audebo accedere ad te? Unde mihi tantum dignitatis, ut venias ad me? Ad Virginem Matrem non prius venisti, quam Spiritus S. superveniret in eam, & virtus Altissimi obumbrasset illi, & tamen jam illa fuerat gratia plena, quomodo igitur potes ad me, & Spiritu S. & virtute Altissimi, & plenitudine gratiæ destitutum, venire? Cur te mihi obtrudis Domine invito, trementi, & vilitatis meæ conscio? Ignosce Domine, quod formidem recipere te, quia tu es Deus meus magnus nimis, ego autem sum homuncio vilis nimis, ex nulla parte par, sustinendo tibi, declina à me Domine, quia peccator sum, quia nihil sum. Non audeo resistere voluntati tuæ Domine, & tamen etiã non audeo te admittere ad me Domine. Consentire timeo, & dissentire pertimesco, quis enim restitit tibi & pacem habuit? Aut quis sum ego, qui respondeam Deo pro mille? Si te cupio recipere, audacia est; Si renuo ad te accedere, miseria, est. Coarctor nimis, & angustiæ mihi sunt undique, sed tamen melius est me incidere in manus Domini, quam pertinacem esse in conspectu ejus. Non tamen Domine exspecta consensum meum plenum, sed irrumpe in animam meam, quandocunque tibi placuerit, quia absolutus & omnipotens meus Dominus es.

Resolutio.

FIat mihi amor mi Jesu secundùm verbum tuũ. Jam veni Domine Jesu, ingredere benedicte Domini, quid

foris ſtas,& perſtas. Attollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales, portæ cordis mei. Ecce enim introibit Rex gloriæ. Hæc eſt porta Domini,& Sanctus Sanctorum intrabit per eam. Paratum tibi cor meum Jeſu, paratum cor meum. Exſurge igitur gloria mea,mi Jeſu,exſurge pſalterium & cithara mea, mi Jeſu. Jam veni mi Jeſu , & noli tardare. Tibi dicit cor meum , Domine Jeſu veni , facies mea requirit te, & vultum tuum exquirit. Audeo & aveo dulciſſime Jeſu recipere te,habere te, poſſidere te , veſci te, conjungi tibi,concorporari tibi.

Tædium.

USquequo Domine dulciſſime amor mi Jeſu , tenes animam meam , & non venis ad eam , ecce jam tædet ipſam vitæ ſuæ. Domine deſcende,feſtina,veni,priusquam moriatur vita mea in me , & antequam extinguatur lucerna ſpiritus mei. Odioſa eſt mihi omnis quies ſine te,omnis dulcedo amara,omnis conſolatio inſulſa,longa eſt mihi omnis mora, aut tolle me, aut veni ad me. Ubi eſt exſpectatio mea, ubi eſt Dominus meus , ubi eſt qui dicebat ; *Ecce venio cito*.O Domine! quouſque modicum,modicum exſpecta, quouſque iſtud ? Expecto ecce modicum jamque tranſit,& tu non compares. Ades Domine , ades, deſidero te millies, moriar ſine te,veni, oſtende mihi faciem tuam. Ades mi Jeſu, ades ocyus, & tædium cordis mei præſentiâ tuâ releva,nolo Angelos , nolo quidquam tuum,te volo,tu veni.

Fames.

CAligant ecce oculi mei præ inedia dulciſſime Amor Jeſu,& non eſt tibi curæ,fames oppreſſit animam, &

& non venis! ô ubi es qui dicebas! *Caro mea verè est cibus, sanguis meus verè est potus.* Quomodo verò est quando non est, aut si est, cur & non mihi? Famesco & non cibas me, sitio & non inebrias me. Ecce ostenduntur mihi cibi, sed quia non tu, non verè cibi. Nolo illos, tuum cibum, te cibum volo, aruerunt fauces, substantia mea redacta est in nihilum, & tu ô cibus meus non venis, das escam omni carni in tempore opportuno, ego autem cur hic fame pereo? Nunquid sanguinem taurorum, aut hircorum bibam? Aut si esuriero, cui dicam, si non tibi, cujus est orbis terræ? O Deus! qui pascis me à juventute mea, da mihi panem hunc vitæ supersubstantialem quotidianum, ut mortem non gustem in æternum.

Invitatio Christi.

O Sancti Dei omnes, ô S. Angeli, ô divinissima Mater Maria, nunc saltem adeste, & operam mihi vestram non denegate? Abite ad sanctissimum hoc Sacramentum, & Dominum vestrum, Amorem meum, qua scitis, & soletis reverentia, pro me adorate, & ad cordis mei habitaculum invitate. Adoro te, dulcissime Jesu, adorationibus Sanctorum, & adorationibus sanctorum Angelorum, & adorationibus beatissimæ tuæ Matris, & eas in æternum continuo. Invito te ad cordis mei domunculum, tibi desideratam, apertam, & pro paupertate mea paratam, veni igitur ô sanctissimum Sacramentum, veni amor mi Jesu, venite merita, gratiæ, dona, gloria, beatitudo. Veni amor mi Jesu ad servum tuum, ad domum tuam. En cor meum area est, materia est, tu architectus es, omnipotens es verbum, omnia creans es. Vis palatium, vis mundissimum, vis te dignum, ædifica illud & erit. Veni mi Jesu,

ſu, veni millies, veni, fuge Dilecte mi, Formoſe mi, veni unice mi, columbule mi veni, veni ſimilis capreæ hinnuloque cervorum. Veni ſaliens in montibus, tranſiliens colles, veni aſcenſor cœlorum, aſcenſor Cherubinorum, qui ambulas ſuper ventorum pennas, veni, en te deſidero, veni, te concupiſco, veni, tui amore langueo, veni mi Jeſu, veni & deſiderium meum imple, implendo auge, ut plus te appetat, te habeat, te habere in æternum gaudeat.

Communio.

A Præparatione ad ipſum tandem actum communicandi veniendum eſt. Quæres; quos jam anima exercebit actus? Optandum eſſet, illo in momento animam non exercere, ſed eſſe actum. Quod ſi non poteſt. Exerceat igitur plurimos, ſi neque id, nullum exerceat, ſed tantummodo attendat quid agat. Si vero præterea agere aliquid volet, actus ejus Thymiama erit, actus ſcilicet actuoſiſſimus ex multis conflatus, Humilitate, deſiderio, fide, æſtimatione Dei, meritis Chriſti & Sanctorum hoc modo.

Thymiama.

DEus magne, dulciſſime Amor mi Jeſu, credo te hîc exiſtere: Valde cupio te hic recipere, amo te amore maximo, & ſuper omnia. Te æſtimo, non ſum dignus ut ad me venias, ſed ſi tu prius me veſtias, ſatis ſum dignus, jam venias, credo, amo, æſtimo, adoro, recipio.

§ II.

Gratiarum actio poſt Communionem.

SI quando ſe urbaniorem, civilioremque anima exhibere Deo & Jeſu Chriſto debet, certè poſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumptionem. Item, ſi unquam omnia affectuum & confidentiarum ſuarum ad Deum genera poteſt exercere, certe poſt ſacram Communionem

nem. Non enim tam prope sunt Angeli Deo, nec Deus tam illis propinquus, atque est Communicans & communicanti Deus. In tanta igitur & propinquitate Dei & sui, quid non faciat anima? Quid non audeat, speret, præsumat, ubi illi Deus quodammodo est incorporatus. Ubi sanctissima Trinitas, quidquid in cœlo, hoc etiam in illo operatur, non solum quod extra, sed ad intra etiam, non solum tunc Christus in anima residens Angelos beat, & sanctas non solum animas creat, non solum omnia conservat, gubernat; Sed etiam tunc Pater in anima, & Filium generat, Pater & Filius Spiritum S. spirant, ita ut anima eo tempore, quo adhuc Sacramentum in ea durat, sit Divinitatis arca, sit vivum conclave, & rationale cubiculum ipsius sanctissimæ Trinitatis, conscium omnium abditissimorum secretorum illius, ut sunt, generare Filium & nasci, Spiritum S. spirare & procedere. Ergo anima post Communionem, mirum est si tibi præsens es; Si aliquid aliud cogitare non solum audeas, sed etiam possis. Mirum inquam, quod non vel tota abripiatur à se, vel tota transformetur in Deum, tota in affectus abeat excessivos. Et felices animæ illæ, quæ aliquid tale vel faciunt, vel patiuntur. Ergo talis non sum, quia peccator & indignus sum. Tu tamen piissime Jesu, etiam me talibus donis cumulare potes, si vis, quia in oculis tuis facile est ditare pauperem. Fiat, fiat.

Innominata.

PRimus igitur post Communionem tuam affectus, ô homo! erit innominabilis, quo scilicet statim, atq; hostiam concluseris, ibit anima in quandam velut extasin, & absorbebitur, vel ad unicum momentum in Divinitatis abysso, non secus ut guttula aquæ absorbetur in

toto

toto oceano, & ibi per hoc totum momentum in luce Dei, te Deo recipientem recipe, conferens utrumque ſicut in ſe eſt, apprehendas.

Adoratio.

AGnoſco te ô diviniſſimum Sacramentum in pectoris mei ſacrario, inibique te tota cordis mei præparatione adoro, ac glorifico. Adoro te corpus & ſanguis dulciſſimi Amoris mei Jeſu Chriſti. O admirabile myſterium, ô timendum Sacramentum, ô adorande & Divinis tantummodo amoribus ſat digne redamande Amor meus, inaſſumo omnium creaturarum etiam poſſibilium adorationes, & amoroſos affectus, omnesque illos ante te Amor meus Jeſu plena hilaritate effundo, eosque omnes tibi impendo, & affectum hunc in omne momentum, & æternitatem continuare cupio, ac quantum poſſum, continuo.

Salutatio.

SAluto te ô auguſtiſſimum Sacramentum. Ave dulciſſime & gratiſſime Jeſu, deſideratiſſime, & expectatiſſime, digniſſime & honorabiliſſime Hoſpes, amorque mi Jeſu, ô quam te libenter in hac paupercula domo mea degentem video. O quam cupio digne tractare, & digne ſalutare te. Saluto te omnibus ſalutationibus omnium omnino creaturarum, illâ quâ te ſanctiſſima Mater tua ſolita fuit in hac vita ſalutare, quâ te omnes Sancti tui, quam primum in cœlum veniunt, & deinceps ſalutare, ſolent illâ, quâ Patrem tuum cœleſtem, & qua te Pater tuus cœleſtis, unaque omnes Angeli & Sancti, ad cœlum in aſcenſione tua glorioſa venientem, ſalutarunt.

Tractatio.

QUibus te ô amorosissimum Sacramentum excipiam & tractabo modis? Quomodo te dulcissime Amor mi Jesu recipiam, quod apponam convivium? Quo vina propinabo? Quos triumphos, quæ spectacula exhibebo? Non est in me quidquam mi Jesu ad ista omnia sufficienda plenius temetipso. Itaque mi Jesu: Te ipsum te ipso tracto, tu tibi ipse convivium, tu recreatio, tu tripudium, tu triumphus, tu spectaculum, tu beatitudo, tu omnia tibi esto. Quod si quid à me etiam peculiariter vis; Affectum cordis mei, omnimodè tibi trado, & amplius nihil aliud, quam ad te solum, idque summe & adeo extremè afficiatur.

Quies.

QUiesce in me ô piissimum Sacramentum. Ego sim sedes pacis & requietionis tuæ. Ecce abstraho meas cogitationes, voluntates, phantasias, potentias, ab omnibus aliis quantum possum. Omnes inquietudines tibi non placentes sileant mihi. Sufficiat mihi Amor mi dulcissime Jesu, quod te habeam, quod te in Sacramento susceperim. Nihil in hac vita melius desidero, sed te unico summo Bono meo, amoreque contentus sum. Exuo affectum omnem ad omnia, & ad te unum, tanquam centrum, tanquam ad naturalem locum meum, toto impetu tendo, festino, ruo. O quis det ut & tu Amor mi Jesu, in me & apud me quiescere, & cubare digneris, quam diutissime, quam suavissime.

Benedictio.

MIllies & infinities sit benedictum ô benedictum Sacramentum! Benedictus sis infinities Jesu dulcissime Amor meus, benedicta sit caro tua, sanguis

tuus, anima tua, Divinitas tua, quod venire dignatus es ad me. Benedicta sint omnia membra corporis tui, omnes guttulæ sanguinis tui, omnes potentiæ, vires, gratiæ, dona, meritaque animæ tuæ. Benedicta sit unio Hypostatica. Benedicta sit sacratissima Divinitas, & omnes Divinitatis personæ, quæ cum carne & sanguine concomitanter ad me venire hodie dignatæ sunt. Benedictio tibi sit dulcis Amor, Christe Jesu, omnium creaturarum, visibilium & invisibilium. Sit super te benedictio Patris æterni, benedictio Verbi, benedictio Spiritus Sancti.

Postulatio prima.

BEnedic tu quoque dulcissime Amor, mi Jesu, toti corpori, animæ, sanguini, visceribus, vitæ, membris, in quibus es receptus, & hodie moraris. Benedic linguæ meæ, palatui, labiis, pectori, visceribus. Benedic illi horæ, momento, quo ad me venisti. Benedic illi tempori quo apud me moratus es sacramentaliter. Benedic omnibus cogitationibus, conciliis, operibus, sermonibus, officiis, muneribus, motibus meis. Benedic toti mihi, & quantus quantus sum, amore sancto tuo perfecto, & in te ipso appretiativo, me adimple.

Postulatio secunda.

O Pater! per amorem corporis & sanguinis tui Filii, ô Fili! per amorem corporis & sanguinis proprii. O S. Spiritus! per amorem corporis & sanguinis abs te in visceribus sacratissimæ Virginis Mariæ Matris efformati, date mihi & toti mundo, potissimum autem amicis meis, amorem vestrum perfectum. Indulgete veniam peccatoribus, lucem æternam, ostendite animabus purgato-

gatorii: Inimicis meis privatis & communibus benefacite. Date gratiam parentibus & consanguineis meis, date vestri cognitionem infidelibus, date salutem omnibus, subvenite mihi in omnibus operibus meis, necessitatibus, tribulationibus, ut vobis in tota creaturarum vestrarum universitate perfecte serviam, id millies & æternaliter peto, per sanguinem & corpus Jesu Christi.

Postulatio tertia.

NUnc ô æterne Pater aspice, Redemptor mi Fili Dei nunc me respice. O S. Spiritus quia alias vobis abominabilis, merito meo sum. Nunc igitur me respicite corpore sanctissimo Christi pastum, sanguine potatum, aqua lotum, meritis vestitum, gratiis ornatum, Divinitati circundatum, ut propter hunc tam pretiosum ornatum, placere vobis commerear. Beate me muneribus vestris, & gratiis sanctis, ut non sim penitus indignus, tantis quibus nunc integor ornamentis. O nunc mihi amorem, nunc spem, nunc fidem, obedientiam, humilitatem, castitatem, Spiritum orationis, prudentiam, modestiam, discretionem, efficaciam, in agendo fervorem, perseverantiam, omnesque virtutes elargiamini, his enim omnibus, & his similibus opus habeo, ut hoc augustissimum Sacramentum in me continere, & vobis digne servire possim.

Confessio miseriæ.

PRofiteor sanctiss. Jesu, me omni bono, maxime vero meo, quo me tibi gratum reddere possem spoliatum, ac destitutum esse, ac me omni virtute & devotionis Spiritu, omni constantia, & firmitate carere. Sed ad te benignissimum amorem meum confugio, ut per te obtineam vestem Salutis, omni placita tibi, utili mihi virtu-

virtute contextum. En ego filius prodigus, ſed tamen tuus, nudus & ſpoliatus omni indumento ſanctitatis, coram te asſiſto. Noli quæſo Pater amantiſſime aſpectu tuo nuditatem meam confundere, ſed indue me veſte digna oculis tuis Domine, qua indutus tibi placeam. Revera enim Domine mi Jeſu, in ignominiam tuam redundat te tam locupletum Patrem, tam lacerum tamen Filium tuum habere. Veſtis beſtias, volucres, piſces, campos, parata, omnia, me quo veſtias, non habebis? Ego quidem, ſi mihi veſtis eligendæ poteſtatem facias, non alia veſte, quam tua, nec aliis inſignibus quam tuis. Cruce ſcilicet & afflictione, patientia ac humilitate indui volo, imò vero, non aliam mihi cupiam obtingere, quam te Deum meum Jeſum Chriſtum crucifixum, ut ſic impleam illud Apoſtoli: Induimini Dominum Jeſum crucifixum.

Continuatio Actuum præteritorum.

CUpio dulciſſime Jeſu, prædictos omnes actus, à me iterum, iterumque fieri, in æternumque repeti, & durare, cum omni efficacia, & conatu, non ſolum quo facti ſunt, ſed quo fieri poſſunt, ut tibi Domino meo æternaliter placere, & amore tuo ardere, imò & in amorem tuum converti, omneſque convertere poſſim.

Complexio Chriſti.

NOn ſum, ô miriſſimum Sacramentum dignus, digne complecti, comprehendere, attingere te, ſed tamen cupio complecti, & ut id faciam digne, opto mihi manus puriſſimas Sanctorum, ac Beatorum omnium, opto Angelicas, opto Matris Virginis, opto ipſiusmet amoris mei dulciſſ. Jeſu, quibus te ô tremendum myſterium complectar, conſtringam, contineam,

geſti-

geſtitem,contrectem. O quis mihi dabit linguam Angelorum, quis Seraphicam, ut te, ô Jeſu mi! tuumque corpus ac ſanguinem, digne contrectem ac complectar. O ſi te habeo prout deſidero, ô mi Amor, mi Jeſu! quis mihi nocere, quis quid mali inferre poterit.

Audacia.

IN præſentiâ tua ô ſanctiſſimum Sacramentum, grande & magnum, provoco omnes mundi, carnis, Dæmonis, peccati, inferni, & cujuslibet mali technas, vires, ut ſi quid poſſunt, te præſente, & pro me ſtante, audeant; Scio enim nihil eſſe vires eorum & fraudes contra me, ſcio potentiorem eſſe animum, cum tenuiſſimo voluntatis unguiculo, omnibus eorum quantumvis fortibus dextris, robuſtis brachiis, validis lacertis, exercitatiſſimis viribus, proinde; In præſentia corporis & ſanguinis tui mi Jeſu, ſecurus, totus & munitus ſum, totus undequaque. Quod ſi id quod modo locutus ſum, verum eſt, & eſt utique veriſſimum. Unde igitur eſt quod ego toties communicans, tam facile, tam turpiter, à leviſſimo quovis hoſte, & vix hoſtis nomine digno, vincor & proſternor? Cur potentior eſt vaniſſimorum terriculamentorum dextera ad terrendum me, quam tua Omnipotentia ad confortandum me? Poſſunt me hoſtes mei tribulare & impetere. Tu autem amator meus, non potes conſolari, eruere, & protegere me? O Domine, erue me de manu hominis mali, & inimici mei nequam, ne forte aliquando dicat: Ubi eſt Deus tuus, quem in Sacramento toties recipere te credit, & gloriaris? Ne dicat: Os illud blaſphemiam ructans, ſemper eſt ibi Deus ejus, & tamen prævalui adverſus eum, etſi Deo ſuo eſſet confiſus & munitus. Hoc utique Domine, in gloriam non eſſet tuam, tu

autem gloriam tuam amas valde, quia gloria tibi soli & nulli alteri debetur.

Ratio Conscientiæ.

ADeste omnes sensus mei, vires, potentiæ, partes, occupationes, officia. Dominum Deum vestrum & meum amorem, vestrum & meum Jesum, nunc in sanctissimo Sacramento, mihi præsentem agnoscite, & adorate. Oportet enim me rationem vestri Domino meo reddere. Quomodo vobis usus sum usque huc. Ideo enim Majestas illius ad meam venit visitatem, ut videret ordinem domus istius, utque ponat rationem cum servo suo. Ades igitur intellectus, memoria, imaginatio, oculi, aures, lingua, dicta, facta, cogitata, commissa & omissa. Quomodo orationes quotidianæ, exercitiaque peracta, quomodo lectio spiritualis? Quoties revocata in diem ad sese, Deumque suum mens? Quoties particulare neglectum examen (de quo habes in bona die à me edita,) quoties in hoc vel illud peccatum &c. quænam sit emendatio, vel depravatio secuta, post præteritam Communionem &c. Hic singularem reddes rationem, velut judici, velut Domino, velut Patri, Magistro, Superiori.

Attentio.

AUdiam quid loquatur in me Dominus meus, loquetur enim pacem in plebem suam, loquetur ea quæ sunt correctionis & salutis. Ascende igitur dulcissime Jesu, Magister mi, cathedram cordis mei, & loquere quid me velis facere.

Ecce enim audit servus tuus, & conservare ac ea conferre vult omnia verba tua in corde suo, diligenter & exacte. Hic igitur audiat anima loquentem sibi Christum,

ſtum,& quid illi interius dixerit,vel cavenda,vel corrigenda,vel facienda, annotet memoriæ cauſa,ad eaque ſingulis in exercitationibus ſe referet. Et ſi Chriſto Domino interius loqui non placuerit,ad libellum Thomæ de Kempis recurres, & inibi vox Chriſti audienda, & voluntas erit cognoſcenda.

Propoſitum.

ECce dulciſſimum & amoroſiſſimum Sacramentum quod hodie recepi , propoſui, & ſtatui in tua præſentia , & hac vice ſtatuo cuſtodire judicia tua. Volo exacte ſtatim adimplere voluntatem tuam ſanctam, dulciſſime Amor mi Jeſu , qui me voluntatem tuam ſcire,& facere vis,dato etiam poſſe. Adjuva me gratiæ tuæ efficacis auxilio, ut non ſim ſciens & non implens voluntatem tuam, ſed potius; Ut nullum etiam minimum mandatum tuum, ne jota, neque apicem unum ſolvam,aut prætercam. Verum cuncta quæ tibi placita ſunt, pleniſſimè & ferventiſſime & conſtantiſſimè uſque ad mortem impleam.

§. III.

Præparatio ad Communionem maximè pro illis qui non quotidie communicant aut celebrant.

COnſtituat ſibi homo aliquot dies ante Communionem,in quibus ſanctiſſimis conſiderationibus operam det ad minimum ſaltem, tribus diebus. Unum diem Deo Patri; Secundum diem Deo Filio ; Tertium diem Spiritui S. & beatæ V. ut ita diſponant cor tuum ad ſuſpiciendum corpus Chriſti Domini , ſicut ipſi deſiderant. Et his diebus , quantum poſſibile eſt, abſtinere ab omni peccato , etiam minimo veniali, quantum fieri poteſt , etiam ab occaſionibus eorum , ut eſt ; Riſus immoderatus , luſus &c.

Pridie vero veſperi, laudabile eſt non cœnare, aut minimum moderatam & ſobriam cœnam ſumere, nec poſt illam fabulis vacare, vel hominum congregationibus intereſſe, ut quietus ſis, & purus, ut expeditior ſis ad bonam noctis illius partem, in iſtis exercitiis impendendam, quæ magis magisque animum præparant in diem ſubſequentem. Quando decumbis ante ſomnum, in bonis cogitationibus & imaginationibus perſevera, Deum rogans: ut iſta nocte liberet te ab omnibus phantaſiis & illuſionibus Satanæ, ut majori cum puritate corporis & animæ, poſtridie menſam Dominicam adire poſſis. Sed & quotiescunque expergiſceris, mox ad eandem cogitationem & orationem recurre. Mane vix adhuc oculis apertis, puta te in brachiis Chriſti crucifixi jacere, & memoria Dominicæ paſſionis te occupa, in quo toto iſto die præcipuum ſtudium pones, conſiderans immenſum & ineffabilem amorem, quo Filius Dei ſeſe pro nobis in ara crucis obtulit, & dorſum ſuum percutientibus dedit, pro furtis noſtris flagellandum, charitatem quoque, qua motus ſeſe nobis in hac menſa propinat, in remedium omnium defectuum noſtrorum.

CAPUT XVII.

Modus diſtribuendi ſacram Communionem.

DUm dicis; Miſereatur &c. Indulgentiam &c. pete corde à Chriſto Domino, ut nullus de manu tua corpus ejus ſacrilegè ſumat.

Dicens: Ecce Agnus Dei. Deſidera notitiam & amorem Chriſti per totum mundum.

Dicens ter. Domine non ſum dignus &c. Cogita, te indigniorem eſſe omnibus Communicaturis in tractando corpore Chriſti, & projice te infra pedes Judæ, in ipſo inferni centro.

Semel pro ſemper. Applica omnem intentionis dimenſionem reſpectu horum verborum, quotiescunque proferendorum: Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Non dimitte oculos à Venerabili, dum illud porrigis, ex motivo videndi Chriſtum in cœlo.

Hæc verba: Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti &c. pronuntia in actuali Fide, Spe & Charitate. Ita, ut dum profers: Corpus Domini &c. hanc habeas cogitationem. Quod credo, dum profers: Jeſu Chriſti; Hanc habeas cogitationem.

Quem Amo. Dum profers: Cuſtodiat animam tuam, in vitam æternam, Amen; Hanc habeas cogitationem, quam ſpero.

CAPUT XVIII.

Auditio Miſſæ.

SAnctiſſimo Miſſæ Sacrificio aſſiſtens, attentè cumprimis dignitatem tantæ oblationis conſidera. Omnia enim quæcunque Chriſtus Dominus tuus, verus Deus & Homo, ex eo inſtanti quo conceptus eſt in utero Virginali, ad illud punctum quo Spiritum in cruce paternis manibus commendavit, ſive interiora illa, ſive exteriora fuerint, nullo temporis momento, ab operatione Deo placita vacans, operatus eſt, & omnia prorſus, quæ ex geſtis per tres ſupra triginta annos oriebantur merita & præmia, non ficta aliqua, ut in fabulis perſona, ſed ipſe ille, qui olim actor fuit in Hoſtiam Divinæ acceptabilem Majeſtati offeret, hac fere pro te miſerrimo ſupplicans ratione. En quidquid ſum, quidquid geſſi, ſicut tuæ Divinæ benignitatis partus eſt, ita tuæ gloriæ volo dedicatum eſſe. Si gratiam ullam putas referendam, ego beneficio tuo ſatis abundo. Sunt mihi egentes ac mendici fratres, in eos ſi quæ mihi debeantur merita, precor, ut conferas illis omnia mea

dona,illos meo loco constituo, tibique recommendo. Hoc igitur diligenter considerato. Ardenter concupisce divinissimam Trinitatem, per hujusce Sacrificii condignam tua ex parte præsentationem, quam maxima, gloria, honore, & delectatione quasi afficere. Delectatione quidem; Quia dubium non est, quia Deus optime perspectas habens elevatissimas Jesu Christi virtutes, quantum in reliqua vita, tum præcipue in supremo illo actu, immanissimos inter cruciatus ostendit, longe majorem ex iis, ut nos loquimur, jucunditatem, quam ex Judæorum, sceleratorumque impietate, modestiam hauserit. Quare sicut Principes repeti volunt historias, quas aliquando cum voluptate spectârunt, ita Deo placet jucundissimum illud Domini nostri Sacrificium sæpe repræsentare. Gloriâ verò; Quia hoc maximè modo Salvator noster significavit, se omnia referre accepta Deo, sicut sciebat olim Sacrificia, ut ea homines, bonorum omnium Authorem Deum esse, grati testarentur. Quare majus est, & Domino Deo honorabilius, unicam ejus Majestatis Missam offerre, quàm infinitos mundos, cum infinitis divitiis, vel nescio quid, Deo inferiora illi devolvere. Potes etiam considerare, summum Sacerdotem tuum Christum Jesum, in hoc sacratissimo Sacrificio, honestissimos renovare triumphos, quos ex hostibus suis victor retulit. In tabulis alii, vel in parietibus suos appingunt, ut quoniam triumphare semper non possunt, frequenter reportati honoris recordatione præsente delectentur. At Christus, qui potuit quæcunque voluit, & qui honor æternus ideo debetur, quod cum retulerit victoriam, cujus fructus est æternus, viam quoque excogitavit, quæ perpetuum ageret triumphum.

Dum verò ad tremendum hocce Sacrificium accedes, existi-

existima te ad funestum Calvariæ spectaculum, unà cum Virgine sanctissima, S. Joanne Evangelista, aliisque sanctis mulieribus ire, anhelus desiderans, ut vel minima salvifici roris guttula, in tuorum emundationem peccatorum applicetur. Tum recogitans, hoc unicum Sacrificium esse, quo & pro peccatis admissis satisfacere, & pro beneficiis divinitus pauperculæ unicæ tuæ collatis, grates condignas referre, & ampliores cœlestis gratiæ divitias impetrare potes, tua indignitate atque imbecillitate in memoriam revocata, pete humiliter gratiam, ad dignè versandũ in negotio tantæ dignitatis ac Majestatis.

Inter audiendum Missæ sacrificium, servanda inprimis erit decentia interior & exterior. Interior quidem, ut anima, illiusque vires, liberæ sint ab omni labe, & ab alia quavis cura sevocatæ, in hac una occupentur, hoc unum quid ages agas. Exterior, ut totum corpus decenter habeatur, sicut habendum convenit in conspectu præsentis Altissimi, te non divinis solum, sed humanis etiam oculis, tanquam aulicum assistentem considerantis.

In ipsa Missæ celebratione. Has considerationes ruminabis. Ab initio ad oblationem, desideriorum antiquorum Patrum recordaberis, & ipsum Dominum nostrum, paulo post verè affuturum, humiliter præstolaberis, attentè interim ea quæ recitantur, auscultando, ut fructus aliquis ex ipsis excerpatur, & Spiritui S. aditus patefiat, si dignetur per vocem Sacerdotis ad nos accedere.

Ab oblatione usque ad consecrationem exclusivè, preces conjunctæ Christi Domini meritis & cruciatibus, simul cum Sacerdote Deo erunt fundendæ, & quasi libelli supplices, pro nostris & proximorum variis necessitatibus offerendi.

Revocanda etiam erit in memoriam Passio Domini nostri JESU Christi, (juxta illud, 1. Cor. 11.

Quotiescunque manducabitis panem hunc &c.) eum intuendo, tanquam præsentem cruci affixum. Singulis vulneribus, quæ se in eo offerunt, singula postulata hac ratione accommodando. Inprimis in suo sanctissimo sanguine, propria anima offeratur abluenda, & iis ornanda virtutibus, quibus ipsi placere valeat. Secundo; In intuitione capitis spinis compuncti. Principes ac cæteri rerum tum humanarum tum Divinarum moderatores ei commendentur, & pro dolore quem ipsi spinarum aculei inflixerunt, liberet eos ab avaritiæ, & ambitionis aculeis, eosdemque confirmet ad constanter ferendam curarum acerbitatem, quam administratio sedula adfert. Tertio; In intuitione dexteræ manus, commendentur consanguinei, affines, amici, bene meriti, ut suis donis cumulet ipsos, ac compenset ea ratione, quam noverit optimam. Quarto; In consideratione manus sinistræ, commendentur ii, qui nos odio & quacunque ratione insectantur, ut eis bona rependere dignetur. Quinto; In consideratione dexteri pedis, commendentur illi justi, ut ipsis constantiam ac perseverantiam impertiat. Sexto; In intuitione sinistri pedis, oretur pro iis qui jacent in peccato lethali, ut eos ad dexteram velit transferre. Septimo; In inspectione lateris aperti, commendetur sancta Ecclesia, ut Spiritum suum Sanctum, & sanctitatem ei largiatur. Octavo; In consideratione crucis, commendentur viri religiosi, ut in perfecta sui victoria ipsum Deum sequi valeant. Nono; In consideratione blasphemiarum & irrisionum, quibus appetitus est in cruce pendens, oretur pro hæreticis, ut ad veritatem conversi, desinant ipsum blasphemare. Decimo; In consideratione sitis quam perpessus est penden item in cruce, commendentur ii, qui nostras preces expetunt, ut ne voto fraudentur, quicunque item calamitate aliqua premuntur, ut omnibus præsto sit suo auxilio.

Tempore consecrationis exercendo actum Fidei cum omnibus custodibus Angelis hominum, tum in Templo præsentium, cæterisque omnibus Cœlitibus sacratissimum corpus Servatoris tui tot vulneribus pistum, coctumque, ut mellius tibi panis fieret, supplex adorabis, desiderando tanto illud affectu & demissione venerari, & in æternum venerabitur. Id enim in Altari & ad dexteram Patris est, atque adeo honore colendus.

Deinde cum sacra attollitur Hostia, renovatâ olim sublevatæ crucis memoriâ, per manus Virginis Matris Sanctorumque omnium offeres Sacrificium, acceptabile, Christum Dominum, verum de Deo Deum, simul temetipsum in holocaustum perfectum, quod Deus suo cœlesti igne absumere dignetur. Rogabis vero affectuosissimè, ut non te putidum propter scelera, in quibus putruisti, canem, sed faciem unigeniti Filii sui, & caput charissimum, niveâ cervice deflexa, pretiosissimã resolutionem in mortem, aspicere æternus Pater dignetur, & propter dilectæ sobolis, sic tui causa attritæ humanitatem, miserere dignetur, super ulcerosi plasmatis infirmitatem. Nec verò tu miser peccator, in hoc placabili negotio pietatis lucidiores super Solem oculos Divinæ offendas pietatis, humiliter supplicabis, ut oculus Domini Sabaoth, qui puritas & veritas est, quidquid in te videt, non nisi per hasce amorosas quas repræsentas, manuum, pedum, ac lateris rimas videat, quas cœlestis opticæ ingeniosus Magister Amor, velut tubos, per quos ab alto Dominus peccatores contueatur, miro artificio tornavit. Potes etiam elicere actum conformationis voluntatis cum Divina sic: Domine sicut vis & ego volo, quod recte statui non revoco, sed tibi offero.

Cum verò sacer calix elevatur, ad pedes Sacerdotis prono affectu accumbes, supplicans: Ut salutaris in tuam animam gutta delabens, te cæcum per scelera,

ut cordis Dominici Transfixorum Longinum illuminet, & contra rectores tenebrarum harum corroboret.

Post elevationem recordaberis fidelium Defunctorum, hoc etiam sanctissimo Sacrificio, proque eis oblato, & usque ad tempus Communionis, cum omni cœlesti præsente exercitu, præsentem Dominum, qua poteris ratione adorabis. Tempore Communionis spiritualiter communicabis.

A Communione usque ad finem, Gratias Deo cum Sacerdote ages, & infinita Christi merita pro innumerabilibus beneficiis, quibus quotidie cumulamur, offeres.

CAPUT XIX.

Concio.

CUm Sacerdotis vel maximè Parochi sit, non solùm exemplo, sed & verbo docere plebem, multum interest, ut fructuosè loquatur ad populum, at non nostrarum virium est emollire dura corda peccatorum, hoc opus solius dexteræ Excelsi, qui tamen non deest se invocantibus, & ad hoc se præparantibus. Infallibile enim; *Petite, & accipietis.* Petamus & nos, & accipiemus: Sunt aliqui, qui in quolibet Sacro, in Elevatione, à Patre luminum per Jesum incarnatum, & sub speciebus latentem, donum cum fructu concionandi petunt, & assecuti sunt. Alii in quolibet Missæ sacrificio, sub tempus Communionis, tenentes in ore corpus Christi, petunt ab illo, ut benedicat linguam eorum, detque efficaciam, penetrandique vim ad corda hominum. Alii quolibet Sacro, ante Evangelium, dicentes: Munda cor meum, rogant donum concionandi. Alii ex latere amorosissimi vulneris Jesu, sugunt Concionatoris Spiritus, & concionis quam habituri sunt eventum. Alii alios

alios habent modos comparandi ſibi à Deo donum concionandi, quos vide in Liturgia P. Mlodzianowski. Interim, unicuique gratiæ Divinæ cooperandum, legendo, meditando. Non enim puto fructuoſiorem poſſe dici concionem, quam quæ ex meditatione originem habet. Si meditando puncta concionis, te ipſum primò commoveris, facilè ſic & alium commovebis. Primarium interim habeat concio tua ſcopum, quo cum illa tendere v.g. quod vitium eradicare, aut quam virtutem plantare velis.

Aſcenſurus umbonem, præmiſſa ipſius Eccleſiæ oratione; Munda cor meum &c. Jube Domine benedicere &c. Actiones noſtras quæſumus Domine &c. Veni Sancte Spiritus. Adde: ô dulciſſima Virgo, dignare offerre merita tua, merita dilectiſſimi Filii tui, merita omnium Sanctorum, dilectiſſimo Filio tuo ut offerat amantiſſimo Patri ſuo, pro me miſero peccatore, ut concedat mihi gratiam efficaciter concionandi cum fructu; In hunc finem tu quoque dulciſſima Mater, ſtilla guttulam lactis tui, ſuper linguam meam, ut in Spiritu lenitatis, & veritatis, proferat Verbum Dei. O Jeſu deſideratiſſime, dignare offerre merita tua, merita beatiſſimæ Matris tuæ, & omnium Sanctorum tuorum, dilectiſſimo Patri tuo, ut concedat &c. O Pater amantiſſime, ſuſcipe merita dilectiſſimi Filii tui, beatiſſimæ Matris &c. &c. Potes etiam invitare Angelum cuſtodem, tam tuum quam auditorum tuorum, ut te adjuvent. Habeas quoque Patronos concionis tuæ dicendæ, qui eſſe poſſunt; S. Franciſcus Xaverius, & S. Antonius de Padua, quos ſic invita; O SS. Patroni concionis meæ didicendæ, vobis illam trado dignemini per me inutile inſtrumentum, hanc concionem dicere cum illo zelo & fervore, quo vos aliquando concionati eſtis, & hoc

qu-

quidem fiat ad majorem Dei gloriam & ſalutem ac lucrum animarum veſtrique honorem.

Ab initio concionis dic, Pater & ave, credo. In concione, cave ne quem de vitio nomines, eſt enim contra fraternam charitatem, & Spiritum lenitatis, qui debet eſſe in Sacerdote, niſi aliud exigat neceſſitas.

Finita concione. Cum plurimi ſint Auditorum tuorum, vel maximè ſimplices, qui nihil præter orationem Dominicam ſciant. Elice cum illis actus ſequentes, ut illos pedetentim addiſcant, & elicere poſſint, utpote;

Fidei. Credo Domine, te Deum meum eſſe, Trinum in perſonis, & Unum in ſubſtantia. Credo, quod Jeſus Chriſtus ſit verus Filius Dei, qui pro nobis deſcendit de cœlo, conceptus, natus, paſſus, crucifixus, & mortuus eſt. Qui etiam venturus eſt, judicare vivos & mortuos, Bonos adſcribet cœlo, Malos addicabit inferno. Credo, quod Deus miſericors, in ſua ſancta Eccleſia Catholica, conſtituit ſeptem Sacramenta, ſeu ſeptem ſigna viſibilia, per quæ gratiam ſuam præſtat hominibus; Nimirum, Baptiſmum, confirmationem, &c. Credo omnia quæcunque credenda proponit ſancta Mater Eccleſia Romana, quia à te ô infinita & eſſentialis Veritas! revelata ſunt. In hac & pro hac ſanctiſſima fide & Eccleſia Romano-Catholica vivere volo & mori.

Spei. Spero in te Deo meo, quia non rejicies me à te, quem ſanguine tuo redemiſti, ſed potius ſpero adoptionem in gratiam tuam, ô ſalutare mi! ô Jeſu mi.

Amoris. Amo te, Deum meum, ſupra omnia ex toto corde meo &c. quia ſummum & infinitum Bonum es. Ex amore tui, condono omnibus inimicis meis, ut & mihi miſerrimo peccatori condones omnia peccata mea, quæ contra tuam Bonitatem commiſi. Ex amore tui doleo ex toto corde meo, de omnibus pecca-

peccatis meis, purè propter te. Quapropter dico; Confiteor &c. Post confiteor seu confessionem generalem elice actus oblationis, ex revelationibus haustos. O Pater æterne, offero tibi sanguinem dilectissimi Filii tui pro peccatis meis, & peccatis totius mundi. O Jesu dulcissime! offero tibi cor purissimum, delicatissimum, Virgineum beatissimæ Virginis Matris tuæ. O Mater dulcissima! offero tibi amabilissimum cor dilectissimi Filii tui, pro peccatis meis vulneratum. O S. Spiritus! offero tibi cor meum, ut illud accendas, igne amoris tui, sicque in æternum te amem. Tandem, mente supra Auditores tuos dic Orationem Ecclesiæ; Respice quæsumus Domine super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus, non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Qui vivis & regnas &c.

CAPUT XX.

Modus baptizandi.

PRæter modum præscriptum in Agendis, potes sic meritoriè & cum singulari fructu baptizare. Si inprimis contingat baptizare immediatè post Sacrum, invita Christum Dominum in te commorantem, ut nunc specialiter & personaliter per te dignetur hunc baptizare infantem, & illi conferre, non tantum gratiam sanctificantem pro nunc, ut fit in Sacramentis, sed ut præterea huic Neobaptizato conferat cum sanctificante etiam gratiam perseverantem & finalem, ut hic infans nunquam in vita perdat hanc gratiam sanctificantem susceptam. Post expletas ceremonias gratulare, & opta infanti vernaculâ linguâ, augmentum sanctitatis, ut crescat in illa, & plurimos vivat annos.

nos. Hoc multum exhilarat parentes abſentes (quando reſciunt) & patrinos adſtantes. Deinde, recedens à Baptiſmo. Incorpora te huic infanti, & Deum ſic lauda; Domine Deus meus, incorporo me huic infanti, & nomine ipſius. Amo te ſuper omnia omni amore ſuperdigniſſime Deus, laudo & adoro ac gratias ago pro dono Baptiſmi. Similiter, mi ſuper omnia amabiliſſime Deus, anticipate ex amore tui, nomine omnium infantum naſciturorum, uſque ad finem mundi, te nunc amo, laudo, benedico, adoro, omni poſſibili fervore amoris, laudis, benedictionis, adorationis, & rogo te, fac illos Sanctos & perſeverantes in Sanctitate. Hunc ultimum actum potes ſæpius elicere etiam quotidie, eſt enim magni meriti.

CAPUT XXI.

Prandium.

CUm ſis perſona ſpiritualis, hic te planè ſpiritualem oſtende, quod Deus tuus non ſit venter. Itaque dum paratur menſa, dic coronulas tres, per ſequentes verſus, modo ſupra poſito tempore matutino.

1. Mater Dei memento mei.
2. Jeſu Fili Dei miſerere mei.
3. Ne projicias me à facie tua.

Si habes uſum abſolvendi examen particulare (cujus modum vide in bona die à me edita) hic illud abſolvere potes.

§. I.

Diſpoſitio ad Prandium.

ANtequam ad prandium accedas, ut in Humilitate permaneas, cogita, quid ſit cibum ſumere, cibum aut

aut potum sumere quid est? nisi bestiam agere, bestiam pascere, belluæ servire, belluam esse. O nobile & dignum homine officium! Post sublimes cogitationes, post tot divinas affectiones, post commercia cœlestia, post Angelis supparem vitam, post meditationes æternorum, subito catenis necessitatis, & violentia famis, & obligatione naturalis defectionis, detrahi ad opera gulæ & ventris, & sensus saginam facere, & bestialium saporum voluptate, animæ cœlestem splendorem, tanquam aureum vas, luto & stercore illinire. O beatas cibi potusque sive delicias, sive suppetias! Præstaret porcis dare pastum quam ventri proprio, illo enim obsequio forsan nec corpus maculam conciperet, & anima fructum haberet, hac autem servitute, & corpus inficitur, dum reficitur, & animæ. Suprema portio dum absorbetur, brutescit. Ad pastum ergo trahat te reluctantem pura necessitas. Condiat tibi cibum nauseabundus pudor, fuget te à comestione indignitas in miseriam & in sordes degenerantis Ministerii.

Præterea tam ante prandium, quam ante cœnam, dic unum Pater & ave, in honorem immaculatæ Conceptionis beatissimæ Virginis, ad obtinendam puritatem animæ & corporis.

Offer comestionem tuam Deo, in unione comestionis Jesu Christi Filii Dei in carne, desiderando cum tali amore & gratitudine erga Deum, cibum sumere, quo ipse sumpsit.

§ II.

Ipsum Prandium seu Refectio.

MEnsæ accubiturus, memor Div. in te beneficentiæ & liberalitatis, propriæque omnimodæ indigentiæ

&

& ingratitudinis, tanquam mendicus ſtans ante januam magni Patrisfamilias, demiſſis modeſtè oculis, complicatis piè manibus, mente in cœlum elevata, debita cum reverentia, attentione & devotione, absque indecora feſtinatione, conſuetam promitte benedictionem.

Menſæ jam accumbens, continuare propone, puram præfixam ante intentionem, & circumſpectè devotè, temperanter, & decenter, conſueta corporis alimenta ſume, memor illius D. Pauli 1. Cor. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, omnia in Dei gloriam facite.* Et illius D. Baſilii moniti in citatum Apoſtoli locum: in Regul: Brevior. inter 169. *Is manducat & bibit ad gloriam Dei, quando beneficiorum erga ſe memoriam conſervat, & talem animi affectionem retinet, quæ etiam ex compoſitione corporis declaretur, ut non omnino ſecurus manducet, ſed ut qui habet Inſpectorem Deum propoſitumque habet manducandi, non ut ventris mancipium propter voluptatem, ſed tanquam Operarius DEI, ut in operibus firmior eſſe poſſit.*

Menſa tua non ſit ſine aſſiſtentia pauperis, nec pudeat te illi præcipuum & ſupremum cedere locum, niſi te pudeat Chriſtum habere ad menſam, qui eſt in pauperibus. Ad hoc habeas Patronum certum, qui te juvet, & cujus affectu quàm optimè, humillimè tractes pauperem. Poteſt eſſe S. Gregorius Magnus, qui in hoc opere excelluit. Omni laude dignus mos in Alma Academia Cracovienſi, ubi ex certa fundatione, ad menſam communem Doctorum & Profeſſorum, pauper primum locum ad menſam habet, ad cujus adventum omnes aſſurgunt, cum applauſu; Pauper venit, Chriſtus venit. Felix ille qui habet ad menſam Chriſtum Dominum. Tu eundem

habebis, si pauperem habueris, ad cujus accubitum plurimos Deo gratissimos actus elicere poteris. Utpote;

Credo tibi dulcissime Jesu, qui dixisti, quæcunque minimis fiunt tibi fieri, ex hac fidei virtute, volo cibare hunc pauperem.

Spero tibi gratam fore hanc cibationem pauperis, quare eaudem tibi ex virtute Spei offero.

Et ex virtute amoris hunc pauperem cibare volo, quia te amo, & pauperem propter te, & te in paupere.

Ex virtute quoque religionis, ut te honorem in paupere.

Ex virtute misericordiæ, ut illius subveniam egestati.

Ex virtute obedientiæ, ut obediam ordinationi sanctissimæ Matris Ecclesiæ, quæ vult ut partem aliquam proventuum meorum habeat pauper.

Ex virtute Humilitatis, volo illi primarium cedere locum, tanquam tibi Jesu Deo, Redemptori, & Amori meo.

Volo illum cibare affectu tuo, quo tu dulcissime Jesu cibasti esurientes in deserto. Affectu S. Gregorii Magni, quo ille cibavit pauperes, & in pauperibus Jesum meum. Volo illum cibare, ut me miserrimum peccatorem cibes præsentiâ tua dulcissimâ, in ultimo agone vitæ meæ; Et ut &c. &c. Est enim una actio meritoria, sicut arbor bona, plurimarum radicum variarum scilicet virtutum, cujus tamen potior radix sit amor Dei. Sic quoque hæc arbor, habet plurimos ramos, seu intentiones, aut fines, omnes tamen fructiferos. Cum hilaritate pauperi cibum appone, tanquam ipsi Christo Domino.

Ex eodem scypho cum ipso bibe, ex virtute Humili-

tatis. Si cæcus sit pauper, cochleari tuo proprio cibа illum, affectu dulcissimæ matris, quo ipsa cibavit infantulum suum Jesum.

Colloquia vana ut procul sint à mensa tua, sit lectio sacra Authorum spiritualium & ædificantium, præcedat tamen sacra Scriptura. Ut dum corpus edendo reficis, animæ quoque suum alimentum præbeatur. Ad lectionem diligenter attendendo, selectiora nonnulla observare conando, affectusque congruos suaviter subinde interserendo, juxta mentem D. Basilii qui Reg. brev. inter 120. asserit, ad ea quæ mensa accumbentibus leguntur; *Majore multo delectatione attendendum, quàm cum quando edimus aut bibimus, atque ut appareat mentem nequaquam distrahi ad corporis voluptates; Sed majorem in modum in verbis Domini se oblectare, quod faciebat ille qui dicebat: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Si vero desit lectio, statim ab initio protestari potes, te in alimentis percipiendis non voluptati indulgere, sed necessitati, pro Divino beneplacito velle servire, omnesque sensualitatis cibos delicatiores expetentis illecebras, aut communiores fastidientis obmurmurationes contra voluntatem tuam esse, semperque fore, optare insuper, si Deo placeret, omni ciborum suavitate carere, aut vilissimo aliquo ferculo aut pane cibario famem sedare.

2. Pete gratiam sic corporis vires reparandi, ut mentis integritas, & angelica castitas nullum patiatur detrimentum, idque cum magna humilitate, & de propriis viribus diffidentia, quæ brevissimis suspiriis possunt expediri, e. g. his; O si tam devotè, temperatè, modestè possem corporis vires

res reficere, ô bone Jesu, sicut tu olim in terris. Desidero id ardenter, purè ad majus tuum obsequium, & beneplacitum, & spirituale meum proximorumque emolumentum, impensius procurandum. Nosti Domine fragilitatem meam in concupiscentia gulæ reprimenda, adjuva me, & perfice desiderium meum.

3. Cogita, quot sint Sancti in mundo charissimi Deo, & tamen sustentationem vix, aut non habent. Et tibi peccatori Deus misericors sustentatione sufficientissima providit, vere dignus omni amore & cultu. Et quoties te ei vicissim exhibes ingratum, donis ejus abutendo, intemperantia excedendo, tam tepide ei serviendo.

4. Quot pauperes & innocentes, te meliores, Deoque gratiores, fame sitique premantur, qui delicias reputarent communiores escas, quas tu subinde nauseas.

5. Quam intolerabili fame & siti animæ Electorum Dei, nondum satis expiatorum in Purgatoriis, (pro quibus te mortificando aliquem bolum sepone). & reproborum in gehennæ flammis, excrucientur, à quibus te immeritum, tam benignè præservat, & porro præservare paratus est Deus.

6. Absque prævia ulla attenta præconsideratione erumpe, non coactè sed liberè nunc in hos, nunc in illos pios affectus. E. G. Antequam singula fercula gustes, aut bibas, eliciendo actum gratitudinis, vel amoris, vel zeli Deo placendi. Vel masticando cibum & deglutiendo. O mi Deus; utinam sic consumar amore tui. Ah! utinam totus muter in amorem tui. Vel bibendo; O! utinam tot millenis cordibus te amem, quod guttæ in hoc potu: Scis Domine, quia sitio amorem tuum. S. Gertru-

dis comedendo quemlibet bolum in ſanguine Chriſti intingebat.

7. Ne obliviſcaris aliquos, ſaltem faciles, valde autem meritorios Deoque gratos intermiſcere actus mortificationis, cujusmodi ſunt; 1. Ex appoſitis ſemper, aut plerumque, in iis maximè, in quod immoderatius fertur appetitus, quantumvis modicum, non viliſſimum, ſed potius ſelectiſſimum ſenſualitati ſubtrahere, & Chriſto in ſuis minimis, pro nobis pauperi facto, relinquere; Quod abſtinentiæ genus, quo occultius & purius, eo fructuoſius plurimum à ſpiritualibus Magiſtris commendari ſolet. 2. Stricte ſenſus omnes cuſtodire, maxime oculos ab omni inordinata evagatione, & linguam ab omni minimo jocoſo otioſoque verbo, vultum ab omni inordinato nutu, motu, cohibere. 3. Uno elevato pede aſſide, vel inſipidum elige cibum, præ ſapido &c.

8. Sub finem, uti & ſub initium menſæ, memor Divinæ in te liberalitatis, animo ſurſum elevato, refectionem ventris concludito, piis ſuſpiriis mentis, auctori omnium bonorum Deo gratias agendo, defunctis requiem, vivis maximè benefactoribus gratiam ex animo precando, alacrius deinceps Deo ſervire ſtatuendo.

9. Sub lectione Martyrologii: Deum mirabilem in Sanctis ſuis, ſuſpiciendo, laudando, magnificando, Sanctis tantam gratiam & gloriam congratulando, per eorum merita eos imitari deſiderando, ad ſimilem mortem & gloriæ coronam anhelando. Demum ad Deo gratias agendas, novo pietatis affectu te accingendo, quos ea qua par eſt reverentia, attentione, devotione perſolves viva fide, eum ſicut Patrem liberaliſſimum præſentem agnoſcendo, ſubmiſſe reverendo,

rendo, filiali cum fiducia ad ſinum paternæ ejus providentiæ confugiendo.

Ne autem gulæ laqueos incurras, (qui quinque ſunt ſecundum S. Gregorium 5. Moral. 27.) hæc age;

1. Conſuetam refectionis horam non prævenias, nec ſtatim in appoſitas eſcas ut muſca involа, ſed paulisper ad Deum ſuſpirando, pro dono continentiæ & caſtitatis obtinendo, pro gratia ferventius; Deinceps Divinam Bonitatem erga te tam liberalem redamandi, & glorificandi impetrando pro Benefactoribus remunerandis.

2. Lautiores ac pretioſiores cibos quam neceſſitas aut ſtatus ferat, ne appetas. 3. Nec communes exquiſitius præparatos deſidera. 4. Menſuram moderatæ refectionis non excedas, tantum videlicet cibi ſumendo, quantum ad vires corporis pro ratione ſtatus aut officii tibi incumbentis corroborandas ſatis eſſe deprehenderis, ſecundum dictamen rectæ rationis. 5. Inordinatum in quovis, quantumvis etiam vili edulio æſtum, & nimiam aviditatem inhibeas, juxta illud Eccleſ. 27. *Noli avidus eſſe in omni epulatione, & non te effundes ſupra omnem eſcam, in multis enim eſcis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit, uſque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt, qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam.*

3. Præterea cave, ne lautiorem tractationem ſtomacho tuo arridentem nimium extollas, aut contra viliorem querulosè deprimas, ac de ea murmures, quorum utrumque pio Chriſtiano, ad cœleſtes epulas & delicias anhelanti, indignum eſt, cum & de mala ciborum præparatione conqueri viliſſimorum ſit ſervorum, & ingratorum filiorum, & de exquiſitiore

eorundem lautitiâ multum loqui, guloſorum ventris mancipiorum.

§. UNICUS.

De Benefactoribus.

CUm immediatè ſuperiús mentio fuerit facta de Benefactoribus, conſultum videtur, praxes aliquorum Actuum pro Benefactoribus ponere. Sit itaque iſta;

Gratias ago Domine Paternæ providentiæ tuæ, quia mihi clementer benefactores providiſti, è quorum manu quidquid habeo, è manu tua habeo. Etiam temporalibus rogo Domine, non me deſtituas præſidiis. Offero tibi Domine meo & illorum nomine, ſed magis nomine tui nominis omne illud quod in nomine tuo benefactores mei fecerunt mihi. Depuro Domine omnia beneficia illorum, ut purè in nomine tuo fiant. Oro Domine ad ſanctas manus tuas panem multiplicantes, multiplica Domine benefactoribus meis, temporalia illorum bona.

Faciunt benefactores mei bene mihi peccatori, multo magis facerent alicui dilecto tuo. Benedic ergo illis, ſicut benedixiſti domui ObedEdom in adventu arcæ. Sicut benedixiſti viduæ ſuſtentanti Eliſæum, nam etiam illis præcepiſti Domine, ut paſcant me. Unio Domine beneficia illorum cum beneficiis tibi à Martha præſtitis, ſed maximè cum beneficio lactis tibi à Virgine Matre præſtiti, & cum omnibus curis ab illa & à ſancto Nutritio tuo impenſis pro tui ſuſtentatione, dum nobiſcum in carne degeres. Gratias tibi pro beneficiis naturæ & gratiæ quæ benefactoribus meis contuliſti, auge hæc

Domine illis. Diverte Domine à benefactoribus meis æterna, Purgatorii & vitæ hujus mala. Detestor Domine peccata benefactorum meorum, innovo illorum merita, & omnium, qui his bonis illorum ante usi & postea usuri sunt. Sancti qui usquam beneficiis alienis vixistis, orate pro benefactoribus meis, nam quid ego illis à Domino indignus impetrare possum. Honoro vos Angeli custodes benefactorum meorum, instruite me, ut vestris clientibus, meis autem Patronis digne & laudabiliter in rebus animæ servire possim.

En & benefactores mei Virgo Mater imitantur viscera misericordiæ tuæ. Totum nos voluit Deus habere per Mariam, voluit & me habere benefactores meos per Mariam. Gusta Domine providentias benefactorum meorum, puta indulgentissime hæc omnia tibi facta. Tu enim promisisti Domine, quia quicquid minimis tuis facient, tibi facient. Nonne & ego licet minor minimis tuis, tuus non sum. Respice Domine super hanc familiam benefactorum meorum, pro qua Dominus noster Jesus Christus &c. Deus qui charitatis dona per gratiam Spiritus Sancti tuorum Fidelium, meorum autem benefactorum cordibus infudisti &c. &c. videatur residuum in Missali, subdantur coronulæ ex actu; Requiem æternam. Pro benefactoribus & pro subditis illorum.

CAPUT XXII.

Recreatio.

Bestiæ post pastum ludunt, & tibi scilicet bestiarum perfuncto opere, indulgendum est ali-

quid, refectæ an infectæ bestiæ tuæ, corpori tuo. Homo ideò creaturis utitur, quia per usum earum ab eis stipendium servitutis accipit. Ad hoc enim factus est homo, ut creaturis serviat, in eo in quo illæ non possunt fungi officio suo. Officium creaturarum est Deum glorificare, hoc illæ præstare aptæ non sunt, quia rationales non sunt. Ergo mercede conducunt hominem, ut pro iis glorificet Deum. Atque ita homo servus, & operarius, & mercenarius est creaturarum, & ex justitia tenetur pro creaturis glorificare Deum, pro quo mercedis loco accipit usum creaturarum. Vide jam homo, quantis nominibus servus sis Dei, qui pro cunctis creaturis, ac pro te ipso servire teneris ei. Sic ergo creaturis utere, sic te oblecta, & recrea ex illis, ut per hoc noveris servum te esse illarum. Si itaque placet recreationem absolvere in hortis aut campis ridentibus, aviculis cantantibus, sive in re familiari te recreare volueris, & deliciari, in revisione jumentorum tuorum. Erige te, & hos vel similes elice actus. Quanta benignitas tua mi Deus, turpem ornando terram, tantum ei tribuens decorem, & quidem ab æterno illum destinasti, pro mea recreatione, sit in æternum benedicta hæc benignitas & providentia tua. Quanta potentia tua, qui tam parvas aviculas, tam suavem excitare melodiam facis. Cantate, laudate, aviculæ meæ canticum laudis, & gratiarum actionis Creatori vestro, & Deo meo, immunes à peccato, qui vobis providit annonam. Saltantes agnellos videns: Lauda Deum tuum pro illis, & pro omnibus creaturis cum confusione tui. Sic vel simili modo: O mi Deus amantissime, amo, laudo, glorifico benedico, exalto, adoro te pro omnibus creaturis tuis; Miserere nobis, sicut scis & vis & potes. Quantum ego ratio-

tionalis creatura , tot donis vallatus disto à creaturis tuis. Terra ad nutum tuum tantum profert decorem. Quid ego? nisi spinas & tribulos peccatorum, laudant te oviculæ & jumenta irrationalia. Et ego miser peccator, eheu quoties pro cantico laudis tibi maledictum peccati propino! Offero tibi ornatum, lætitiam, melodiam harum innocentium creaturarum tuarum, ad optimum purum gustum tuum, pro maximo disgustu, quem tibi ego, infelix peccator, toties peccatis meis provocavi. O Deus suavissime!

Si vero per colloquium tuam vis absolvere recreationem, hæc observa. Nihil omnino in colloquium adferendum, nec æquo animo audiendum, quod vel à longè proximi cujuscunque famam imminuere, fraternam charitatem lædere, aliorum teneriores conscientias contristare possit, nihil quod animi elationem, aliorum despicientiam, sæcularem levitatem, aut quamvis aliam quantumvis venialem Divinæ Majestatis offensam sapiat. Monitum S. Bern. in formula S. vitæ: *Cum loqueris, verba tua sint rara, vera, ponderosa, ac de Deo.* Si Secularis loquitur tecum, ac vana proponit, quam citissime potes, succide sermonem, & transfer te ad ea quæ Dei sunt. Nam qui de terra est, non mirum si de terra loquatur, sed qui profitetur se esse Apostolicum, Religiosum, Sacerdotem, cœlestem, loqui debet Apostolica, religiosa, pia, cœlestia, & circumcidere verba terrena, nam ex abundantia cordis, os loquitur. Sacerdos quoque dicitur Sal terræ, quidquid salem tangit, eo condîtur. Sic fratres charissimi, sint colloquia nostra talia, ut quilibet à nobis sale Humilitatis, pœnitentiæ, resignationis, contritionis, amoris Dei, & proximi &c. condîtus recedat.

§. UNICUS.

Recreatio Religiosorum.

SI apud Seculares spirituales, Argi oculi in recreatione desiderantur, ne cadant. Certe multo majori diligentia, observantia, & cautelâ opus apud Religiosos. Majus enim sibi lucrum putat cacodæmon, Religiosum stravisse, quam in turbido mari fluctuantem Clericum aut Sacerdotem, qui nullo clauditur claustro, Remis devotorum simul cohabitantium sociorum caret, de quibus Psalm. *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.* Majori ergo diligentia, & astutia, techno, ac dolo utitur adversarius, quo capiat Religiosos, sicubi, certè in recreatione. Consulto itaque faciunt aliqui Religiosi, ut mox post consuetam corporis refectionem, ad cellam, vel Oratorium se conferant. Commodissimum est enim, refecto corpore, silentium tenere, ad commodum locum pergere, ut ibi sibi & Deo vacet. Quod antiquitus suasit Thom. à Kempis lib. 2. de Devo. claust. c. 7. in hunc modum; *Prandio facto, ori tuo frænum impone, quia tunc promptior est homo ad loquendum, & videndum.* Memor sis pauperis Lazari ab Angelis in sinum Abrahæ deportati, quia hic in egestate magna, & doloribus. Dives autem divitiis, scurrilitatibus vacans, sepultus est in inferno, nunquam inde exiturus. Quare sancti Institutores Religionum, post corporis refectionem, silentium custodiendum esse censuerunt, ne videlicet, roborato corpore appetitus insolescat, & spiritus distractione attenuatus deficiat, ne etiam dum linguam solvimus, vanis sermonibus effluamus. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*

dere. Exod.32. certe non lusum bonum & tolerabilem, sed illum quo & Deo injuriam, & sibi excidium intulerunt. Ita multi, si post cibum & potum linguam laxent, & animi remissionem excipiant, solent incautè non parum offendere, & distractionibus cordis immergi. Optimè dixit S. Gregor. 1. mor. c. 5. *Penè semper epulas sequitur loquacitas. Cumque venter reficitur, lingua defrænatur.* Post prandium ergo discedere, & aliorum declinare conspectum, & taciturnitatis fune constringi, bonum est. Evitabit enim illud Spiritus Sanctus. *In multiloquio non deerit peccatum.*

Non tamen culpanda apud alios Religiosos recreatio post sumptum cibum, per colloquia, ut est apud Patres Societatis Jesu, ex sancta institutione S. Patris Ignatii. Tempus enim illud, quod sumptionem cibi sequitur, ad serias occupationes est ineptissimum, quare meritò remissione aliquantulæ (quam nullus negabit in vita laboriosa maximè per speculationes esse necessariam) concedendum, & ex eo simul non parum commodi, ad spiritualem vitam eliciendum. Dum curas enim & labores parum remittimus, alacriores & robustiores ad easdem curas reassumendas evadimus. Augetur enim hac mutua collocutione fraterna charitas, & sanctus in Christo amor, qui velut afflatus excitat ignem ex scintilla minima, sic ut mutuis beneficiis, ita & amicabili conversatione provehitur. Et erigunt deinde sese ad res cœlestes desideria, quia cum res spirituales illis colloquiis sæpe tractentur, non possunt non mentes earundem rerum amore succendi.

Non

Non tamen placet, imò periculosissimum est, si Religiosi bini, vel terni, vel quaterni, in cellam alicujus, vel ad angulos domus, abeant, & seorsim ab aliis colloquantur, & remissionem assumant. Præsertim, si adolescentiores sint, quibus, pro ratione ætatis, non admodum est fidendum. Hi namque ex cibo ad lætitiam laxati, & sine teste quem revereantur, sermocinationibus occupati, quid mirum si excedant, & quid toto manè sanctis operibus lucrati sunt, per contentionem aut distractionem aut ineptam confabulationem amittant. Est enim pestis crudelissimæ religionis indicium; Singularitatis scilicet, licet prætendantur colloquia spiritualia, timendum illud Apostoli; Ne dum Spiritu incipiant, carne consumant, circuit enim Diabolus tanquam leo rugiens, facile inveniens solitarias oviculas, sine pastore quas devoret. Quare sanctissime S. P. Ignatius instituit, ut post refectionem omnes (non tres aut quatuor) simul in locum publicum (non privatum, non ad angulum) à quo non sit absens Prælatus, se conferant.

Objiciet forte quis. Talis recreatio periculosa, ne coincidat cum illa, de qua Spiritus Sanctus; Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere, consequenter timendum, ne offendatur Deus, sed facilis responsio, si viderint apud Religiosos non convivia & compotationes celebrari, sed sobria ac religiosa refectione vitæ necessaria corporibus suis uti. Et si aliquis esset tam procax, ut aliquid minus religiosum præsumeret, adest Moyses, id est Prælatus, vel qui vicem ejus gerit, qui immodestum arguit, ejusque inverecundiam compescat. Talis recreatio etiam à sanctis Patribus eremi cultoribus, qui vitæ rationem asperrimam sectabantur, admissa est; Quod ex S. Hieron. perspicuum 1.

Ep.22. ad Euthym. *Post hoc concilium solvitur, & unaquæque decuria cum suo parente pergit ad mensam, quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrant. Nullus in cibo strepitus est, nemo comedens loquitur, vivitur pane leguminibus & oleribus, quæ solo sale condiuntur. Vinum tamen senes accipiunt, quibus & parvulis sæpe fit prandium, ut aliorum fessa sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens. Dehinc consurgunt pariter & hymno dicto, ad præsepia redeunt, ibi usque ad vesperam, cum suis unusquisque loquitur, & dicit: Vidistis illum & illum? Quanta in ipso sit gratia? quantum silentium? Quam moderatus incessus? Si infirmum viderint, consolantur, si in Dei amore ferventem, exhortantur ad studium.* Hæc ille.

Quomodo autem se gerendum, pulchrè scribit Pachom. in reg. 14. his verbis: *Si egressus fueris à cibo, ne loquaris in redeundo, donec ad locum tuum perveneris. Ibi modestè sedebis, non in adstantes reclinatus, sed rectus, non parieti affixus scopulis, sed tantillum separatus, ut aliquid mortificationis sentias, ut certe si corporis imbecillitas non ferat, decenter applicatus. Sedebis autem, non socium quærens, quo cum libenter loqueris, sed juxta illum senem, sive juvenem, sive Literatum aut laicum, quem sors ingredientium & prius sedentium obtulerit. Si socius à latere stans senior sit, aut dignitate major, aut eum loqui incipientem expecta, aut tacentem ut minor interroga. Si æqualis sit aut minor, poteris tu sine immodestiæ nota alloquium inchoare.*

Nota tamen, quidam in hac remissione omnino esse reticenda, quædam vero dicenda. Reticenda sunt, qui statui religioso minime congruunt, nec Dei adstantis præsentiæ conveniunt. De nulla igitur re aut persona detra-

detrahes, neminem verbo pungas, de nulla re cum illo contendas, rumores & novitatis ædificationem non afferentes nequaquam narrabis, non indecenter ridebis, non vociferando verba facies, & breviter, universos linguæ defectus abscindes. Dicenda vero sunt, quæ minime Spiritum lædant, & aliquantulum naturæ nostræ recreatoni proficiant. Nimis ergo seria & gravia tunc omittenda sunt; Hæc enim ad consultam spectant, aut si aliquid serium se offerat (quod non semel se offert) amicabiliter, jucundeque tractandum. Aliquid ex lectione mensæ, quod magis arrisit, commemorabis exemplum ædificationis, vel antiquum vel modernum, & narrationem adduces, aliquis Scripturæ locus, quomodo sit vernacula lingua vertendus, disputabis. Virtutes nunc viventium, vel Prælatorum, vel Seniorum, si ipsi non audiant, laudabis; Et quam sint dignæ imitatione. Propones aliquid indifferens, etiam interdum in colloquium admittes. Hæc & alia hujusmodi sic conferantur, ut non quasi concio instituatur, aut quasi disputatio legatur, sed quidquid illud fuerit, quod in sermonem vocatum est, hilariter & festive tractetur. Ita enim natura, Oratione & assidua præsentia Dei, & lectione frequenti, & ministeriorum pondere prægravata, se exonerat, & vires ad resumendos labores recuperat.

Pars

PARS II.

PErvenimus tandem Deo ſint laudes ad meridiem, ad ſecundam videlicet partem diei, quam ſic inchoato. Ut primam partem, utpote: à viſitatione venerabilis Sacramenti, ut ſi quid in ſumpto cibo, vel in mutuo colloquio erratum fuit, ibidem doleas, veniamque humiliter poſcas, ac gratiam ad ſanctè vivendum, & ſtrenuè laborandum, in ſequenti parte diei, poſtules.

CAPUT I.

Modus viſitandi Venerabile poſt prandium.

§. I.

Oblatio greſſuum.

SIcut manè obtuliſti greſſus tuos ad venerabile Sacramentum, ſic & hanc oblationem eodem modo inſtituas, ſolummodo mutando unionem greſſuum. Quæ ſit: In unione greſſuum, quos miſericors Filius Dei fecit ad montem Calvariæ. Cætera ut manè.

§. II.

Ipſum iter.

COgita, quàm cruenti & doloroſi fuerint greſſus Jeſu amoris tui ad crucem, quorum tu cauſa es. Itaque cum amore Jeſu, & deteſtatione peccatorum perge ad ſalutandum Jeſum amorem tuum in venerabili Sacramento ab omnibus derelictum, ad purum putum guſtum ejus, in recompenſationem illarum amaritudinum, quas paſſus in morte ſua.

§. III.

§. III.

Ipsa in loco Visitatio.

FAndem incipe ut manè. Deinde pro actu festinationis, & aliorum actuum, pone hos sequentes; Ave Domine Jesu Christe, verus Deus & Homo, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, te mihi nascens in socium, convescens in edulium, moriens in pretium, regnans in præmium dare dignatus es, ego pulvis & cinis, indignus conspectu tuo, ob innumera peccata, de quibus medullitus doleo, te Dominum ac Deum meum, hic verè præsentem, omnium creaturarum possibili affectu, saluto, laudo, glorifico, & ab omnibus, in omnibus, supra omnia adorari, laudari, & glorificari desidero, in æternum & ultra. Agnosco, & amplector charitatem tuam erga me, qua me cum Patre & Spiritu S. ab æterno sic dilexisti, creasti, redemisti, justificasti, vocasti, huc usque tam ingratum deduxisti & conservasti, & ut spero, glorificabis in æternum, & ex toto cordis affectu gratias ago, atque in Sacrificium laudis, & gratiarum actionis, omnium Sanctorum obsequia, & me ipsum tibi in unione tuorum infinitorum meritorum offero, totus tuus esse & permanere desidero, sicut tu totus meus esse dignaris. O Jesu Deus cordis mei, & pars mea in æternum. In te ô ineffabilis Veritas credo, in te unica mea Spes spero. Te ô infinita Bonitas amo, & amare desidero propter te, supra omnia in æternum. Gaudeo de omni perfectione, beatitudine & gloria tua, meque tibi totum, usque in mortem & annihilationem mei, resigno. Utinam semper sic te amassem, & nunc amarem, & nunquam offendissem, nec offenderem posthac in æternum.

Doleo

Doleo de omnibus peccatis meis, quia tibi quem supra omnia diligo, displicent, cupio & propono, serio emendare, & pro illis satisfacere. In satisfactionem, me & omnem vitam meam, tuo obsequio offero, veniam cum finali gratia precor, & spero per te ô bone Jesu, in cujus meritorum abyssum me demergo, tu æterna charitate tua, supplere digneris imperfectum meum, meque tuis indutum meritis, sanctissimo tuo penitus in omnibus conforma beneplacito, nec in æternum permittas me separari à te (hic interseri potest communio spiritualis, pro cujusq; devotione brevissimis affectibus) v.g. Hæc ut efficacius consequi merear. Veni ô bone JESU, fons omnis gratiæ in cor meum, possid e & reple illud gratia tua, & conforma illud sanctissimo cordi tuo in vita, in morte, in æternitate, ô JESU, Dominus meus & Deus meus, sim totus tuus, & tu meus in æternum. In te vivam, in te moriar, in te perennem, misericordias tuas decantans, & cum Cherubim & Seraphim, incessabili tibi voce proclamans; Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Similem veniam & misericordiam omnibus pro quibus mori dignatus es, præsta defunctis requiem, vivisque gratiam concedens, ut tibi perfectissimè, sicut scis & vis, placeant, te ament, & glorificent, una cum Patre & Spiritu S. nunc & semper.

Benedic iterum Filium Dei, Deum verum pro te incarnatum, per mysteria dolorosa, cum genuflexione. Sis millies benedictus dulcissime Jesu, quod pro me miserrimo peccatore volueris sanguinem sudare, sis millies benedictus Amantissime Jesu, quod pro me miserrimo peccatore volueris flagellari, &c. &c. &c. addendo ut mane. Salve Virgo ante partum, salve Virgo in partu, &c. Similiter ut mane repete; Regi sæculorum immortali, & invisibili &c. in honorem Dei Filii. Adde coronulas parvas octo modo manè tradito recitandas.

1. Deo gratias.
2. Requiescant in pace.
3. Sit nomen Domini benedictum.
4. Fiat voluntas Tua.
5. Adveniat Regnum Tuum.
6. A peste, fame & bello libera nos Domine.
7. Spero.
8. Laudetur Sanctissimum Sacramentum.

Has coronulas absolve, præmissa tamen oblatione eadem sicut manè præter primam quidem coronulam, quam dices ex virtute gratitudinis pro beneficiis præsentibus.

§. IV.

Recessus à Venerabili.

O Jesu Deus cordis mei, infinitè amabilis, totus desiderabilis, esto mihi Jesus, nunc & in hora mortis meæ, intra mellifluum cor tuum absconde me, nec permitte me in æternum separari à te. Te fruar in vita solatio, in morte viatico, post mortem præmio, & omnes mecum, per lachrymas, sudorem, & sanguinem tuum. Dignare Domine Jesu &c. ut manè.

Sanctissima Virgo Maria, vosque omnes Sancti &c. ut manè.

Accepta benedictione, perge domum. Gressusque ut manè offer, sed in unione gressuum, quos dulcissima Mater absolvit, visitando S. Elisabeth.

CAPUT II.

Lectio libri spiritualis.

SIcut primam partem diei, post visitationem venerabilis Sacramenti incepisti à meditatione, sic secundam partem à lectione libri alicujus spiritualis spiritum excitantis. Ante initium lectionis, poteris suspi-

rare ad Dilectum animæ tuæ sic vel simili modo; *Audiam quid loquatur in me Dominus meus, loquetur enim pacem in plebem suam*, loquetur ea quæ sunt misericordiæ, correctionis, salutis. Ascende igitur Dulcissime Jesu, Magister mi, Sapientia æterna, cathedram cordis mei, loquere, quid me velis facere, ecce enim audit servus tuus, & conservare vult, ac conferre omnia verba tua in corde suo diligenter & exacte, Vel cum S. Ephrem de patientia Tom. 2. *Domine Jesu Christe, aperi aures & oculos cordis mei, ad audiendum & intelligendum sermonem tuum, faciendamque voluntatem tuam Domine, quoniam incola ego sum in terra. Non abscondas à me mandata tua, revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. In te enim spes mea Deus meus, ut tu mentem meam illumines.* Non te ducat curiositas ad lectionem, sed Spiritus S. Amor Dei. Non quæratur itaque in hac lectione curiositas, sed utilitas, non quod pruriat auribus, sed quod affectum compungat ac moveat, legatur. Non ad solam notitiam, sed ad opus quod lectum erit, ordinetur. Tempore hujus lectionis non multa legantur, plura cogitentur, plura deliberentur, & quonam pacto etiam fieri oporteat, apud se quisque meditetur. Si ea quæ legeris fixa in memoria non hæserint, ne nimium soliciteris, sola lectio animum reficit, & nescio quomodo sine fixa recordatione Spiritum promovet. (Quo maximè indiget sacerdos, ut alios accendat & commoveat) Quod Dacrianus Monachus, aptissima similitudine docuit, in speculo Monach. habetur Tom. 5. Bibliothecæ. *Non turberis*, inquit, *si bona quæ legis, aut audis, universa in memoria non retineas. Nam quemadmodum vas, quod sæpius aqua perfunditur, purum permanet, etiamsi aqua effusa statim effluat, ita si mentem benevolam*

doctrina spiritualis crebro pertransierit, quamvis ibi non persistat, ipsam tamen mentem nitidam, Deoque placentem reddit & conservat. Utilitas tua singularis, non in hoc sita est, ut doctrinæ verba memoriæ commendes, sed ut doctrinæ, verborumque effectus in te remaneat, id est, ut tu ex doctrina puritatem interiorem, paratamque voluntatem adimplendi mandata Divina consequare. Nec obest, si debilis sis memoriæ, annota scripto sensus practicos, ut illos exequaris sensim. Præterea, non mutetur singulis diebus liber, sed aliquo longo tempore, unus autor, idemque legatur. *Non enim lectio*, ut ait S. Bonav. in spec. p. 2. *c. 7. quasi casu reperta ædificat, sed reddit instabilem animum.* Sit etiam lectio ipsa temperata, cui finem consilium, non lassitudo imponit. Nam ut immoderata jejunia, & ardor abstinentiæ, enormes immoderatæque vigiliæ intemperantiæ coarguuntur, idque nimietate sui pariunt, ut hæc ipsa postea nec mediocriter quidem fieri possint, ita studium lectionis intemperans in reprehensionem cadit: quodque laudabile est in tempore suo, fit de nimietate culpabile verbo, in bonis quoque rebus, quidquid modum excesserit, vitium est. Tandem sicut lectio incepit ab oratione, sic eandem quoque interrumpat oratio jaculatoria, qua illud quod à Domino audimus bonum esse, vel malum, à nobis aut faciendum, aut vitandum esse, quasi respondentes statuamus. Lectionem itaque finiat oratio, qua & pro doctrina nobis oblata, gratias agamus, & quod dictum est, in illa, præstare desideremus. Si hac ratione quam exposuimus spirituali lectioni te dederis, mens tua tanquam saluberrimis & suavissimis cibis refecta, & fortis ad operandum bona, & ad resistendum malis evadet, & non semel defectus orationi minus fervidæ & distractæ supplebit. Quantum ergo melius tractare chartas libri spiritualis, quam lusorias, ex qui-

ex quibus distractio, scurrilitas, ira, invidia, avaritia, & innumera nascuntur vitia, præter jacturam temporis pretiosissimi, & irrevocabilis.

CAPUT III.

De Cultu SS. Patronorum.

CUm multis egeat homo, vel maximè Sacerdos, qui non solùm sibi, sed & animabus sibi commissis, in hoc turbido & periculoso mundi mari consulere debet, consultum, ut sibi provideat tales, qui sint potentes tam se, quàm sibi commissos, è tanto liberare periculo. Hi sunt Sancti, quorum suffragiis possumus accendi luce variarum virtutum, quâ nobis commissos ad felicem pertrahamus portum.

Bonum itaque, ut sibi Sacerdos eligat certos Sanctos pro Patronis, tam sui ipsius quàm muneris ipsius. 1. Totius vitæ Patronum, & hic sanctus nominis ex Baptismo, quem invocare potest saltem semel in hebdomada, si non quotidie, & quolibet solenni festo, sic vel simili modo: Sancte N. cujus patrocinio & nomine, jam ab ipsa hora Baptismi me Deus munivit, respice ex illa æternæ securitatis urbe, me hic inter quotidiana æternum pereundi pericula exulem, & juva ut felicem hujus nominis catalogum, nomine meo augeam, in libro vitæ. Tolle à me quod me impedit, & impetra id quod mihi magis expedit ad salutem, nec me desere, usque dum una tecum coram Deum videam, & amem in æternum.

2. Eligat sibi præterea Patronum anni, mensis, hebdomadæ.

3. Patronos officii aut muneris sui, meditationis, qui potest esse S. Josephus. Experientia constat illum multum prodesse. Sacri; S. Ignatium aut S. Philip. Nerium & Sanctum ejus diei quo celebras, si fuit Sacerdos. Concionum; S. Antonium de Padua & S. Franciscum Xave-

 rium.

rium. Auditionis confessionis, S. item Ignatium & Philippum Nerium. Confessionis faciendæ, S. Petrum Apostolum, S. Mariam Magdalenam &c. Pro servitio peste infectorum, S. Rochum, S. Carolum Borromæum. Cibationis Pauperum, S. Gregorium Magnum. Noctis, S. Angelum Custodem. Felicis transitus ex hac vita, S. Josephum, S. Barbaram. Ad Judicium seu Tribunal Divinum, S. Michaelem Archangelum, S. Ivonem. Ad evadendum Purgatorium seu ex illo quantocyus exeundum, S. Laurentium. (Revelatione enim constat, S. Laurentium qualibet feria sexta liberare animam ex purgatorio) Nunquam tamen Matris misericordiæ obliviscaris, ad quam ubique plurimas invenies orationes, pro omni necessitate, vel maxime pro felici puncto quo pendet tota æternitas, inter plurimas sit hæc una; In exitu animæ meæ de hoc mundo, occurre illi Domina, & suscipe illam, consolare eam vultu sancto tuo, aspectus Dæmonis non conturbet eam, esto illi scala ad Regnum cœlorum, & iter rectum ad paradisum Dei, sustine devotos ante Tribunal Christi, suscipe causam eorum in manibus tuis, sic S. Bonav. in psalt. Virgin. Sint tibi quoque Patroni cujuslibet diei, per quos gratias ages Deo pro certis beneficiis, à quibus quotidie, per modum mendici Eleemosynam petes, & per illorum merita satisfacies pro certis debitis aut propriis aut alienis, e. g.

§. I.

S S. Patroni diurni.

Die Dominico. Omnibus quascunque exercebis actionibus, Sanctissimam Trinitatem, Deum & Dominum tuum clementissimum, omni quo poteris affectu & demissione venerabere. Gratias ages Divinissimæ Majestati illius, quod Te in agnitionem glorio-

gloriosissimæ dignitatis suæ, tot aliis posthabitis misericorditer produxerit, & in delicioso Apostolico statu posuerit, ubi toties eum ipsum, in quo omnes Patris deliciæ, manducare conceditur. Impetrare quoque intendes, tum veniam scelerum, ignorantiarumque tuarum, & Paternam pauperculæ animæ tuæ à Patre misericordiarum benedictionem, & ut fiat habitatio sancta, & sedes æternæ gloriæ illius, nihilque in eo templo suæ dignitatis inveniatur, quod oculus Majestatis offendat? Tum, ut secundum magnitudinem bonitatis suæ, & multitudinem miserationum suarum, dignetur recordari tui mendici, servuli sui longe exulantis, in regione umbræ mortis, & quam plurima ad gustum semper benedictæ voluntatis suæ agere patique concedat. Tum, ut misericorditer conservet animam miserrimi operis manuum suarum, & comitante gratia sua, inter tot discrimina vitæ corruptibilis dirigat gressus cæcutientis, per viam pacis, ad patriam perpetuæ claritatis. Satisfacies pro delictis totius vitæ applicando ad eam intentionem, saltem ter singulis mensibus, indulgentiam quam lucrari potes communicando.

Feria secunda. Honorabis præcipue Sanctos tui status, S. Philippum Nerium, S. Carolum Borromæum &c. &c. Gratias ages pro dono Creationis & Redemptionis. Impetrare cupies veram Humilitatem & Patientiam. Satisfacies pro animabus tui status in Purgatorio detentis.

Feria tertia. Honorabis S. Petrum & S. Paulum, & omnes viros Apostolicos, jam in cœlesti Jerusalem beatos concives. Gratias ages pro eo beneficio, quod te arborem aridam, huc usque DOMINUS DEUS in hujus sancti status Apostolici

viridario, supereſſe patiatur. Impetrare voles ſpiritum Apoſtolicum & lucrum animarum. Satisfacies pro peccatis omiſſionis, quibus infelix homo, tot bonorum ſpiritualium lucra prodegiſti.

Feria Quarta. Honorabis SS. Patronos menſtruos. Gratias ages pro beneficiis naturalibus. Ingenii, valetudinis &c. Impetrare ſtudebis, profectum in amore Dei, ſummi Boni tui, & puritatem mentis ab affectu omnis creaturæ. Satisfacies pro animabus purgatorii.

Feria Quinta. Honorabis Sanctos ſanguine Chriſto Domino & ſanctiſſimæ Matri illius junctos. Gratias ages pro eo, quod tibi cani toties redeunti ad vomitum, huc uſque acceptabile tempus pœnitentiæ prorogatum ſit. Impetrare intendes, puritatem Angelicam. Satisfacies pro Parentibus & cognatis.

Feria Sexta. Honorabis quam demiſiſſimè propter te deſpectum, & ad mortem usque humiliatum Jeſum Chriſtum, dulcem amorem tuum. Gratias ages pro omnibus donis, gratiisque ſupernaturalibus. Impetrare intendes ardentem ſitim, & vires ſufficientes ad ſupportandas, quas Dominus impoſuerit, aut permiſerit cruces, tribulationes, perſecutiones. Satisfacies pro delictis linguæ & cogitationis.

Sabbatho. Honorabis SS. Virginem Matrem & Dominam clementiſſimam. Gratias ages pro omnibus beneficiis, quæ à Deo tuo per munificentiſſimas manus illius tibi miſero peccatori collata ſunt, ardenter deſiderando, ut ipſas per æternitatem continuare poſſis. Impetrare intendes, ſanctiſſimam illius contra incurſus Diabolicos, nunc & in hora mortis protectionem, & in Deo Dominaque tua, quam maximè honoranda & ſuperexaltanda, lumen, ardorem, auxilium. Satisfacies pro tepiditate in oratione, aliisque ſpiritualibus exercitiis.

Vel

Vel etiam ſint tibi Patroni cujuslibet diei pro certa virtute plantanda, & vitio extirpando, donaque Spiritus S. & ejus fructus obtinendos, e. g. Antequam autem deſcendas ad Patronos uniuscujusque diei, potes quotidie præmittere coram Deo electionem tuorum Patronorum, hoc vel ſimili modo:

„ In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Ego pro „continuis & quotidianis meis advocatis, Interceſſori- „bus, Protectoribus, hodie mihi eligo beatiſſimam Vir- „ginem Mariam, Joannem & Mauritium (Sanctos no- „minis tui) N. N. ſanctum Patronum diei, Angelum „meum cuſtodem, S. Michaelem Archangelum, S. „Ivonem &c. &c. & omnes Sanctos, qui hoc die ad im- „mortalem gloriam evocati ſunt, omnibus illis humi- „lem reverentiam, profundamque inclinationem fa- „cio, & omnes neceſſitates meas illi commendo, prin- „cipium atque finem actionum mearum, & animam „meam in hora mortis, Amen.

Die Dominico tibi, ô ſancte Joannes, S. Mauriti, S. P. Ignati, S. Valentine, S. Laurenti, totum me committo & commendo, humiliterque ſupplico, ut per amorem illum & reverentiam, quam Domino noſtro Jeſu Chriſto exhibetis, omnes actiones meas dirigere, & ad finem creationis meæ me perducere velitis. Impetrate mihi veram perſeverantiam in vera fide Catholica, & in bono incepto. Peccati acediæ veniam obtineam, donum Sapientiæ poſſideam, in Spiritu proficiam, Amen.

Feria ſecunda. Tibi S. Joannes, S. Mauriti, S. Joſeph, S. Barbara, S. Valentine, S. Laurenti, omnia opera mea, quæcunque facturus ſum, committo & commendo, & devotiſſimè oro, ut per veſtram interceſſionem

bene omnia cedant, atque Domino noſtro Jeſu Chriſto, in memoriam paſſionis & mortis illius offeratis. Mihique felicem tranſitum ex hac vita, munito ſanctiſſimis Sacramentis, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ & extremæ Unionis impetrate, & veniam peccati gulæ, & donum perfectum Intellectus, in me cognoſcam, Amen.

Feria tertia. S. Joannes, S. Mauriti, S. Stanislae Koſtka, S. Valentine &c. S. Angele Cuſtos, impetrate mihi gratiam à Salvatore hominum, caſtitatis & puritatis. Cuſtodite me ab omnibus peccatis, periculisque præſentibus & futuris, docete me per cuſtodiam ſenſuum, ad veram tendere perfectionem, veniam peccati luxuriæ habeam, perfectum conſilii donum veſtra interceſſione poſſideam, Amen.

Feria quarta. S. Joannes, S. Mauriti &c. S. Franciſce Seraphice, impetrate mihi à Spiritu S. perfectiſſimum amorem Dei mei & proximi, ut amore Jeſu mei moriar, qui amore mei dignatus eſt mori. Impetrate quoque veniam invidiæ, perfectum pietatis donum veſtro favore habeam & conſervem, Amen.

Feria quinta. S. Joannes, S. Mauriti &c. S. Auguſtine, S. Valentine &c. per amorem Jeſu Chriſti in venerabili Sacramento, impetrate mihi perfectiſſimam humilitatem in omnibus, & coram omnibus, gratiam timendi Deum meum, ſerviendi illi, & tantum amandi eundem, quantum obligatus ſum, cognoſcam inſpirationes bonas, easque exequar, peccati ſuperbiæ veniam obtineam, perfectum ſcientiæ donum vobis deprecantibus acquiram, Amen.

Feria ſexta. S. Joannes, S. Mauriti, S. Laurenti, S. Valentine &c. rogo vos per crucem ſanctam, impetrate mihi paſſionis & crucis Domini noſtri devotionem & amorem propriæ voluntatis, omniumque ſen-

ſuum

suum mortificationem. Dei optimi, meique ipsius cognitionem, vitiorum extirpationem, contra tentationes pravasque inclinationes fortitudinem, in adversitatibus constantiam, veniam iræ accipiam, perfectum fortitudinis donum vestro favore habeam & conservem, Amen.

Sabbatho. Dulcissima Virgo Maria, S. Petre & Paule, S. Joannes & Mauriti, S. Maria Magdalena, S. Valentine, Laurenti &c. Impetrate mihi à Domino Jesu Christo, Redemptore animæ meæ, contritionem dolorosam supernaturalem, nunc & in omni confessione, post quodcunque delictum, & in hora mortis meæ, lachrymarum donum, maximè in ultimo agone vitæ meæ, cordis, conscientiæ & intentionis, in omnibus actionibus meis puritatem, vitæ innocentiam, totius vitæ rectitudinem, beatissimæ Virginis gratiam & favorem, cum placuerit Domino venire, auxilium in hora mortis experiar. Veniam avaritiæ, perfectum timoris Dei donum, vestris meritis possideam, Amen.

Pro Clausula quotidie adde: S. Maria morientium tutela, S. Angele à Deo mihi assignate, omnes Sancti, quibus in morte Christus, vel B. V. vel Sanctorum aliquis apparuit, & ad bene moriendum juvit. Omnes Sancti, qui eos, in horrendo mortis agone versantes, soletis singulariter adjuvare, assistite mihi in agone meo, & orate pro me, ut tunc mihi propitius appareat Jesus, qui veniet me judicare.

§. II.

Ad Spiritum S. pro donis ejus nunc per 7. dies hebdomadæ intimatis obtinendis.

DIe Dominico. *Pro dono Sapientiæ* sic ora; Spiritus Sancte Deus, de Deo Patre, Filioque procedens, utri-

utriusque amor, fons bonitatis. Effunde in me, ô suavissime Spiritus, donum sapientiæ, & cum eo fructum charitatis, gaudii & pacis. Nam quid mihi prosunt omnia bona, si à me absit sapientia? Quomodo autem illa mecum sit, nisi tu dederis eam, qui solus intelligis viam ejus, & ipse solus nosti locum ejus, quippe qui scrutaris etiam profunda Dei solus. Nisi ergo tu dederis eam servo tuo, væ mihi erit, scienti enim bonum & non facienti, peccatum est illi, nemo autem facit bonum quod novit, nisi cui bonum sapit. Sapere autem bonum Sapientia est. Hæc est enim sapientia; diligere, gustare, experiri & sapere summum Bonum, & in eo aliud omne bonum. Nam qui non sapit summum Bonum, is utique non sapit? & cui in summo Bono omne bonum non sapit, neque is sapit, quia à summo Bono summum Bonum non sapit. Summum enim Bonum est, quod omne bonum in se continet, & sine quo nihil bonum est. Hac ergo Sapientia summi Boni imple me, ô Spiritus sapientiæ. Ah quis mihi det, ut impleas in me illud, quod per Prophetam dixisti; Requiem dabit tibi Dominus, & implebit splendoribus animam tuam. O Requies, ô Splendores, Requies opulenta, Splendores Sanctorum, quibus sanctæ animæ non illuminantur solum, sed etiam satiantur ac impleantur. Et quia implentur, requiescunt, in quiete nihil aliud agunt, nisi amant, & gaudent, & in pace sunt, atque ita sapiunt & in sapientia, & in fructibus sapientiæ sunt. Hujus ergo sapientiæ radium deriva in animam meam. O tu Spiritus Sancte, Spiritus suavis, Spiritus sapiens, ut anima mea delectetur in Deo bono & vero, ut nihil illi sapiat extraneum Deo, nihil sit illi bonum nisi Deus, nihil amet præter Deum, in nihilo gaudeat nisi in Deo, nihil sit pax ejus, nisi Deus. Ecce, ô Spiritus S. suppono tibi animam meam, cum omni capacitate atque latitudine

ejus.

ejus. Descende in eam, & imple, & occupa, & posside. Descende in eam cum donis tuis, imple illam fide tua, occupa illam spe tua, posside illam charitate tua. Crea cor mundum te dignum in ea, & te Spiritum rectum, quo rectè inter creaturas atque Creatorem incedat, innova in visceribus ejus. Pone illam semper coram oculis tuis, neque unquam expellas, aut projicias eam à facie tua, nec sanctitatem charitatis tuæ æternæ auferas ab ea. Redde illi lætitiam Salutaris tui, & te Spiritu principali confirma illam, ut nunquam dominentur ei nationes servituti natæ, sed illa quidem serviat semper tibi, cui servire regnare est, ipsi autem serviant omnia, sive cœlestia sive terrestria, sive amica sive inimica, sive Spiritus sive caro, sive mors sive vita.

Pro his, proque aliis omnibus bonis & gratiis tuis, ô Spiritus S. Deus, tibi supplico, totâ animâ, toto corde, totis viribus meis, tota fortitudine mea, ut facias mecum omne id, quod de me, in me, per me fieri disposuit æterna, omnipotens, sancta, laudabilis, suavissima voluntas tua. Tu nosti quid velis mihi, tu scis quid expediat rebus meis, tu vides quid placeat tibi, tu nosti, qua sinceritate loquar hæc tibi Factori omnis boni mei, & Scrutatori omnis secreti mei. Tu ergo fac mecum omnem bonitatem tuam, omnem suavitatem, omnem voluntatem tuam, eamque semper quàm citissimè, quàm copiosissimè, quàm plenissimè, ad gloriam tui magni & sancti Nominis perfice. Quam postulationem meam ego non pro me solo, sed pro omnibus etiam illis, quos te conscio & largitore in charitate tua diligo, tibi offero. Exaudi illos omnes in desideriis meis, sicut & me vicissim in desideriis illorum, ut in gratiarum tuarum plenitudine, omnes tibi hic servientes, omnes etiam misericordias tuas cantemus tibi Deo nostro, cum Patre & Filio ejus, in æternum, Amen.

Nota: Hæc clausula quotidie repetatur.

F*Eria secunda. Donum intellectus* roga. Effunde in me, ô vere Spiritus, donum Intellectus & Fidei fructum, ut oculus mentis, radio lucis tuæ purificatus, par sit cognoscendæ atque penetrandæ veritati tuæ, eamque non tantum credat fideliter, sed etiam penetret sublimiter, ac efficaciter. O Spiritus Veritatis, emitte lucem tuam & veritatem, quæ me deducant & adducant in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua, in quibus tu pascis animas quas invenis, hoc est, efficis gratuito munere dignas te, & capaces tui. Emitte lucem tuam super mentem meam, ut ubique te præsentem, & perfectiones tuas cognoscam & videam. Nulla sit creatura tam magna, in qua te majorem non advertam, nulla tam parva, in qua tu totus mihi non splendeas, æque sis mihi communis in miris, & mirus in communibus, Sapientia, Bonitas, Potentia, Immensitas, Charitas, Justitia, miseratio appareant mihi, ubicunque sunt recondita à te. Neque in creaturis tantum, sed multo magis in Scripturis tuis, atque in Fidei mysteriis cognoscam te, & bonitatem tuam, & sapientiam, & charitatem, & justitiam, & longanimitatem, & quidquid in eis conclusisti arcanorum tuorum, in salutem Electorum tuorum intelligam, & intuear hæc omnia, juxta arbitrium & magisterium tuum, quo sine nihil scio, nisi tenebras meas: quanquam neque has ipsas scio, nisi tu modo illumines me, ad cognoscendum eas. O Paterne Spiritus, ô Verbi Spiritus, ô Amor Spiritus, da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Da mihi intellectum, & instrue me, da mihi intellectum & vivam, vivam veritate & non vanitate, vivam tibi & non mihi, vivam ego non jam ego, sed vivas in me tu, qui es omnium vita, vivam & non moriar, quia in ipsa morte vivam, eritque ipsa mors mihi vitalis, vivam & beatus ero, quia mundus corde ero. Beati autem

tem mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Deum autem videre vita est. Hæc est vita æterna, ut cognoscamus Patrem, Deum verum, & quem misit illum Jesum Christum, & Patris Filiique Spiritum Sanctum. Hæc est fides mea, hæc fiducia, hæc fidelitas, hæc subjectio, hæc obedientia, hæc victoria, hæc est enim victoria, quæ vincit mundum, fides nostra, ut vir obediens, Deo atque propter Deum, loquatur victorias. Pro his, proque aliis omnibus bonis & gratiis &c. ut sup.

Feria tertia. Donum Consilii pete. Effunde in me, ô rectissime Spiritus, Consilii tui donum, & simul cum eo Longanimitatis fructum. Imbue me consiliatrice prudentia, ut semper quoties opus est, tam mihi, quam proximo meo, incidat mihi prompte ac opportunè consilium bonum, circumspectum & voluntati meæ consonum. Da mihi animum semper rectum, sagacem, cautum, providum, maturè festinantem, festinolentum, ad subitos eventus præmeditatum, ad occultos exitus atque casus impavidum, inter prospera & adversa æqualem, à longe omnia qui in rem ubique sunt prævidentem, moræ & dilationum tolerantem, in rebus succedentibus non electum, in hærentibus non dejectum. Da mihi cautelam in sermone meo, da gratiam oris, da perspicacem ad interiora oculum, da inter dolosos & candidos, mutabiles & constantes discretionem. Da sedatos affectus, pacatum animum, compositum corpus, amabilem aspectum, decentes mores, famam necessariam, opinionem ubi & apud quos opus est, propositum rectum, puram mentem, conscientiam tibi soli servatam, teque solo contentam. Pro his &c. ut sup.

Feria quarta. Donum Pietatis postula. Effunde in me, ô divinissime Spiritus, Donum Pietatis, quo adjuvante gratiâ tuâ, me rectè habeam ad Deum, & ad omnia propter Deum, pietas enim ad omnia valet, sub-

ſubjice me per pietatis tuæ donum, inprimis ipſi tibi DEO meo, ſubjice deinde cuivis propter te DEUM meum. Superiori meo. Exæqua me compari meo,& exhibe benignum inferiori meo. Simul vero cum Pietatis tuæ munere, largire mihi bonitatis atque benignitatis tuæ fructum. Nihil ut in meo ſit animo non bonum, nihil in moribus non benignum, ſed voluntas mea æque prona ſit ad volendum bene, atque prompta ad faciendum benigne, proximo cuilibet propter te; volens ſimul,& re ipſa exhibens eam, quam vult charitatem, beneficentiamque indigenti. Pro his &c. ut ſupra.

Feria quinta. Donum ſcientiæ mendica. Effunde in me, ô puriſſime Spiritus, donum ſcientiæ, manſuetudinisque fructum,& gratiâ operandi polleam, & artes actionum ſciam, ut in eis nec effundar, nec confundar, nec offendar. Sciam & impendi agendis, & minorari actibus,& ſupereminere actionibus,& dominari rebus, & tibi inhærere, & voluntati tuæ ſubeſſe. Sciam quid agas tu,& quid velis, magis velim & amem, quod vis,& amas, & jubes, & diſponis tu. Proinde mihi accidant ea, quæ circa mentem meam ſunt, atque ea, quæ juxta mentem meam eveniunt. Non metiar ex eventu, ſed ex voluntate tua, tam meas, quam alienas operationes atque voluntates: ambulem in his ſemper, quæ ſunt grata in oculis tuis; qualiacunque ſint coram alienis oculis, alta, humilia, docta, rudia, grata, inſuavia, laudata, reprehenſibilia, magna, parva, nullius vel omnium ſenſui accommoda, dummodo in manu Providentiæ tuæ diſpoſita atque ordinata. Non mihi diſpliceant inimici mei ſed tui, ſed neque hi, niſi mores eorum, qui etiam diſplicent tibi. Injuriæ non me irritent ſed erudiant, neque iram impetumve in me concitent, ſed me manſuetudinem doceant, & ad te reſpicere, ac in te con-

conquiescere compellant, crescat in me, sed non inflet me scientia rerum, atque cognitio necessaria. Tu dispone, ut ad cognitionem meam tempestive summiterque deveniant, sive legendo, sive audiendo, sive cogitando, sive aliis mihi ignotis, atque tibi notissimis, & consuetissimis docendi nos de omnibus viis, & modis. Pro his &c. ut supra.

Feria sexta. Donum fortitudinis efflagita. Effunde in me ô efficacissime Spiritus! donum fortitudinis, cum fructu Patientiæ, quo pericula corporis, atque animæ, propter te & contemnam, & aggrediar, & vincam & perferam. Nihil sit mihi arduum propter te, nihil difficile, nihil molestum, nihil intolerabile, præterquam peccare in te. Cætera omnia dura, dolorifera, vilia, contemptibilia, difficilia, hoc ipso mihi placeant, quia talia sunt; hoc ipso me ad subeundum provocent, quia formidabilia sunt: hoc ipso me confirment, quia patientiam & dolorem acuunt. Nihil sit mihi timori ô Deus meus, & universa virtus mea, nihil inquam sit mihi timori, præter te ipsum, & præter timorem cujusvis creaturæ. Te solum timeam Deus meus, alia verò omnia nihil timeam, sed tantum timere creaturas timeam. Timeam timere omnia, præter unum te, qui solus vere timendus es, super omnia & quem solum formidare, est Fortitudo vera, atque Magnanimitas maxima. Pro his &c. ut supra.

Sabbatho. Donum timoris Dei pete. Effunde in me sanctissime Spiritus donum timoris Dei, quo timeam nomen majestatis ejus sanctum atque terribile, & declinem ab omni malo, neque defluam in concupiscentiam delectabilium tam carnis quam mentis meæ vanitatem, sed potiùs confixus salubribus amoris tui telis, stem firmus inter filios Dei, non pœnam peccati metuens à Patre, sed peccatum ipsum in Patrem abhor-

rens, non manum parentis fugiens, sed offensam, neque hæreditatem, sed gratiam in oculis ejus invenire laborem. Atque simul cum pretioso isto dono timoris tui, largire animæ meæ fructum modestiæ, sensualitati fructum continentiæ, corpori fructum castitatis: ut in tempore tuo constitutus, possideam omnes tam internas quam externas vires meas, in sanctificatione, efficiarque per omnia immaculatum & sanctum templum tuum. Pro his proque aliis bonis &c. ut sup.

CAPUT IV.

Devotiones singulorum dierum hebdomadis, ex fundamento Humilitatis.

Die Dominico.

Vilitatis propriæ protestatio.

PRotestor coram te Eminentissime Deus meus, hac hora semel pro semper, & pro omni beneplacito tuo, me ex me nihil esse omnino, nihil posse, nihil habere, nihil velle, nihil mereri, præter purum nihil. Omnis malitiæ, & imperfectionis, stultitiæ & infirmitatis, ruinæ & vilitatis fontem æternum. Cum hac de me ipso scientia & veritate, vivens ac moriens, per omne momentum inveniri, ac permanere volo, præsentemque protestationem meam, perinde ac si quolibet sequenti momento à me facta esset, pro omni momento factam esse & valere cupio. Ideo & hanc veritatem toto me, totis viribus, totis potentiis, totis circumstantiis, mentisque, atomis denique meis totis & omnibus, incessabiliter, & æternaliter protestari volo, ipsoque facto nunc, iterum, & millies, milliesque protestor. Nihil sum mihi, nihil sum tibi Domine Deus meus, tu autem es omnia tibi, omnia mihi. A te & à me, per omnia amandus, amabilis, amatus super omnia, superdignissimus Deus meus.

Feria secunda.

Spiritus humiliati & contriti Symbolum.

1. NIhil sum ex me ipso, & origo mea nihilum. 2. Ex me ipso non sum, sed totum ab alio, me ipsum accepi gratis, nempe ab omnipotente Deo, Factore cœli & terræ, cujus ideo servus, jumentum, & figmentum manuum sum. 3. In peccato conceptus, & ad peccandum projectus, atque præceps nutritus sum, sed & stultitia, atque malitia, simul de utero egressa est mecum, & inventus sum naturâ filius iræ. 4. Ideò peccavi infinita, enormia, fæda, in oculis Domini; & thesaurizavi mihi impœnitens cor, atque iram Dei, in diem iræ. Nescivi quod benignitas Dei adduceret me ad pœnitentiam, sed magis divitias bonitatis ejus contempsi. 5. Et qui ex me peccavi super multitudinem arenæ maris, iramque, & damnationem, & sepulturam in ardoribus sempiternis, merui, eliberare me, nec pro peccatis meis dignum quid facere, aut afferre potui. 6. Sed opus habui sanguine Unigeniti Patris Domini mei Jesu Christi, à quo per crucem, & mortem, ex servitute diaboli redemptus, & à peccatis mundatus sum. O quomodo vulnera mea erant ad mortem, pro quibus Filium Dei necesse erat vulnerari & mori. 7. Neque tamen etiam nunc quidquam sine gratia Dei possum, sed gratia Dei sum id quidquid sum. Non enim sum sufficiens cogitare aliquid boni & recti ex me, sed omnis sufficientia mea ex Deo est, qui si amoverit manum suam à me, illico conturbor, & in malum præcipitor, & plusquam fui filius gehennæ iterum fio. 8. Mors in manibus meis est, sed non vita: possum enim excludere à me gratias DEI, sed eas mereri non possum, sed vita & gratia in voluntate ejus, qui est Pater misericordia-

rum solus. 9. Non sum justus, sed & si nihil mihi conscius fuero, tamen in hoc non justificabor, qui enim judicat me, Dominus est, in cujus conspectu non justificabitur omnis vivens, nec quisquam respondebit unum pro mille. 10. Universa vanitas & vilitas ego homo vivens, substantia mea tanquam nihilum ante te Deum meum. Si dixero, mundus sum à sorde, mendax sum. Si elevabo caput quasi justus, testimonium dicent contra me iniquitates meæ, & confusio, pudor, & pœna operient faciem meam, & caput meum in sempiternum. 11. Si vivam mors expectat me. Si mortuus fuero, infernus est domus mea. Sed & omnis vita mea tribulationem & dolorem invenit, flagellum linguæ iniquæ circundedit eam, & oculus hominis judex est ejus, laborem, & tentationem, & amaritudinem possedi. Gemitum & angustias hæreditavi. Dixi, jam gloriabor, in pace quiescam & exaltabor, & ecce stabunt contra me gigantes, aperient super me os suum, percutientes me lingua, devorabunt nomen meum, comedent carnes meas, satiabuntur pœnis meis, & non erit qui requirat animam meam ab ipsis. 12. Insuper etiam Humiliatio mei in medio mei, perditio mea ex me. Hæreditas mea gehenna, tantummodo ex DEO auxilium & solatium meum, qui aufert Spiritum meum cum placuerit ei, & nunquam sciam, simne amore ejus an odio dignus. Nec quisquam mihi polliceri potest perseverantiam, nisi dederit eam ipse, apud quem in meritum & pretium non cadit, sed miseretur, cujus miseretur, quem vult, indurat, quia licet illi, quod vult facere.

Feria tertia.

Corona Humilitatis.

COnſtitue te è diametro Divinitati contra poſitum, & quaſi ab imo terræ centro, ad illius inacceſſabilis Majeſtatis verticem, qui tenebras poſuit latibulum ſuum, quantum poteris ſuſpiciens, quantumque ſit inter Deum tuum & tuam vilitatem firmatum chaos, deſiderans te cum S. Auguſtino, primum à nihilo receſſum, aut verius ipſum eſſe nihil cogitabis. Deum autem primum & ſummum Ens, totaliter ac ultimatè à nihilo recedens, agnoſces. Et per hoc non nihil, quis tu ſis, & quis ille colluſtratus dices.

Domine Deus magne nimis & ſuperexultate.

EGo ſum abyſſus nihili,	Tu abyſſus Entitatis.
Ego Barbariſſimus.	Tu Politiſſimus.
Ego contumeliarũ Sentina,	Tu Honoratiſſimus.
Ego Deſolatiſſimus,	Tu Socialiſſimus.
Ego Execratiſſimus,	Tu Exoptatiſſimus.
Ego Fædiſſimus,	Tu Pulcherrimus.
Ego Graciliſſimus,	Tu Robuſtiſſimus.
Ego Homo,	Tu Deus.
Ego Ingratiſſimus,	Tu Gratiſſimus.
Ego labiliſſimus,	Tu Solidiſſimus.
Ego Miſerrimus,	Tu Beatiſſimus.
Ego Nequiſſimus,	Tu Optimus.
Ego Obſcuriſſimus,	Tu Clariſſimus.
Ego Perverſiſſimus,	Tu Rectiſſimus.
Ego Queruloſiſſimus,	Tu Quietiſſimus.
Ego Rudiſſimus,	Tu Scientiſſimus.
Ego ſcelerum Officina,	Tu Sanctiſſimus.
Ego Timidiſſimus,	Tu Tutiſſimus.
Ego vaniſſimus,	Tu Veriſſimus.

Ego id ſolum ſum quod nihil & peccator ſum
Tu autem id es quod es, & nihil eorum quæ extra Te ſunt, es.

Feria quarta. Corona charitatis.

IN ſequenti charitatis corolla duo ſunt advertenda. Unum, quod ſit ſupplementaria. Amat enim Deum homo, vel certe affectum Amantis induere debet, pro omni re & creatura, tam quæ Deum amare poteſt, tam quæ amat, quàm quæ non amat. Alterum, quod ſit ad amabiliſſima Chriſti amoris crucifixi vulnera applicata. Unde etiam ſecundum ſeriem globorum coronæ ſtigmatum Chriſti recitari poteſt, modo ſequenti:

Vulnus primum, Cordis.

VUlnus ſacratiſſimi cordis tui, dulciſſime JESU, ſit mihi remedium peccatricis animæ meæ, & incentivum amoris Divini, Amen. Amo te, amabiliſſime Deus meus, amore illo, quo te omnes prædeſtinati tui, tecum jam in cœlo regnantes, amant, amare volunt, amare debent, amabunt in omnem æternitatem, Amen.

Vulnus ſecundum, Pedis dextri.

VUlnus ſacratiſſimi pedis dextri, dulciſſime JESU, ſit mihi remedium &c. ut ſup. Amo te, Beatiſſime Deus Domine meus, amore illo, quo te omnes Prædeſtinati tui in hac vita amant, amare volunt, amare & ſi fortè negligunt, tamen debent, & amabunt in omnem æternitatem, Amen.

Vulnus tertium, Pedis ſiniſtri.

VUlnus pedis ſacratiſſimi ſiniſtri, dulciſſime JESU, ſit remedium peccatricis &c. ut ſup. Amo te, concupiſcibiliſſime Deus, amore illo, quo te omnes peccatores amare debent, amare nolunt, nec amare infelices digni ſunt, ſuppleat oro minutus amor meus defe-

defectum illorum, impetretque illis, ut & ipsi te aliquando amare incipiant, amentque in omnem æternitatem & ultra, Amen.

Vulnus quartum, Manus sinistræ.

VUlnus sacratissimæ manus dexteræ tuæ, dulcissime JESU, sit &c. ut sup. Amo te, excellentissime Deus meus, amore illo, quo te omnes inanimatæ & irrationales, & possibiles creaturæ amare deberent, sed natura impediente non possunt. Suppleat amor hic meus defectum istum, ut plenus sit Amor tui ab omnibus creaturis, tibi debitus. Maximè quia istæ creaturæ tuæ, pleræque ex imperio tuo mihi serviunt, ob quod dignum est, ut te pro illis amem. Amo igitur te, amareque volo pro ipsis, in omnem æternitatem, Amen.

Ad vulnus lateris & cordis iterum.

VUlnus sacratissimi cordis laterisque tui, dulcissime JESU, sit remedium peccatricis animæ meæ, & incentivum amoris Divini, Amen. Amo te, felicissime Deus, amore beatissimæ Virginis, Jesu Christi Domini mei, amareque te vellem si possem, Amore tuo, quo tu temetipsum æternaliter & adæquatè amas. Quod quia non possum, ama tu teipsum Deus meus, & hoc amore tuo supple tibi omnes defectus amorum nostrorum, qui te minus amant quam debent, quam possunt, quam volunt, quàm tu dignus es.

Ad Vultum CHRISTI passi.

ABsorbeat quæso, dulcissime Jesu CHRISTE, medullas & viscera animæ meæ, suavissima & melliflua dulcedo Amoris tui, ab omnibus quæ sub cœlo sunt; ab amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es in ligno crucis mori, Amen.

Vel aliam Corollam Amoris dicere potes.

HÆc corolla in tres decades eſt diſtincta, quâ Amorem tuum dilectiſſimum Jeſum ſupra omne quod in cœlo & in terris eſt, efferas, illum ad tria majora grana te interrogantem auſcultes.

Filia aut Fili amas me? ad quod amabile quæſitum intimo animi ſenſu reſpondebis.

1. Tu ſcis, ô Domine ſpecioſe præ filiis hominum, quia amo te, præ oculis meis, & præ omni, quod eſt aſpectu delectabile. Averte oculos meos, ne videant vanitatem.

2. Amo te, ſuaviſſime Jeſu, præ omni dulcedine & guſtus ſuavitate, amore tui, ab omni exceſſu & ſenſualitate ciborum temperabo, ut guſtem quam ſuavis ſit Dominus.

3. Amo te, ô Sponſe, qui paſceris inter lilia præ omnibus odoramentis & florum fragrantia, trahe me in odorem unguentorum, id eſt virtutum tuarum.

4. Amo te ſuper omnem harmoniam & muſicorum concentum, ut ſonet vox tua in auribus meis, eas lubens occludam detractionibus & obſcœnis canticis.

5. Amo te ſuper omnes ſpurcas & brutas carnis voluptates.

6. Amo te præ omnibus corporis mei commodis.

7. Amo te præ omnibus mundi divitiis.

8. Amo te præ omnibus honorum titulis.

9. Amo te præ valetudine & omnibus corporis mei membris.

10. Amo te plus vitâ & animâ meâ.

2. Fili

2. Fili vel Filia amas me?

1. Amo te ex tota memoria mea, nec unquam potero tui oblivisci, qui mei dignatus es recordari, ubi expendenda omnia beneficia tibi præstita.

2. Amo te ex tota mente; tui duntaxat cognitioni, ac operum tuorum inhærendo.

3. Amo te ex toto corde flagrantissimo voluntatis æstu; in te jugiter exardescendo.

4. Amo te ex totis viribus; omnes corporis & animi facultates, in amore tui impendendo.

5. Amo te præ omnibus propinquis, amicis & benefactoribus; quia infinities tibi præ his obstrictus sum.

6. Amo te tenerius quàm Parens Filium unigenitum, aut Filius Parentem dilectissimum.

7. Amo te ardentius quàm sponsus sponsam.

8. Amo te plus quàm cœlum, quod sine te infernus mihi videtur.

9. Amo te plus quam mundum universum.

10. Amo te præ amore omnium Creaturarum.

3. Fili vel Filia amas me?

1. Utinam nihil amem præter te. Nam minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.

2. Utinam amem te amore casto, ut te amarunt & amant sanctæ Virgines.

3. Utinam amem te amore constanti, sicut te amarunt & amant omnes sancti Confessores.

4. Utinam amem te amore forti, sicut te amarunt & amant omnes Martyres.

5. Utinam amem te amore filiali, sicut te amarunt & amant omnes sancti Apostoli.

6. Uti-

6. Utinam amem te amore ardentiſſimo, ſicut te amarunt & amant Cherubim & Seraphim.

7. Utinam amem te amore perfectisſimo, ſicut te amavit & amat ſanctisſima Virgo & Mater Maria.

8. Utinam amem te amore, quo te amarunt, & amant, & omni æternitate amaturi ſunt, omnes cœleſtes civitatis incolæ.

9. Utinam amem te, quantum amaſti me.

10. Utinam amem te, ut amore tui moriar pro te, qui mori voluiſti pro me.

Feria quinta, corona de ſanctiſſima Dei voluntate.

SAncte Deus, Sancte Fortis, Sancte Immortalis. Ego viliſſima creaturæ portio, in mea, in omnium creaturarum tuarum perſona.

Obſecro fiat ſemper

Adoranda,	Sanctisſima,	Purisſima,
Obſervanda,	Potentisſima,	Dignisſima,
Admiranda,	Sapientisſima,	Conſtantisſima,
Amanda,	Optima,	Pulcherrima,
Benedicenda,	Suavisſima,	Simplicisſima,
Tremenda,	Profundisſima,	Rectisſima,
Optanda,	Efficacisſima,	Perſeverantisſima

Voluntas Tua.

In me, de me, per me, & in omnibus creaturis tuis, ſicut in cœlo & in terra.

Feria ſexta. Alia de eadem.

1. ADoranda voluntas Dei, agnoſcam te, amem te, concupiſcam te, exequar te, prædicem te, exaltem, glorificem, magnificem te.

2. Sanctiſſima voluntas Dei, ſerviam tibi, vivam tibi, vivam in te, vivam te, paſcar te, reficiar & inebrier te,

te, quieſcam in te, impinguer à te, abſorbear & transformer, tranſeamque totus in te, delector in te, immigrem in te, inhæream tibi, perſeverem in te, immoriar tibi.

3. Potentiſſima voluntas Dei, affice me, vivifica me, illuſtra me, accende me, inſtrue me, guberna me, purifica me, ſanctifica me, confirma me, poſſide me, dominare mihi.

4. Efficaciſſima voluntas Dei, ſim tua materia, tuum inſtrumentum, tuum mancipium, tuum regnum, tua hæreditas, tuum jumentum.

5. Rectiſſima voluntas Dei, me finge, me rege, me forma, me reforma, me inſtaura & annihila.

6. Suaviſſima voluntas Dei, movear à te, agar à te, patiar à te, impeller à te, cogar à te, fingar, refingar à te, violer à te, comprehendar & conſtringar à te, penetrer à te, ſigiller & confirmer à te, annihiler à te, convertar in te, abſorbear & hauriar, devorerque à te.

7. Digniſſima voluntas Dei, in te omnes meæ vires, omnes meæ fortitudines, omnis anima mea, omne cor meum, omnes potentiæ meæ, omnes ſenſus mei, omnes actiones meæ, omnes habitudines meæ, omnes particulæ meæ, omnes intentiones meæ, omnes intenſiones meæ, omnes attentiones meæ, omnes intellectiones meæ, omnes volitiones meæ, omnes memorationes meæ, omnes imaginationes meæ, omnes ſenſationes meæ, omnia conſilia mea, omnia propoſita mea, omnes commotiones meæ. Omne, quidquid à me, in me & per me eſt, totus ego, quantus quantus ſum, in te, inquam, omnia mea tendant, occupentur, maneant, delectentur, in omnem vitam, in omne tempus, in omnem æternitatem.

Sab-

Sabbatho actus Amoris.

ÆStimo te & amo te, Summa ac Beatissima Trinitas, existentem in teipsa, & unio hanc æstimationem ac dilectionem meam, cum amore quo tu amabilissime Deus meus amas temetipsum, gaudens & intime exultans de infinita perfectione superbeatissimæ Naturæ tuæ, excedente omnem captum intellectus omnium creaturarum tuarum rationalium etiam possibilium, desideransque te æstimare semper, quoad fieri poterit in actu secundo, & amare amore quam proximo tuo infinito, & incomprehensibili Amori, quo amas æternaliter teipsum. Rogo autem suppliciter, ut iste pauperculus minutulus amor meus, tuo dulcissimo & divinissimo Amori unitus, recreet & exhilaret semper dulcissimum & amabilissimum cor tuum, propter gustum & consolationem benedictissimi ac beatissimi cordis tui, Amen.

CAPUT V.

Praxes sublimandarum Actionum Passionumque nostrarum ad modos à R. P. Casparo Druzbicki positos in Negotiatione spirituali & Provisionibus senectutis factas, & in dies septimanæ dispositas.

§. I.

Die Dominico.

Praxis, valorem actionum passionumque totius vitæ, ad multos fines compatibiles extendendi.

PEr omnes & singulas actiones ac passiones totius vitæ meæ, quas omnes, nunc de manu Dei voluntariè accepto.

1. Volo

1. Volo laudare, dignificare, adorare, amare & venerari Sanctissimam Trinitatem, Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, Jesum Christum, Deum Dominum ac Redemptorem meum, pretiosissimam Dei Parentem, Virginem Mariam, sanctos omnes Angelos ac homines, nominatimque N.N.

2. Volo imitari quam perfectissimè omnibus, & in omnibus, Sanctissimam Trinitatem, Jesum Christum, præcipuè pro me passum, contemptum, pretiosissimam Parentem, Sanctos omnes.

3. Volo agere gratias Deo, ex cujus gratia Jesu Christo, ex cujus merito, sanctissimæ Virgini, Sanctisque omnibus, ex quorum precibus illa facio ac patior.

4. Volo mihi mereri gratiam sanctificantem, gloriam & vitam æternam, remissionem peccatorum, quæ nunc retracto, & pœnarum quas merui. Totum id, quod Divina voluntas vult, augmentum charitatis & virtutum omnium Benedictionem in officiis & necessitatibus meis.

5. Volo impetrare mihi & amicis meis N.N. gratias actuales, frequentes, efficaces, finales. Gratias sanctificantes, gratias gratis datas, congruè ad salutem. Gratias proficiendi heroicè in omni sanctitate statui propria, auxilia in consiliis, necessitatibus, officiis, temporalium sufficientiam, præservationem à malis animæ & corporis, perseverantiam in bono finalem.

6. Volo impetrare Ecclesiæ Dei conservationem & pacem, propagationem & incrementum, vigilantiam Pastorum, copiam Apostolicorum Virorum, exterminium scandalorum & scandalizantium atque hostium.

7. Volo satisfacere & satis pati pro peccatis meis, & pœnis eorum, quæ nunc retracto pro pœnis peccatorum alienorum, amicorum carne & spiritu, inimico-

rum,

rum, Superiorum & ſubditorum, pro pœnis animarum in Purgatorio.

8. Volo omnes & ſingulas, & me per omnes ac ſingulas, ſacrificium & holocauſtum Deo facere. Omnia ex voluntate mea deliberata, omnia pro hoc & pro omni reliquo vitæ meæ mortisque momento, omnia ad guſtum & gloriam voluntatis Dei, æternæ meæ ſuaviſſimæ ac ſemper adorandæ ſponſæ (modum deſponſationis cum voluntate divina habes infra) in unione ſanctiſſimæ Jeſu Chriſti in mundo converſationis, nec non dulciſſimæ Virginis. In unione meritorum & orationem Jeſu Chriſti, dulciſſimæ Virginis & Sanctorum omnium.

Feria ſecunda.

Praxis, actiones noſtras plurium intentione virtutum fœcundandi.

DIgniſſime Deus, volo ab hoc tempore deinceps omnia facere, eo motivo, eoque modo, quo tu vis, & quia tu vis, illa fieri à te, & à me, propter omnium mandatorum, conſiliorum, & beneplacitorum tuorum impletionem, propter virtutum omnium Theologicarum & moralium ſupernaturalium, donorumque & fructuum Spiritus S. in omni congruo mihi gradu aſſecutionem, exercitationem, incrementum, propter gratiæ gloriæque tuæ in me confirmationem, propter inſtituti mei perfectam impletionem, propter totius mundi auxilium, propter omnium Sanctorum, omnium Angelorum, dulciſſimæ Virginis, Chriſti Jeſu, tuum verò, Sanctiſſima Trinitas Deus, inprimis honorem & imitationem. Super omnia verò propter omnimodam tui guſtus recreationem, adorandæ voluntatis executionem, ſummæ Bonitatis dilectionem, eminentiſſimæ dignitatis exaltationem, mei denique univerſalem annihilationem, quia hæc eſt voluntas dignitatis tuæ, & dignitas voluntatis tuæ, Amen.

Feria tertia.

Praxis, actiones nostras sublimandi in meritis Jesu Christi, & Parentis pretiosissimæ Mariæ.

PRetiosissima Parens mea Maria, tibi ego omnes actiones meas hujus totius diei, mensis, anni, vitæ meæ præteritæ, præsentis & futuræ commendo, easque tuis sanctissimis manibus, & meritis, & gratiis, & donis exornandas, atque Sanctissimæ Trinitatis conspectui pro me offerendas committo, quatenus enim à me sunt, indignissimæ ejus conspectu sunt.

Similiter omnes actus meos mi Jesu, in vita, vulneribus & corde tuo depono, ut in eo detenti sublimentur, & sic dignæ sanctissimæ Trinitati, tuis & pretiosissimæ Parentis manibus offerantur. Vel, In manus tuas, Domine Jesu, & in tuas, ô dulcissima Mater, omnia opera mea, aut hoc præsens opus meum illudque utriusque vestrum meritis & toti in mundo conversationi unio, ornandumque & Sanctissimæ Trinitati offerendum trado.

Feria quarta.

Praxis, appropriandi sibi omnia bona creata Deoque illa ad gustum offerendi.

DEUS, cui soli humana corda loquuntur, & qui solus gratis salvare nos vis, potes, soles, debes. Ego N. paupercula creatura tua omnium tuarum quarumcunque inprimis rationalium creaturarum usque ad Angelos, usque ad pretiosissimam Parentem Virginem MARIAM, usque ad sacrosanctam JESU CHRISTI Humanitatem, procedendo omnes in genere, specie, numero, tibi quomodocunque placitas, aut in omnem æternitatem placituras actiones, passiones, mihi nunc

ex dono gratiæ tuæ, ex beneplacito voluntatis tuæ voluntariè & deliberatè assumo, approprio, atque ad purum & nudum gustum dignissimæ suavitatis & suavissimæ dignitatis tuæ offero, illisque meas etiam pauperculas actiones, passiones ac Entitates omnes conjungo, & tam pro hoc præsenti momento, quam pro tota vita mea reliqua, quam pro mortis articulo, quam denique pro toto æternitatis decursu, illas omnes cum hoc appropriationis actu habere intendo, tuæque summæ Majestati quantum digna est substerno, substernereque in æternum & ultra volo. Tibi Deo meo sit honor ab omni & pro omni creatura, creaturæque atomo in sæcula sæculorum, Amen.

Feria Quinta.

Praxis, spiritualiter ditescendi ex actionibus atque passionibus alioqui inutilibus futuris, tam nostris quam alienis.

DOmine Deus meus, qui omnia opera nostra operaris in nobis, operaris autem propter gloriam tuam, & bonum nostrum, neque quidquam in nobis otiosum esse? omnes actiones, passionesque omnes meas Angelorum, beatorum & omnium Entium creatorum quocunque modo te Deo nostro dignas, ipsis autem creaturis cæteroqui vel neglectas, vel inutiles, vel non necessarias, ego videns & agnoscens paupertatem meam, & simul nusquam exulare cupiens gloriam tuam, utilitatemque nostram, has omnes, tam meas, quàm omnium creaturarum actiones atque passiones, etiam atomicè computatas, tibi Deo meo præsento, honori gloriæq; tuæ consecro, pro me, & pro omnium creaturarum capacium bono temporali & spirituali, hujus & alterius vitæ offero, iisque omnes defectuositates

tates

tates meas (& earum) qualescunque ſuppleri cupio & intendo, in unione meritorum Jeſu Chriſti, atque pretioſiſſimæ Parentis, & Sanctorum omnium, idque facio ſemel pro ſemper, & pro omni æternitate, ad purum guſtum tuum Sanctiſſima Trinitas, Deus meus.

Feria ſexta.

Paradigma, nos communicandi cum creaturis, & transformandi in eas, ac pro eis Deum collaudandi.

MI Deus, volo me omnem creaturam eſſe, omnem cujusvis creaturæ materiam, potentiam, actum, paſſionem, effectum, circumſtantiam, atomum, capacitatem meam eſſe, & re ipſa quoad poſſum, plena voluntate mea, & me illam & illam viciſſim me facio, omnesque illas in unum me complector, & ſic me in omnibus, omnes in me, pro me, pro omnibus in tuum ſummè plenum, plenè ſummum, omnimodè tibi debitum, creaturæque poſſibilem amorem, cultum, dignificationem voluntatis tuæ, omnem guſtum, atque expletionem, per omnes atomos, & momenta, per omnes naturæ gratiæque ordines & gradus, exerceo, expendo, exhaurio, do, dono, dedico, offero, ſacrifico, holocauſtifico, annihilo, ſemel pro ſemper, & pro omni æternitate, in unione meritorum Jeſu Chriſti, & dulciſſimæ Virginis & Matris ejus, Sanctorumque omnium, Amen.

Sabbatho.

Praxis, defectus Divinæ laudis, in & pro omnibus creaturis, ſupplendi.

AGnoſco Deus meus, infinitè plurima in laude tua, tibi, à me, & ab omnibus creaturis debita, deperire malitiâ, ignorantia, fragilitate, imprudentia, defectuoſitate noſtra. Cupio mi Deus ſupplere, & re ipſa quantum poſſum, ſuppleo defectus iſtos omnes noſtros amore tui, æſtimatione & dignificatione præſenti

actuali, qua te Deum nostrum amo & superamo, dignifico & superdignifico, adoro, superadoro, cupio & supercupio, laudo & superlaudo, secundum totam amabilitatem tuam & amativitatem nostram, secundum totam dignificabilitatem tuam & dignificativitatem nostram, secundum totam concupiscibilitatem tuam & concupiscivitatem nostram, secundùm totem laudabilitatem tuam & laudavitatem nostram, secundùm omne quod debetur & quod debemus tibi, possibileque est nobis, & tu dignus es, ut ita tibi Deo nostro, sit laus plena, sit gloria perfecta, sit exaltatio pro nostro posse adæquata, ex nunc in æternum, semel pro semper, majori quam unquam fervore, atomicè: in unione sanguinis, meritorum, conversationis Jesu Christi, dulcissimæ Virginis & Matris, Beatorumque omnium, Amen.

§. II.

Die Dominico.

Modus, in bonis spiritualibus, per dilatationem extensionemque desideriorum, crescendi.

O Sanctissima Trinitas, desidero te Deum, & summum, & omne, & solum bonum meum, desideriis omnibus meis, quæcunque ego juxta omne beneplacitum tuum elicere, tota substantiæ meæ totalis & partialis capacitate possum, tàm in genere, quàm in specie, quàm in numero desideriorum. Neque solum te his desideriis meis desidero, sed etiam omnium omnino singularumque creaturarum etiam possibilium, omnibus genere, specie, numero possibilium distinctis desideriis, præcipuè vero, omnium Sanctorum, tum hominum, tum Angelorum, tum dulcissimæ Virginis Matris, tum Sanctissimæ Jesu Christi Humanitatis, omnibus absolutim erga te Sanctissimam Trinitatem desideriis, præteritis, præsentibus, futuris, idque in omni isto-

rum

rum desideriorum intensione, in omnibus intensionis gradibus, & ab omni & singula creatura, etiam atomicè sumpta, & etiam ab ipsa dulcissima Virgine & Matre, Jesuque Christi Humanitate elici possibilibus, tanquam actu de facto in præsenti, nunc pro omni temporis momento, semel pro semper elicitis, in millies, millies, infinities majori possibili omnimoda proportione. Neque solum in intensione, sed etiam extensione inquam, per omnia & singula subjecta desideriorum istorum, perq; atomos & indivisibilia spiritualia & corporalia, tum vero extensione ad omnia loca, & spatia etiam imaginaria, ad circumstantias & atomos spatiorum, locorum, temporum, reliquarumque circumstantiarum Deo possibilium. Extensione quoque ad omnia tempora, & ad omnia omnium temporum instantia, & omnia quoque momenta æternitatis, tam ante, quam post. Præterea, intentione, & motivo, & objecto & ratione desiderationis, omni quidem possibili tibi Deo meo atque complacita, sed nominatim illa omni, propter quam tu ô Sanctissima Trinitas, es desiderabilis & desideranda in te, & per quam nos sumus, aut esse quovis recto modo possumus, desiderativi tui, & desiderantes te, sive illa ratio intentionis motio sit quidpiam ad intra in te, & ipse Tu, sive sit aut esse possit aliquid ad extra diversum à te, sed tamen profectum à te, & propter te. Et cupio hunc actum à me, & ab omni eo, quodcunque tu non es, mihi voluntate charitatis meæ insubstantiato, in omni atomo sui, & in omni circumstantia spectato, replicari & repeti, imo quantum in me, replico, repeto, & repeti gaudeo, mihique ex hoc propter te complaceo, omnipossibiliter, in singula per omnem æternitatem momenta, tantum quantum Tu ô Trinitas DEUS! & nos omnes Creaturæ tuæ desiderare volumus, debemus, possumus, quia tu

dignus es, & quia nos debemus, & quia nos adjuvante, imo dante, & faciente te nobiſcum, ac per nos, poſſumus, communicando hunc actum inprimis Jeſu Chriſti ac Redemptoris noſtri omnibus meritis & gratiis, unaque dulciſſimæ Virginis & Matris Mariæ ac Sanctorum omnium, ad Chriſtum Jeſum incarnatum, & incarnatam Sapientiam, Verbum, Filium Dei, tanquam ad caput pertinentium interceſſionibus, deinde univerſæ Divinitatis tuæ Bonitati, ac bonitatis Divinitati, atq; digniſſimæ & ſubſtantialiſſimæ dignitatis, ad gloriam omnimodam & omnipoſſibilem, & omniparem Patris æterni ingeniti, Verbi, Filii increati, incarnati & unigeniti, Spiritus S. ex Patre Filioque procedentis, ab omni Æternitate, & in omnem æternitatem, & ultra.

Feria ſecunda.

Modus hic poteſt arbitrio contrahi hoc vel ſimili modo.

SAnctiſſima Trinitas Deus meus, cupio te amari, & amatum fuiſſe ac fore, per omnia omnium temporum æternitatumque inſtantia, à me, & ab omni creatura, creaturæque portione, & atomo, & momento. Vellem Domine Deus meus, in te toties, per omnia ſingulaque momenta & indiviſibilia mea, amore digno, te, debitoque tibi, à me ſuccendi, quoties ab intra, vel ex intrinſeco, quælibet mobilia corpora & Entia ſpiritualia mota ſunt, moventur, movebuntur per omnem durationem, perque omnia inſtantia durationis eorum, Quoties Domine folia & rami in arboribus, herbæ, & gramina in campis, ſegetes in agris, animalia in terris, aëre & aquis, vitalia in animalibus, guttæ aquarum in fluviis, lacubus, fontibus, & mari, & nubibus, meteora quælibet in aëre, ſenſationem in cognoſcentibus, intel-
lectio-

lectiones & volitiones in Angelis & hominibus, toties ego te Domine pro me, & pro omnibus creaturis tuis amo, ſuperamo, & ſuperamare volo, propono, peto in æternum.

Quidquid Domine inerat, ineſt, inerit, ineſſe poſſibile fuit ac erit unquam intenſionis ac fervoris, in omnibus qualitatibus, actibusque creaturarum omnium, naturalibus juxta ac ſupernaturalibus, totum hoc intenſionis iſtius conglobamentum cupio, & quantum poſſum, ac tu donas, facio ineſſe actui vitæ meæ, nominatim vero huic præſenti meo actui, quo te ô Trinitas Deus, ô increatum pro me Verbum, credo, ſpero, amo, veneror, timeo, adoro, deſidero, laudo, magnifico, gratias ago, ſummè ſummum bonum meum appeto, de omnibus bonis tuis tibi gaudeo, gratulor, & placeo.

Domine pro omnibus granis & atomis terræ, aquæ, aëris, ignis, luminis cœli, reliquarumque creaturarum in his contentarum, te dignifico, te laudo, te timeo, te ſpero, te adoro, te amo, toties replicando actuali voluntate mea, hoc omnes & ſimiles affectus atque actus, in te, quot ſunt & eſſe poſſunt, prædicta grana, prædicti atomi. Sanctiſſima Trinitas, iſtis omnibus actibus, affectibusque, quos hac die aut hora, hocque in loco, tempore & occaſione, vel quovis alia præterita, præſente, aut futura in te eliciunt, aut elicient, ſub quacunque pia motione, adinventione, induſtria, formalitate, circumſtantia, omnes creaturæ tuæ, omnes pii & boni ſervi tui, omnes prædeſtinati, omnis triumphans & militans Catholica Eccleſia; afficior ego quoque pauperculus vermis, in te gratulando illos, tibi offerendo, infinities volendo, & repetitos perfectiores ac plures eſſe cupiendo, de illis & per illos tibi congaudendo, propterque illos omnes authores eorum amando, honorando, appretiando.

NB. Antequam ſequentes actus elicias, reflecte te, num conſentias.

QUidquid eſt Domine, aut fuit, aut erit, aut eſſe poſſibile eſt, unquam & uſpiam vilitatum, ac humiliationum naturalium, & voluntariarum, ſupernaturaliumque; iis omnibus, ego mi Jeſu, mi Deus, coram te, & propter te, & tibi, humilio & vilifico me, meamque totaliter ſubſtantiam ita, ut atomus in me non ſit ulla, non ſit motus animi mei ullus, qui non ſit coram te, propter te, & tibi omnipoſſibiliter humiliatus, & vilificatus. Humilio me, Domine, Humilitate JESU CHRISTI, Dei - Hominis, Domini mei, humilio me Humilitate dulciſſimæ Virginis & Matris MARIÆ, Angelorum, Sanctorumque omnium, Humilitate totius Eccleſiæ, humilitate omnium hominum, omnium creaturarum reprobarum & damnatarum, humilitate omnium rerum, in cœlo, & ſub cœlo, in terra & intra terram exiſtentium, humilitate vilitatum, ſordium, fæcium, ſentinarum, putredinum, corruptionum, purgamentorum, excretionum omnium, humilitate denique omnis & totius nihili, ita ut his omnibus humilitatibus ac vilitatibus inſtar ſpongiæ penetrer, undique inſtar piſcis innatem, in eis totus inſtar volucris voluter & volitem circundatus, ut denique totus, per omnia, in corpore & anima, omnique ſubſtantia, capacitate, motu, atomo, inſtanti horum omnium, non ſolum humilis aut vilis, ſed ipſiſſima humilitas, vilitas, abjectio, contemptus & contemptibilitas, confuſio & odioſitas efficiar. Tibi Deo meo ad guſtum, mihi autem ad debitum omnimode explendum, & exæquandum: ut quantum tu dignus es, tantum ego vilis ſim in æternum, excluſa ſola in tuam Domine bonitatem & voluntatem & dignitatem peccati malignitate, & indignitate.

Feria

Feria tertia.

Modus, merita cumulandi per ratihabitionem actionum atque passionum, bonorumque omnium tam alienorum quàm propriorum.

DEUS cujus gloriæ & servire debent, & serviunt omnia. Omnes actiones, passionesque tam meas, quam aliorum, reliquarum creaturarum quocunque modo bonas, quocunque modo à me & ab eis habitas, & etiam per omnem æternitatem habendas. Ratas habeo, atque tibi Deo Domino offero, iisque omnibus te dignissimum laudo, adoro, benedico, dignifico & amo super omnia. Item pro eis omnibus tibi tanquam earum fonti gratias ago, ac eas tibi restituo, & in te refundo, ratificans eas & congaudens tibi ex eis, in tota earum Entitate, bonitate, latitudine, sensu ac circumstantia. Et cupio omnes ac singulas elicitas fuisse, esse, fore, ex purissimo gustus tui tibi adæquati intuitu, millies milliesque majore proportione fervoris ac charitatis, ex tota latitudine capacitatis omnis creaturæ, in unione totius Sanctissimæ JESU CHRISTI, beatissimæ Virginis, Sanctorumque omnium tuorum conversationis, specialiter autem ratas habeo omnes meas & aliorum mea occasione habitas exercitasque coram te & propter te actiones & passiones, magis vero ratas habeo sanctorum hominum & Angelorum, beatissimæ Virginis Mariæ, Matris JESU CHRISTI, Dei-Hominis, capitis nostri. Cæterùm super omnia ratas habeo omnes actiones & pasiones tuas ipsius, ô DOMINE DEUS noster, sive ad intra, sive ad extra, in te, & à te repertas, ratas habeo omnes communicationes tuas, per quas tu tibi in te, & per

quas nobis tu ex te communicas perfectiones tuas, & omnia quæ tu es, & quæ sumus nos, & per quas nos ad te refluimus atque recurrimus, tanquam ad fontem nostrum, tibi ex omnibus, & in omnibus Deo nostro gloria, æstimatio & laus per omnia momenta, per omnes atomos, per omnia instantia temporis & æternitatis, usque in æternum & ultra. Fiat, fiat.

Feria quarta.

Potest idipsum breviùs & simpliciùs transigi hac praxi.

RAtas habeo omnes actiones & passiones meas, quocunque modo habitas, & quomodocunque bonas, ratas etiam habeo easdem omnium omnino creaturarum, incipiendo à Christo Domino, ad ultimum usque atomum creatum, ratas habeo in specie etiam illas, quæ sunt occasione mea aliquando in te Deum meum exercitæ, & ratas habeo omnes & singulas, in omni earum latitudine, sensu, circumstantia. In unione meritorum Jesu Christi, beatæ Virginis Mariæ, & Sanctorum majori quam unquam fervore spiritus, milliesque millies majori proportione fervoris, charitatis, dignificationis, quia hæc est voluntas tua, & dignitas voluntatis tuæ Sanctissima Trinitas, Deus meus, Amen.

Feria quinta.

Modus crescendi in merito per retractationem malarum actionum tam nostrarum quam alienarum.

DEus dignissime, qui nos creaturas tuas in gloriam tuam creasti, sed à nobis infinitis modis ac malitiis quotidie offenderis. Doleo quantum possum, pro omnibus ac singulis peccatis atque malitiis, in te, primum

mum quidem à me,deinde ab omni creatura commissis,atque etiam committendis. Nolo mi Deus, nolo ullam malitiam à me, ab omnique creatura alia commissum esse ac fore, eam ex nunc retracto, detestor & execror, quia te Deum dignissimum agnosco, amo, æstimo. Nolo te in æternum offendere, nolo te offensum esse. Nolo offendi te, à præterita, præsente, futura vita & damnata creatura. O quis det, ut te omnes laudent, & ut omnia mala ab eis commissa, & committenda, non sint commissa, non sint committenda. Sed potius, ut omnia sint in laudem tuam quam maximam conversa. Deus meus vides voluntatem meam, vides quod cupiam, ut nihil sit in creaturis tuis malum in oculis tuis. Cupio & propono quantum in me erit, impedire mala omnia & displicita tibi. Offero tibi totam vitam Jesu Christi, beatissimæ Virginis, Sanctorum omnium & singulorum, offero omnia eorum merita, offero totum me, cum omni capacitate mea, ad resarciendam læsam malitiis nostris bonitatem, dignitatemque tuam. Offero tibi hoc in particulare opus meum &c. &c.

Feria sexta.

Modus augendi merita, non intendendo nec intuendo meritum.

DOmine Deus meus, quidquid facio, quidquid patior, quidquid faciam patiarve unquam, quocunque modo, id totum, puro, nudo, gratuito amori tuo consecro. Non meritum cupio, sed tuum gustum intendo. Ipsùm meritum quod consequor, tuo gustui consecro, ipsum quod mereri non intendo, aut quod tuo gustui consecro, non propter majus meum meritum, sed propter plenius suaviusque tuum beneplacitum, tibi dignissimo Deo, semel pro semper consecro,

& tibi,& si non absque spe, attamen proinde, ac si absque omni à te præmii ac boni spe,gratis, purè ac nudè servio,servireque in æternum volo. Sufficit mihi placuisse tibi, non tamen quia placuisse tibi bonum mihi, sed quia gratum ac placitum tibi. Amo te, quia mihi places, ut tibi placeam, ut mihi placeas,non quia id bonum mihi, sed quia id bonum tibi, quia dignum te, quia bonum,& gratum, & placitum tibi, & denique ut sit bonum, gratum, gustabile, placitumque tibi.

Sabbatho.

Modus merendi ex occasione actuum sensibilium & insensibilium, rationalium & irrationalium creaturarum.

DOmine Deus meus,vellem hodierna die tot actus amoris elicere,quot sunt scintillæ elementi ignis, tot item actus doloris, quot guttæ elementi aquæ, tot actus conformitatis cum voluntate Divina, quot sinus auræ, tot actus humilitatis, quot terræ pulveres, arenæ maris. Quoties cadunt guttæ roris & pluviæ, quoties cadunt nives, folia decident, toties Domine provolvo me ante te, in cœlo, Eucharistia, ubique præsentem. Quoties Domine inclinantur arbores, folia, flores, aristæ, toties Domine vellem subdere me Legi tuæ. Quoties garriunt aves, loquuntur homines, toties vellem profiteri fidem meam. Quotiescunque moventur pulsus arteriæ, alæ, pedes, toties Domine vellem moveri in te, accedere ad te. Quoties, Domine, animata audiunt, aurisque sensu aliquid percipiunt, quoties reddunt horologia horas, horæ strepunt , toties vellem Domine vocem tuam intus audire. Quoties oculi aspiciunt, palpebræ nictitant, toties desidero videre te. Quoties, Domine, homines & alia animata respirant, quoties adflant venti, toties Domine opto suspirare ad

ad te. Quoties Domine cor meum movebitur, cor omnium hominum, cor item animatorum, toties, imo toties, millies, millesies vellem cor meum unire tibi. Et hoc ad optimum, purum, putum gustum tuum. Seraphicè, Marianè, Christiformiter, omnipossibiliter, omnistudionaliter, Domine Deus meus.

§. III.

Decem actus singulis diebus exercendi.

IN unione sacratissimæ Jesu Christi conversationis, nec non omnium dulcissimæ Virginis meritorum, dulcissime dignissimeque Deus meus, Trinitas Sacratissima, Pater, Fili & Spiritus S. majori quam unquam fervore Spiritus, milliesque millies majori perfectione, ad purum gustum tuum, ad nullum præmium. 1. Volo omnia facere propter te, propter utilitatem Ecclesiæ, propter solatium animarum. 2. Desponso me tibi, ô suavissima Sponsa, Providentia, Sapientia, Voluntas, Deus. 3. Dedico me eminentissimæ Dignitati tuæ exultandæ, utere me ad humiliandum me, ad exaltandum te valde. 4. Amo te super omnia & super me. Proximum verò etiam mihi inimicissimum & inutilissimum, sicut me propter te. 5. Doleo de omnibus peccatis meis, quibus bonitatem ac dignitatem tuam offendi, & statuo emendare me. 6. Annihilo me sicut revera nihil sum coram te, & pulverizo me sub pedibus omnis creaturæ propter te. 7. Veste dignationum tuarum Jesu Christe vesti me, & propter eum totum perfectè indivina me. 8. Condoleo Jesu Christo patienti, pauperi, contempto, stulto, crucifixo pro me, & volo illum imitari per omnia propter te. 9. Pretiosissimam Parentem Virginem MARIAM, æstimo super omnia te uno DEO minora, propter te. 10. Gratias ago & gaudeo tibi de omnibus donis tuis propter te, utque ex omnibus

ſit tibi gloria, mihi autem faciei confuſio quam maxima, deſidero toto me, propter te, teſte pretioſiſſima Parente, Virgine Maria, ego N. N. creatura tua, à primo inſtanti conceptionis meæ usque in æternum & ultra. Quia hæc eſt voluntas tua, & dignitas voluntatis tuæ, Amen.

§. IV.

Poſtulationes quotidianæ.

DEUS, & gratiarum Largitor & miſericordiarum Pater, qui aperis omnipotentem benigniſſimamque dexteram tuam, & imples omne animal benedictione, En ego viliſſimum Majeſtatis tuæ jumentum, & ultima creaturæ tuæ portio, videns planeque palpans paupertatem ac mendicitatem meam extremam, ad te donorum omnium Largitorem, bonorumque abyſſum, cum omni quæ creaturæ poſſibilis eſt, ſubmiſſione, Majeſtatisque tuæ divinæ reverentia, nec non egeſtatis, vilitatis, infirmitatis, nihileitatis, ignorantiæ, malitiæ, inconſtantiæque meæ, humili confeſſione accedo, & ad thronum gloriæ gratiæque tuæ ſupplex provolvor, gratiasque mihi quidem valde magnas, neceſſarias, & dignitate mea infinitè ſuperiores, apud te autem faciles & parvas, humilimè, ferventiſſimè, avidiſſiméque efflagito. Interponens pro me apud te, omnium juſtorum, omniumque prædeſtinatorum preces & merita. Beatiſſimæ quoque Virginis Dei Matris Mariæ, ſanctorum Patronorum meorum, ſancti Angeli cuſtodis mei interceſſiones. Inprimis verò Unigeniti tui Jeſu Chriſti Domini mei ac Redemptoris, omnia vitæ, mortisque myſteria, puncta ac merita, omnem eorum valorem, Hypoſtaticæ etiam unionis & perſonæ Verbi dignitatem, tuam ipſius denique Excellentiſſime Deus bonitatem, naturam, perfectionumque

omnium

omnium ac dignitatum ſuperplenam plenitudinem. 1. Poſtulo igitur à te, miſericordiſſime Deus, ut ſi quod in me ſalutis impedimentum, peccandique occaſionem ac peccati maculam vides, eam quamprimum à me removeas. 2. Poſtulo à te, clementiſſime Deus, veram & finalem pro peccatis omnibus & ſingulis pœnitentiam ac contritionem. 3. Poſtulo à te, Deus meus, ut omnes pravos habitus meos in me extirpes. 4. Poſtulo ut omnes immoderatos paſſionum motus refrænes. 5. Poſtulo, ut corpus & animam ab omnibus immunditiis, ab omnibusque actionibus etiam tantum materialiter malis, ab omnibus actibus immeritoriis, denique ab omnibus tepidè factis bonis purifices. 6. Poſtulo, ut des mihi gratiam ita vivendi, ut ſemper (quantum fragilitas mea patitur) ſim abſque culpa & pœnæ obligatione. 7. Poſtulo, ut des mihi gratiam abſtinendi ab omnibus & ſingulis, inprimis verò deliberatis peccatis. 8. Poſtulo, ut des mihi in omnibus operibus meis cognitionem & internum lumen conſequi. 9. Poſtulo, ut des mihi ſemper juxta habitum virtutis, menſuramque gratiæ abs te mihi communicatæ, quin & intenſius & perfectius ipſo habitu operari. 10. Poſtulo, ut des mihi ad tuum guſtum divinum dona multa & magna, quæ magnis Sanctis tuis contuliſti. 11. Poſtulo, ut des mihi exactè & promptè, gubernationi, regimini, & inſpirationi tuæ mediatæ vel immediatæ in omnibus reſpondere. 12. Poſtulo, ut in omnibus actionibus meis habeam rationem naturæ, perfectionis, mortificationis. 13. Poſtulo, ut des mihi gratiam ſemper & ſemper ferventius tibi ſerviendi, magis tibi placendi, perfectius te cognoſcendi & exaltandi, me verò profundius abjiciendi. 14. Poſtulo, ut des mihi longam vitam, plenam ſanctitate mea, & ingenti fructu proximorum. 15. Poſtulo, ut des mihi gra-

gratiam propoſita omnia bona exequendi,& conſtanter ac illuminate in eis perſeverandi. 16. Poſtulo, ut des mihi ad extremum uſque vitæ inſtans, plenum ſenſuum & rationis uſum, utque te etiam in extremo vitæ punctodiligam ſuper omnia,cupiam ſuper omnia, & ex motivis puræ ignitæque charitatis de peccatis dolendo, in manus tuas ſpiritum meum traham. 17. Poſtulo,ut des mihi gratiam diſcernendi ſpiritus, tam in meipſo, quàm in aliis. 18. Poſtulo,ut des mihi gratiam facile, & citò, res, quas à tua DivinaMajeſtate peto impetrandi. 19. Poſtulo, ut des mihi cor miſericordiæ plenum, quo aliorum bonis ſine invidia faveam,infirmitati & miſeriis ſine fuco compatiar, facile omnia excuſem, tegam, laudem, aut ſaltem: nec meæ nec alienæ cenſuræ narrando ſubjiciam. 20. Poſtulo, ut des mihi gratiam capiendi homines, ad bonumque à malo ſuaviter, prudenter, efficaciter deducendi. 21. Poſtulo, ut dirigas ad me, vel me ad tales homines, qui maximè egent, & remoti ſunt, deſtitutique ſua vel aliena culpa, ab auxilio ſpirituali, utque mihi des gratiam, eosdem homines efficaciter, & cum patientiæ meæ exercitio adjuvandi, ad teque Creatorem ac Dominum adducendi. 22. Poſtulo, ut des mihi gratiam Apoſtolicam ad converſandum, concionandum, confeſſiones audiendum, conſulendum, ut des mihi induſtrias, praxes, inventionesque prudentiæ ſpiritualis, animarum periculis occurrendi. 23. Poſtulo, ut in me impedimenta, meæ alienæve ſalutis à me, ab illis, à Diabolo objecta, potenter removeas, mihique cum omni hominum genere, gratiarum agendi, & ſalutariter tractandi concedas. 24. Poſtulo, ut iis animabus, quæ vel peculiari de cauſa à me juvari debent, vel minimum ad exſolvendum tuæ Juſtitiæ habent, vel à nullo penitus vivorum in particulari ju-

juvantur, quam citissimè miserearis, & ad vultus tui claritatem videndam, illas admittas, Amen.

CAPUT VI.

Protestationes semel aut sæpius in mense faciendæ.

QVi eas, quæ sequuntur, Protestationes cum singulari suæ animæ profectu facere desiderat, ante omnia recollecto oportet sit animo, secumque ipse dispiciat, quidnam & cui protestetur. Id verò compendiosè faciet, si titulum cujuslibet Protestationis penitus apprehenderit. Possunt etiam fieri relatione ad tempus agonis, & nunc pro tunc ratihaberi. Prima itaque Protestatio sit

Fides.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Dei unius in Trinitate, & Trini in Unitate. Ego N.N. coram te, veracissime Deus, protestor me esse Christianum, Catholicum-Romanum, velleque in hac una, vera, Apostolica fide vivere & mori. Credendo quæcunque Ecclesia Catholica credit, meumque judicium ejus judicio per omnia submittendo, prout de facto, nunc in conspectu Divinæ tuæ Majestatis sciens, volens, libens submitto.

Spes.

PRotestor, fidelissime Deus meus, me salutem æternam à te Domino Deo, ita per merita Christi Jesu, Sanctorumque suffragia sperare, ut nec sine tua gratia, nec sine cooperatione mea, me illam consecuturum præsumam, neque etiam propter peccata mea, quantumvis multa & gravia, me eandem adepturum desperem.

Cha-

Charitas.

PRoteſtor, perfectiſſime Deus, te Deum Dominum meum eſſe ſummum excellentiſſimumque Bonum, & ipſiſſimam Bonitatem, ob quam digniſſimus es omni amore, æſtimatione, appretiatione, & ſuper omnia prælatione. Unde & ego viliſſimus licet, te tamen amo & æſtimo ſuper omnia, omnemque rem tibi penitus poſtpono, & eam propter te deſpicio, Deus meus, ſerva in me hunc affectum & amorem appretiativum tui, ut in me ſemper ſit, ſemperque creſcat, donec ad plenam illam nunquam interruptam, nunquam excidentem, nunquam languentem tui dilectionem perveniam.

Religio.

PRoteſtor, Sanctiſſime Deus, te eſſe Deum deorum, & Dominum dominantium, cui ſoli, omnis & ſemper divinus cultus, adoratio, devotio, honor, majeſtas debetur. Quare ego creatura tua te Deum meum, Deum verum agnoſco, te Trinum adoro, te Unum credo, in te ſpero, te amo, æſtimoque ſuper omnia, tibi me ſubjicio, tibi me plena ſubmiſſione trado, nulliusque alterius, quam tuam voluntatem, per te vel tuos mihi propoſitam facere volo.

Contritio.

PRoteſtor, Excellentiſſime Deus, me peccata mea omnia, maxima & minima, quibus frequentiſſimè infinitam tuam Bonitatem & eminentiſſimam tuam Dignitatem offendi, ex animo deteſtari & odiſſe, deque illis contritione qua poſſum, & tu donas, maxima dolere, dolere autem non ob ulla damna, nec ob ulla ſupplicia, quæ ſum promeritus, ſed ob id ſolum, quia Dignitatem & Bonitatem tuam offendi, quam ſummè amare

amare æstimareque debui, prout nunc amo & æstimo, in æternumque amare & æstimare propono.

Propositum.

PRotestor dignissime Deus, me velle vitam meam emendare, tibi serventer servire, voluntatem Tuam semper exequi, omnia peccata fugere, omnibus tentationibus cum tua mihi semper parata gratia resistere, & in bono ad mortem usque perseverare.

Intentio.

PRotestor rectissime Deus, me omnia dicta, facta, cogitata, omnes motus animæ & corporis, in unam, solam, majorem gloriam tuam dirigere, meam deinde salutem & perfectionem, tum denique proximorum meorum bonum, in omnibus quærere, neque quidquam amplius in cunctis consiliis meis atque operibus, quam augmentum tuæ gloriæ, salutis vero meæ & proximorum incrementum intendere.

Fiducia in Deum.

PRotestor omnipotentissime Deus, te esse omnium rerum auxiliatorem fortem, à cujus gratia & ope ego totus quantus quantus sum, plus dependeo, quam lux à Sole, quam vita ab anima, quam umbra à corpore. Protestor quoque tuam mihi gratiam semper esse necessariam, ut aliquid boni faciam, possim, sciam, velim, cogitem. Utque aliquam tentationem vitem, aut vincam, ut denique ad aliquod etiam breve tempus, in peccatum non corruam.

Dominium Dei.

PRotestor justissime Deus, te esse omnium rerum & meum inprimis Dominum absolutum. Tibique me omnia debere, te autem mihi debere nihil. Itaque teneor tibi tanquam jumentum, tanquam mancipium, tanquam figmentum subdi, servire, subjacere, sine ullo

abs te mihi proposito aut promisso præmio. Tu autem, etsi omnia quæ debeo, fecero, dicere mihi potes: Non places, inutilis servus es, abi, &c. Meq; à te rejicere, & in æternum damnare, quoniam nihil mihi ex Justitia debes.

Diffidentia sui.

PRotestor, Maxime Domine Deus, me nihil esse nisi Nihil, solum nihil & peccatum posse. Nihil mihi me esse sine te, nisi ducem in præceps, nisi cæcum in via erroris, nisi terram sine aqua. Cum autem tu respicis me, omnia possum in te, confortatus abs te.

Vocatio religiosa.

PRotestor, Misericordissime DEUS, me hunc sacræ Religionis (vel Apostolicum) statum, in quo me singularis tua Providentia collocavit, & hactenus servavit, amare & probare: Votaque Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ, & nunc etiam movere, & ad ultimum usq; spiritum exactè velle retinere, sicque in hoc sacrosancto statu vivere cupere, quemadmodum excellentissimi ejus instituti, altissima perfectio, Regularumque præscriptio, expostulat.

Imitatio.

PRotestor, Invictissime DEUS, me nullam aliam viam magis (quamvis obluctante & reformidante sensualitate) appetere, quam viam crucis, humiliationis, tribulationis, mendicitatis, infamiæ, ingratitudinis, desolationum internarum, morborum corporalium &c. modo id citra impedimentum majoris in me boni spiritualis fiat, ut sic Redemptori meo conformis, verusque Dei socius evadam.

Confessio Miseriæ.

PRotestor, Beatissime DEUS, me hasce & similes protestationes, non ita facere, quasi eas mea industria & dili-

diligentia perfecturum me præsumam,(novi enim infirmitatem & malitiam meam)sed quia tuæ Excellentissimæ Majestati, hoc quali quali affectus mei obsequio placere volo,debitique mei,quod tibi omni momento vitæ meæ impendere teneor,me ipsum prout possum, commonefacere intendo,nec non frigidos spiritus mei igniculos.per quasi has afflationes inflammare aliquantum satago,& denique hac protestationum repetitione, miseræ infirmitati, inconstantiæ, malitiæque meæ remedium afferre, in bonoque perseverandi necessitatem, mihimetipsi imponere qualiter possum & tu donas, allaboro.

Resignatio.

PRotestor, Pulcherrime DEUS, me velle omnino à me ipso desciscere,& in te totum transire. Nihil mihi de me usurpare,totum me tibi tractandum & regendum tradere,omnia de Paternis tuis manibus æqualiter expectare, ut sic totus in te habitem,in te vivam, in te glorier,sive consolari, sive affligi, sive erigi,sive abjici, sive vivificari,sive mortificari me velis.

Præmium.

PRotestor, Liberalissime DEUS, me à te nihil aliud reposcere quàm te,non quod me dignum putem qui habeam te,sed quia te dignissimum esse scio,ut habearis à me, quodque omnibus præmiis præmium majus sit diligere te,placuisse tibi, habere te.

Constantia.

PRotestor,Gloriosissime DEUS,quod ab his,quæ in antedictis omnibus protestatus sum, resilire nullatenus unquam velim,quodque omnipotentissimæ Gratiæ tuæ fidam,eam mihi semper affaturam,meq; efficaciter adjuturam, quatenus omnia quæ tibi placita sunt, semper,constanter,perseveranter,perficere valeam.

Perseverantia.

PRotestor admirabilissime Deus, me omnem præteritam, præsentem, futuram voluntatis meæ perversitatem abominari, detestari, execrari, & sicut præteritam nollem fuisse, præsentem nollem esse, sic omnem futurum nolle evenire, hocque præsenti, firma, deliberata, libente protestatione confirmo, me omne id quidquid tandem à me futurum est mali, nolle, respuere, detestari, retractare, hancque qualem qualem protestationem meam tibi Deus meus in testem & obsidem trado, conjungens illam omnibus Jesu Christi Redemptoris mei, Beatissimæ Virginis Mariæ, meæ ab Infantia Parentis ac Dominæ, omnium quoque Sanctorum meritis, gratiis, virtutibus, protestationibus, ad majorem maximi tui nominis gloriam.

Obedientia.

PRotestor suavissime animarum nostrarum Amator Deus, me cum tua sanctissima gratia, omnibus tuis, quantumvis gravibus & arduis, quantumvis levibus & parvis motionibus, inspirationibus, invitationibus, quocunque modo mihi factis, ut primum eas plene cognovero, deque prudentum consilio tuas & implendas esse didicero, quantum in me situm erit obtemperaturum, neque illis ullatenus reluctaturum. Quod & si magnum, majusq; omnibus viribus meis onus esse intelligo, attamen, tua in misericordia confido, quod qui me movere & invitare dignaris, etiam me in motionibus & invitationibus tuis, à non tuis dignoscendis, illuminare, & dirigere dignaberis, quodque tu, qui das id in præsenti postulare & animose protestari, dabis & fideliter perficere, & omnino cumulatè, promptè, perseveranter exequi.

Diligentia.

PRotestor diligentissime Deus, me velle omni occasione, quæcunque se ad majus & perfectius, magisque cum

cum gloria tua conjunctum beneplacitum tuum perficiendum, meque ad magis Spiritu & tua gratia promovendum, mihi aliquando ex tuo munere obtulerit, intendere; eaque accurate uti, atque etiam pro tuæ mensura gratiæ mihi abs te communicatæ, devotioni & perfectioni tam proximorum quam meæ, nec non majori gloriæ tuæ quærendæ & curandæ semper insistere, efficax tantummodo auxilium tuum hanc ad rem implendam digneris concedere.

Gratiarum actio.

PRotestor magnificentissime Deus, me tibi pro omnibus & singulis in tota vita mea, quocunq; modo abs te mihi præstitis beneficiis, eas quas possum maximas gratias agere, & usque in æternum agere velle, hancque protestationem ita nunc facere, ut per illam (sanguini ac meritis Domini nostri Jesu Christi conjunctam) omnes præteritas, & forte (quod nollem) futuras ingratitudines, aut gratias agendi intermissiones, suppleam & sufficiam; eo plane modo, ac si tibi perpetuas, & nullo modo interruptas, ad extremum usque vitæ spiritum gratias agerem, tam diu, donec cum omnibus Sanctis tuis, misericordias tuas, me tibi in æternum cantare facias.

Invocatio boni.

PRotestor immutabilissime Deus, me omnia, quæcunq; unquam tibi cogitavi, proposui, dixi, feci, in futurumve cogitabo, proponam, dicam, faciam, aut etiam potero cogitare, proponere, dicere, facere bona, etiam nunc; pro cogitatis, propositis, dictis, factisq; in quantum possum, & tu vis habere, huncq; ipsum protestandi præsentem actum, in omnium illorum prædictorum bonorum vicem velle esse, cupereq; eum semper durare & renovari, in omni aspiratione & respiratione anhelitus mei, in omnemq; æternitatem continuari, exoptare, affectu quidem toto & pleno, non tamen meo, quia nullus

est, sed omnium Sanctorum & Angelorum, sed sanctissimæ Virginis Mariæ, sed dulcissimi Domini mei JESU CHRISTI, sed denique tuo Divino & te digno, tibique pari, ut sic tibi perfectior laus, benedictio, servitium, reverentia, dilectio à me vilissima creaturæ tuæ portione, sine fine & ultra impendatur.

Omnis gloriæ in Deum transfusio.

PRotestor, solidissime DEUS, me in omni opere, verbo, cogitatione, motu meo nihil prorsus vanæ gloriæ, propriæque reputationis, tam in præsenti quàm in futuro intendere velle. Proinde Deus meus, qui vanitatem in te non habes, & in nobis illam odisti, detestor in conspectu tuo omnem gloriolam vanam, omne aut quod feci, dixi, cogitavi, scripsi, aut aliquando faciam, dicam, cogitabo, scribam, proponam, intendam &c. totum tibi attribuo & adscribo, mihi solum nihil & imperfectionem reservo. Hanc verò protestationem præsentem, ita nunc facio, ut eam continuatam, toto vitæ meæ tempore, ad ultimum usque instans velim, ita ut hanc protestationem te Scrutatore cordium teste: cupiam & proponam in articulo mortis haberi, imò eam in præsenti tibi pro illo etiam puncto, in omni sinceritate offero. Accipe, Deus, hanc voluntatem meam, & qui intueris cor, radicesque desideriorum exaudis, exaudi me miserum & affectum meum ab omni vanæ gloriæ titillatione pro toto vitæ meæ tempore, ad ultimum usque spiritum libera, mihique plenum ejus contemptum tribue, ut tibi soli laus, honor, gloria, sit à me, in sæcula, Amen.

CAPUT VII.

Modus colendi Div. voluntatem.

JAm supra per dies aliquot devotiunculæ ad voluntatem Divinam sunt positæ: nunc sit

§. I.

Modus desponsandi se Voluntati DEI, R. P. Druzbicki usitatus.

O Suavissima atque semper adoranda Dei voluntas, cui servire dignitas, cui placere vita, cui adhærere beatitudo est. Ego N. quamvis undequaque consortio tuo plane indignissimus, & nullo modo tibi exæquandus, solo tamen & puro tibi placendi, adhærendi, serviendique desiderio, tuoque etiam sacrosancto nutui, ad id me misericorditer impellenti, obsequi ex animo concupiscens, te mihi in charissimam perpetuamque Sponsam eligo & accipio, vicissimque me tibi in sponsum perpetuum trado ac devoveo. Omnem substantiam meam, libertatem, potentiam, fidelitatem meam, dilectionem quoque & cohabitationem, & mutuum obsequium, atque etiam laborum, studiorum, cogitationum, fructuum communitatem, tibi in omnem vitam meam, imò in omnem æternitatem despondeo, ita ut mihi tu sanctissima Sponsa, & ego tibi sponsus beneplacens, inviolabili jure desponsatus, in æternum esse & vocari velim. Tu jam ô Sponsa omnipotens, effice me secundum cor tuum, meque fruere per omnia, & utere me ad beneplacitum tuum, juxta omnipotentem efficaciam tuam. Volo, ô Domina & Sponsa mea, ut quidquid tibi sive de me meisque actionibus & vitæ rationibus, sive de aliis quibuscunque ad me quomodolibet pertinentibus, vel non pertinentibus prosperum vel adversum, placet, mihi quoque ut placeat. Volo, ut quidquid ego per omnes potentias meas, in omni momento vitæ meæ agam, tibi perfectè commensuratum, subditum, placitum & gustabile fiat. A qua voluntate, proposito, & desponsatione

ne præſenti, nullatenus me reſilire velle, coram te ipſa Domina Sponſaque mea profiteor & proteſtor. Sic me tu ô unicus cordis mei amor atq; deliciæ adjuvare & confirmare, efficaci, continuoq; auxilio tuo digneris, Amen.

§. II.

Proteſtatio & plena conformatio ſui ad voluntatem Dei.

O Deus meus, Amor meus, abſit ut quod tu vis, ego nolim, aut quod tu non vis, ego velim, tua voluntas mea voluntas, imo amplius mea non eſt, quia tua eſſe cœpit, imo tua mihi jam ſequenda eſt, quia mea eſſe cœpit. Idem ego velle debeo quod tu, & verò etiam ô Domine volo, vis me ægrotare, volo, tabeſcere? volo, doloribus affligi? volo. Solatiis deſtitui? volo. Vis linguis detractorum, calumniatorum, irridentium exagitari? volo. Vis adverſis plurimis exerceri? volo. mori etiam? & hoc volo. Vis me cœlo adſcribere? volo. Inferno addicere? Ah bone Jeſu! ut tu hoc velles, volebam ego, & merebar. Ut ego hoc nollem & volebas tu, & merebaris, atque ſi fieri poſſet (ut ſane non poteſt) horum alterutrum, aut ſanctiſſimam voluntatem tuam irritam eſſe, ut ego beatus ſim, aut me damnatum eſſe, ut ſanctiſſima voluntas tua rata ſit, proclamo, melius eſt damnari me, & ſervari quod tu vis ô Deus. Sed ô Bonitas, mortem meam ſcio, non vis, qui Filii tui mortem ideo volebas, ut poſſes non velle meam, per illam ergo Filii mortem te rogo, ô Pater, à morte æterna me eripe. En vulnera, en ſanguinem, quo tibi pro me litatum eſt, Filio nolebas parcere ut poſſes ſervulo. Quia ergo & potes & vis miſereri, ô immenſa & tremenda Majeſtas, miſerere mei, parce mihi, peccavi, negare non poſſum, ſed potes tu condonare quidquid peccavi. Serva me Deus, quem creaſti, opus tuum ſum,

quod te meum Opificem videre & æternum laudare cupio. Potes quidem instar figuli me luteum vasculum, & sub sui authoris manu parum obsequens frangere, & quod pridem commerui, in flammas abjicere, sed quia major est tua Bonitas, quàm malignitas mea, parce Domine, parce, parce, vivam amando te, qui brevi moriar, hoc per ultimum halitum rogando te. Miserere.

§. III.

Oratio pro implenda Dei voluntate.

SAncte Deus, Sancte Fortis, Sancte Immortalis. Ego vilissima creaturæ tuæ portio, in mea, & in omnium creaturarum tuarum persona, id unum, & super omnia, & pro omni tempore ac æternitate, proque omni tibi placita circumstantia, obsecro fiat semper, fiat plenè, fiat juxta cor tuum, fiat juxta cordis tui adæquationem adoranda, observanda, admiranda, amanda, benedicenda, tremenda, optanda, sanctissima, potentissima, sapientissima, optima, suavissima, profundissima, efficacissima, purissima, dignissima, constantissima, pulcherrima, simplicissima, rectissima, perseverantissima Voluntas tua sponsa mea in me, de me, per me, in omnibus creaturis tuis, sicut in cœlo & in terra.

§. IV.

Fœdus perpetuum humanæ voluntatis cum Divina.

ORtum est hoc fœdus in Polonia Anno 1663. *sub tempus sacri fœderis militaris, includens in se speciales actus Virtutum, unde ejus dignitas & utilitas, imò & necessitas facilè colligitur. Potest usui venire loco devotionis matutinæ seu vespertinæ. Qui ejus voluerit fieri particeps, duo agat. Primò pactum fœderis subsequens in dies devotè oret. Secundò, quoscunque poterit ad Societatem fœderis, sedulò pertrahat & invitet.*

Pactum Fœderis.

VOluntas tua, Deus meus, per quam & propter quam creata ſunt omnia, eſt primum principium, à quo totum hoc, quod ſum & poſſum, habeo; eſt finis ultimus ad quem tendere debeo: eſt unicum beatitudinis centrum, in quo ſecurè & feliciter conquieſcere valeo. Hujus ductum ſi ſequor, omne malum ſupero, omnes affectus edomo, omne bonum conſequor. Hujus mandatum ſi exequor, omne peccatum aufero, omnes virtutes adipiſcor, omnem legem tuam adimpleo. Hanc proinde nunc & ſemper cernuus honoro, adoro & revereor. Hanc credo Rectricem univerſi. Hanc æſtimo ſuper omnia. Hanc laudo, benedico & glorifico. Pro ejus Regimine in omnibus tam proſperis quàm adverſis tibi, Deus meus, infinitas ago gratias. In hac omnem ſpem & felicitatem meam repono. Ipſa eſt tota fiducia mea in omni occaſione. Huic me totum nunc pro ſemper in perpetuum mancipium offero, dono, dedico & conſecro. Hujus decretis & diſpoſitioni me cum tota univerſitate regendum plenariè trado & reconſigno. Gaudeo animitùs & tibi, ô Deus! congaudeo, quòd in cœlo à beatis Spiritibus, & in terra à juſtis voluntas tua integre perficiatur. Condoleo autem & compatior, quòd voluntas dæmonum, damnatorum & peccatorum etiamnum voluntati tuæ repugnet. Quia tamen eidem nullatenus reſiſtere poteſt: nec ulla adverſa creatura finalem ipſius ordinationem effugere valet, plurimùm lætor tibique congratulor. Meam porro perverſam voluntatem optimæ voluntati tuæ, ô ſummum Bonum! frequentiſſimè [illegible]ontrariam fuiſſe, ex corde triſtor & doleo. Sed jam [illegible]bhinc voluntatis tuæ præcepta in omni actione & p[illegible]ne mea efficaciſſimè exequi, tuâ nixus ope, firmiſ-

ſimè propono, ſtatuo, & enixiſſimè appromitto: Odi, fugio, deteſtor, abominor omne peccatum, & quidquid ſanctiſſimæ voluntati tuæ diſplicere cognoſco vel cognovero. Propter hanc memetipſum abnego; & propriæ voluntati abrenuntio; optoque cordicitùs, ut abhinc in me non mea ſed tua voluntas ſit, in cujus omni beneplacito etiam cujusvis adverſitatis mihi complaceo & conquieſco. Quin adeo ſum reſignatus, ut etiam æternùm damnari paratus ſim, ô amor mi, ſi ita velis, dummodo acceptiſſimæ voluntati tuæ per omnem æternitatem nihil agam contrarium; cui ſoli placere intendo & concupiſco propter ſolum guſtum tuum, licet nullum commodum meum. Te enim, ô inæſtimabile Bonum, propter temetipſum ſuper omnia toto eſſe & poſſe meo animitùs diligo, & voluntatem tuam, quæ idem tecum eſt, unicè amo, complector & exoſculor, eique intimè uniri, & totaliter conformari ardentiſſimè deſidero. Quàm vellem ſi poſſem, mi Creator & Salvator, inducere omnem creaturam rationalem ad obediendum voluntati tuæ, prout eidem omnis creatura irrationalis obtemperat. Huic me cum omnibus voluntatis tuæ cultoribus ſigillatim in hoc fœdere comprehenſis plenariè commendo, & unitivè reconſigno; ut, ſicut tu, ò trina Unitas! unum in te es, ita & nos tecum ſimus conſummati in unum. Per hanc obteſtor te, ô mi DEUS, doce nos facere voluntatem tuam. Da nobis perſeverantem in tua voluntate famulatum, fac nos ſemper voluntatis tuæ memores, & fideles ac conſtantes in ejus obſequio ex motivo amoris tui, ut ſimus ſecundum cor tuum. Denique oro, fiat de nobis, in nobis, & per nos quàm perfectiſſimè in omnibus & ſuper omnia DEUS meus, & omnia nunc & perpetim ſanctiſſima voluntas tua, fiat inquam ad unicum laudis, honoris

& glo-

& gloriæ tuæ augmentum, fiat in holocauſtum & tributum amoris Majeſtati tuæ ab omni creatura debitum, quod per cor Domini JESU, beatiſſimæ Virginis & Matris Mariæ, atque omnium Sanctorum, ex affectu totius univerſitatis, in unione omnium actuum meritoriorum tuæ Dignitati gratorum digneris clementer acceptare, Amen.

§. V.

Fœdus Amatorum crucifixi JESV.

COepit Duaci in Flandria Anno 1630. hoc fœdus & duo requirit, 1. Quotidie dimidio quadrante horæ aliquid è Paſſione Dominica meditari, & in fine vel ſequens pactum vel unum Pater noſter pro Conſœderatis omnibus abſolvere; ut in manibus ſuis conſcriptos agnoſcere; & in vulneribus ſuis recondere æternumque beare dignetur JESVS crucifixus. 2. Quicunque quivis poterit ad Societatem fœderis aſciſcere. Quo facto quisque hujus fœderis fiet particeps, in quo jam milliones hominum per Europam cenſentur.

Pactum Fœderis.

MAnus tuæ, Domine, fecerunt nos, manus inquam illæ, quæ cruci affixæ fuerunt pro nobis. Opera manuum tuarum ne deſpicias. Vulnera manuum tuarum precor ut inſpicias. Ecce in manibus tuis deſcripſiſti nos. Lege ipſam ſcripturam & ſalva nos. O bone JESU! exaudi nos, intra vulnera tua abſconde nos, nec permittas nos ſeparari à te. In hora mortis voca nos, & jube nos venire ad te; ut cum Sanctis & Electis tuis laudemus te nunc & in æternum, Amen.

CAPUT

CAPUT VIII.

Modus colendi Sapientiam æternam.

§. I.

Modus desponsandi se Æternæ Sapientiæ, à R. P. Druzbicki usurpatus.

O Pretiosissima, ô pulcherrima, ô dignissima, æterna Sapientia, quæ me licet universæ vilitatis vilitatem atque purgamentum, tamen gratuita solâ & pura misericordia gratiaque tua eligis, servas, ditas, salvas, beas, te ego coram adoranda individuaque Trinitate, coram omni aula cœlesti, pretiosissimaque tua Parente, nullis licet suffragantibus meritis, sed solis tuis invitantibus auxiliis, eligo, accepto, accipio mihi in sponsam sempiternam, meque vicissim tibi trado, dono, despondeo, in sponsum perpetuum, voloque totus tuus esse, in omnibus tibi servire, omnia ad gustum tuum facere, in omnibus majus tuum beneplacitum, majoremque gloriam tuam quærere, & spectare, tibique in æternum adhærere, nullum pro hac re à te præmium expetere, nisi ut sis sponsa mea suavissima, & ego sponsus tuus gratissimus, tibi semper, utque utaris me toto juxta omne placitum tuum, & ad gustum adorandæ voluntatis tuæ, & ad exaltationem eminentissimæ Dignitatis tuæ. Tibi cum Patre & S. Spiritu sit æternitas gloriosa, & gloria æterna.

§. II.

Postulatio Sapientiæ à Deo.

DEUS patrum meorum, & Domine misericordiæ, qui fecisti omnia Verbo tuo, & Sapientia tua consti-

ſtituiſti hominem, ut dominaretur creaturæ quæ à te facta eſt, ut diſponat tempus ſuum in æquitate, & juſtitia, & in directione cordis judicium judicet. Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam ſervus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus & exigui temporis, & minor ad intellectum judicii & legum. Nam ſi quis erit conſummatus inter filios hominum, ſi ab illo abfuerit ſapientia tua, in nihilum computabitur. Tu elegiſti me ſervum tibi, & tecum ſapientia tua, quæ novit opera tua, quæ & affuit tunc, cum orbem terrarum faceres, & ſciebat quid eſſet placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis, mitte illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede Magnitudinis tuæ, ut mecum ſit & mecum laboret, & ſciam quid acceptum ſit apud te, ſcit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobrie, & cuſtodiet me in ſua potentia. Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei, aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? Senſum autem tuum Domine quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum Sanctum tuum de altiſſimis, & ſic correctæ ſint ſemitæ eorum, qui ſunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines? Nam per ſapientiam ſancti ſunt, quæcunque placuerint tibi Domine à principio.

§. III.

Affectus ad æternam Sapientiam.

F*idei.* Æterna Sapientia, credo de te hæc omnia, quæ de te per te revelata ſunt in Scriptura ſacra, atque in tua S. Romana Eccleſia. Credo te Deum, & id omne eſſe quod revera es. Credo te Dei Filium, non creatum, non factum, ſed genitum, unum cum Patre Spiritus Sancti Principium, æternum, coæqualem,

lem, consubstantialem, incarnatum pro nobis de Spiritu Sancto, ex purissimis pretiosissimæ Parentis sanguinibus, cibum animarum nostrarum, inter nos & nobiscum manentem, immolatum sanctissimo Sacrificio, serva, adauge, perfice in me hanc fidem, & fac me dignum pro illa etiam mori.

Spei. Æterna Sapientia, tu es Deus, summum Bonum meum, & omnium nostrum, cui nullum bonum præponere, nullum componere possum, quod super omnia bona spero, à quo omnia bona spero. Te totis viribus desiderii mei cupio, amo, appeto, tibi inhio, ad te anhelo, sine te non vivo, tibi immorior, propter te pereo, tibi soli uni semper vivit & vivet, te dante anima mea, totus ego. Et heu me! cur non adsum tibi, cur adhuc peregrinor abs te? Et quo usque hoc?

Quando? O quando incipiam pleno tuo meo jure frui te? possidere te? Quando, ô quando incipiam tuus esse? O mane mecum, suavissima Sapientia mea, veni & da mihi te ut satier, ut inebrier, ut replear, ut superreplear te, tu enim es prima, ultima, unica, summa ratio spei meæ, salutis meæ, boni mei, te desidero, spero, concupisco, quantum possum, quantum das. Angustum est cor, quod accepi à te. da mihi amplius, quod vehementius cupiat te, da par tibi, da tuum, da ipsum te, ut cupiam & possideam te, per ipsum te, quoniam satiari & quiescere non nisi totaliter habeam te.

Amoris. Æterna Sapientia, tu es DEUS, tu summum Bonum, summè perfectum, summe pretiosum, nullis æstimationibus condignè æstimandum, te ego amo, te super omnia æstimo, tibi super omnia bona volo. Tu mihi vita mea, omnibus bonis, omni re & spe mea, toto mundo creaturis etiam possibilibus, charior, pretiosior, dignior, pulchrior, amabilior, suavior es, & eris in æternum & ultra. Amo te, ô

te, ô ſuaviſſima, æterna Sapientia, amore meo toto, amore omnium hominum, Angelorum, creaturarumque, amore pretioſiſſimæ Parentis, amore pretioſiſſimæ ſacratiſſimæque Humanitatis. Cupio te amare amore tuo, quo tu diligis te, amore Patris, quo ille amat te, amore tuo, quo tu Patrem amas, amore, quo ambo Spiritum S. amatis, ab ipſoque redamamini, viciſſim æterna Sapientia, unica ſemper delectatio mea, da mihi amorem tui, non quantum creaturæ omnes & ſingulæ habent, non quantum hæc univerſi machina capere poteſt, ſed quantum tu, omni tua potentia condere potes, eum totum in æternum ad te ſolum converto & confero, propter ſupremam Bonitatem tuam, propter eminentiſſimam dignitatem tuam, propter adorandam ſuaviſſimamque voluntatem tuam, propter purum & ſolum guſtum tuum, propter augendum erga te affectum meum, propter nullum aliud præmium meum.

Donationis. Æterna Sapientia, tu es Deus, Rex & Dominus meus, ego autem ſervus, infans, cliens tuus, guberna me, tracta me, poſſide me, abjectum & fidentem in ſolum Te, totum me in Te reſigno, abjicio, demergo, ut tu mei curam quam voles, geras, deque me totaliter, prout voles, diſponas.

Poſtulationis. Æterna Sapientia, tu es Deus, ego autem homo ſum, hoc eſt: Tu es Deus & liberalis, ego autem pauper & mendicus, non me pudet neque piget mendicare à te, imo gaudeo te tam perfectum, me tam miſerum eſſe, ut debeam à te omnia maxima minimaque bona emendicare. Mendico igitur, & emendicat mecum totum nihilum meum: id omne, quidquid tu Deus Sapientia, mihi totique creaturæ neceſſarium, melius tuæ voluntati congruentius eſſe noſti.

Laudis. Æterna Sapientia, te laudabit quoad vivet in omnem æternitatem anima mea, tu es laus mea, tu canticum semper antiquum, semper novum. O quando incipiam sic laudare te, ut nunquam opus sit me cessare à laude tua, infelix corpus & corporalis vita misera, quæ gravas animam, ut non semper laudet Deum suum. Æterna, suavissima, pulcherrima, dignissima Sapientia &c. Ego, mancipium tuum, laudo omni laude debita tibi, & opto ex animi mei plenitudine, ut cum primum oculos meos manè patefacio, simul etiam sese cor meum capacissimè dilatet, omnibusque portis ejus flagrantissimæ & amantissimæ laudis tuæ flamma prorumpat, sursumque feratur, cum ignitissimo cordis amore tui, tuæque sacratissimæ Humanitatis, tuæ pretiosissimæ Parentis, tui supremi quem in laudem & charitatem tuam condidisti Seraphici Spiritus, tuorumque specialium Sociorum, te in beata æternitate incessabiliter amantium, atque etiam cum illa inexhausta, & incomprehensibili charitate, qua Pater tuus cœlestis te unicum Filium suum complectitur, per amorem suavissimum Spiritus Sancti, ex Patre & ex te Filio procedentis, cum quo vobis suprema sit laus in æternum, Amen.

CAPUT IX.

Modus colendi & impetrandi gratiam Divinam.

QVis unquam quid boni agere, loqui, aut etiam cogitare, vel etiam minimum malum evadere potest, sine gratia Divina. Licet omnibus, maximè tamen Sacerdotibus summè necessaria. Sit itaque

§. I.

Modus projiciendi se in sinum gratiæ Dei.

DEus cui creatura omnis debet omnia, & sine quo res omnes nihil sunt, cujus gratiam omnia requirunt ac mendicant. Ego figmentum manuum tuarum, coram Divino tuo conspectu me, sicut revera sum, penitus vilifico, & annihilo, totumque à tua gratia esse ac dependere, sine illa autem nihil omnino esse ac posse agnosco. Proinde, ô Fons bonorum omnium Domine, gratiam tuam sanctam, qua plus infinite egeo, quam cogitare valeo, mihi in Matrem ac Nutricem perpetuam eligo atque accipio, ejusque me infantulum ac nutritum esse, in omnibus ejus auxilio egere profiteor & gaudeo, totum me in ejus sinum, omni resignationis ac indigentiæ pondere abjicio, ab ejus solius providentia ac sustentatione, omnia & singula expecto, ac denique in hoc solo, quod infans, lactens, nutritiusque gratiæ tuæ sim, gloriari concupisco. Tu igitur Domine, me tuæ gratiæ totum creandum, formandum, gubernandum, ornandum, defendendum, promovendum, penetrandum, vegetandum, nutriendum, salvandum committo. Doce me gratiæ tuæ subesse, doce me illam nosse, illam quærere, cum illa versari, illam servare, illam desiderare, illam defendere, illam promovere, illam exaltare, non tantum cum Patientiæ meæ exercitio, aut cum famæ, honoris, opinionis, autoritatisque damno, sed etiam cum mortis periculo, cum vitæ discrimine, cum mei annihilatione, ad majorem nominis tui Sanctissimi gloriam, adorandæ voluntatis, piissimæque gratiæ exaltationem.

§. II.

Confessio paupertatis & Emendicatio Gratiæ.

DEus in quo sunt Fontes gratiarum, & infinitus Thesaurus beneficiorum, sine quo nihil, per quem omnia sum & possum, coram abyssali Sapientia tua, cui nihil

nihil cordis humani versutia mentiri potest, agnosco, & confiteor, me ex me purum & merum nihil posse, nihil scire, nihil velle, nihil cogitare, nihil esse. Agnosco & confiteor, mihi ex notitiæ naturæque meæ principiis solum nihil, solum defectum, solum contemptum, solem abjectionem, derelictionem, egestatemque deberi. Agnosco & confiteor, me quæcunque bona, sive naturalia sive supernaturalia, minima juxta ac maxima in me habeo, omnia ex gratia, & misericordia, donationeque tua gratuita, & nullatenus debita habere. Agnosco & confiteor, me ita gratia tua egere, ita semper omnia ab illa accipere, ita per omnia ab illa dependere, quomodo infantulus à nutrice, radii lucis à Sole, umbra à corpore, vita ab anima dependet. Agnosco denique & confiteor, me aliud esse nihil, nec alio nomine dignius vocari posse, debere velle, quam emendicatorem continuum gratiæ tuæ.

Gratia tua, Domine Deus meus, sum id quod sum, & id quod non sum. Gratia tua possum id quod possum, quod cogito, quod volo, quod velle volo, quod velle possum. Sine gratia vero tua, sum pura mendicitas, pura indigentia, pura miseria, purum nihil, adeo ut sine gratia tua neque hoc ipsum de me scirem aut profiterer, si non per tuam gratiam in hac veritate erudirer. Quare Domine Deus meus, hanc omnimodam paupertatem, nuditatem, nihilumque meum medullitus recognoscens, tibiq; omnium cognitori confitens, ex nunc usque in perpetuum, ad tuam me gratiam emendicandam, totumq; quantus quantus sum, converto, eaq; me indigere non tantũ recognosco, sed etiam gaudeo; eam mihi ad omnia & singula cujuslibet meæ potentiæ opera, tam naturalia quam supernaturalia necessarium esse sentio, illamq; à te tota egestatis meæ latitudine atq; capacitate expeto, meq; totum in tuam gratiam tanquam infantulus lactens in ulnas Matris & Nutricis depono.

Deus meus gratiarum arbiter ac Domine, totus à te ſum, totus à te dependeo, ſine te totus egeſtas, totus defectus, totus nihilum ſum. Tu igitur ô abyſſus gratiarum, gratiam tuam qua perpetuo indigeo, perpetuo mihi ſubminiſtra. Da illam mihi digne poſcere, digne receptare, digne ſervare, digne augere, digne honorare. Da ut efficaciter ſciam per illam me habere, & poſſe omnia. Da ut in illa referam, ipſique adſcribam omnia, illi gratias agam poſt omnia, illam æſtimẽ ſuper omnia, illam propagare allaborem, inter omnia denique illam dum vivam, totis viribus meis exaltem ſuper omnia, me autem deprimem, vilificem, annihilemque infra omnia, idque ideo, quia hæc eſt dignitas Gratiæ tuæ, & quia hæc eſt adoranda Voluntas tua cui gloria in ſecula, Amen.

§. III.

Oratio pro conſervatione in Gratia.

SUaviſſime rerum omnium gubernator DEUS, qui portas cuncta Verbo virtutis tuæ, & in cujus conſpectu difficile non eſt ditare pauperem, quiq; ventis pondus facis, hoc eſt creaturis tuis ex ſe ad malum & ad caſum pronis, conſtantiam in bono firmitatemque tribuis. En ego viliſſimus terræ pulvis, & omnium infirmitatum infirmiſſimus homuncio, etſi ubique, & ſemper, & omnino do, gratia tua indigeo, potiſſimum tamen Gratiæ tuæ ſanctificantis aſſidua in me inhabitatione, conſervatione, augmento, confirmatione, ac perſeverantia opus habeo, utpote, per quam ſolam amicus & Filius tuus efficiar, & ſine qua cætera dona tua nihil ad aliud quam ad cumulum damnationis meæ, iræque tuæ mihi proſint, & qua ſola ſi potiar, abunde dives ſum. Eapropter, indigniſſimus tuus ſervus & omnium infirmitatum infirmiſſimus homuncio, tota ſubmiſſionis

meæ

meæ profunditate, ſupplico Majeſtati tuæ piiſſimæ, ut me tuum per omnia mancipium, in ſancta Gratia Tua habere, conſervare, confirmare, ſtabilire digneris, neque unquam in æternum ab illa excidere patiaris. Hoc te Deus meus non propter ullam meam dignitatem, aut merita (quæ nulla eſſe aut ſi quæ ſunt, tua dona eſſe ſcio aut confiteor) ſed propter ſolum ac purum tibi conſtanter immobiliterque digne ſerviendi deſiderium, per omnem cordis tui bonitatem, per univerſam viſcerum tuorum miſericordiam per Jeſu Chriſti Redemptoris mei, Filii tui paſſionem, mortem, vulnera, & merita, per pretioſiſſimæ Parentis, Virginis Mariæ omniumq; Angelorum ac Sanctorum interceſſionem rogo & obſecro. In qua tamen petitione mea exaudienda vel rejicienda, totum me cum omni quæ Creatori à creatura debetur ſubmiſſione ac ſubjectione, ſanctiſſimæ ac ſemper adorandæ voluntati permitto. Ad majorem eminentiſſimæ dignitatis ac Gratiæ tuæ in me, de me, per me exaltationem, tibi ſit honor in ſæcula, Amen.

§. IV.

Canticum creaturæ Gratiam exaltantis.

VIlificat anima mea me ipſum in conſpectu tuo digniſſime Deus.

Et deſperavit Spiritus meus in nihilo contemptibili meo.

Quia nihil ſum propter mendicitatem naturæ meæ, ecce enim ex hoc jure contemnent me omnes generationes.

Quia nihil prorſus ex me poſſum, & nulla eſt ſufficientia mea.

Sed miſericordia Dei ſum quidquid ſum, & quod non ſum, & ex me nihil boni poſſum.

Fecit Deus bonitatem miſeriæ ſuæ, ſupplevit defectus egeſtatis meæ.

Extraxit me de lacu nihili mei, & donavit me totum mihi.

Exaltantes gratiam suam ditat Dominus, spernentes autem dimittit inanes.

Curat me ut nutrix infantem suum, novit enim omne imperfectum meum.

Sicut ab ipso sum totus quod sum, sic & ab illo solo spero cuncta bona mea.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

CAPUT X.

Modus dicendi Coronam beatissimæ Virginis.

DUm vis dicere Coronam beatissimæ Virginis Mariæ, ut sit magis grata Sanctissimæ Trinitati, illam sic offeres; O sancti Patroni mei hujus diei, dignemini offerre hanc Coronulam beatissimæ Virgini, ut illa offerat dilectissimo Filio suo. Ille amantissimo Patri suo, ut mihi & N. N. concedat remissionem peccatorum quoad culpam & pœnam, & N.N. (quod intendis impetrare) Domine Deus meus, hoc propositum dicendi coronam, primò conceptum in purissimo corde tuo, & mihi inspiratum, ut fidelis inveniar in hoc proposito, volo illam absolvere, & offero tibi eandem in honorem beatissimæ Virginis Mariæ, per sanguinem, in sanguine, cum sanguine dilectissimi Filii tui, Domini mei Jesu Christi, per os sancti Archangeli Gabrielis, affectu Sanctissimæ Trinitatis, quo salutavit beatissimam Virginem, millies, millies, majore proportione fervoris & amoris, millies millies majore fervore intensionis, atomicè, sacrificativè, Christiformiter, Seraphicè, omnistudionaliter, ad purum putum gustum tuum, ut mihi & N .N. concedas N.N.

Recitato Hymno. Veni S. Spiritus. Et Antyphona beatiſſimæ Virginis pro tempore dicta. In prioribus tribus globulis abſolve. 3. Pater & Ave, in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, & Gratiarum actionis pro beneficio Creationis, Redemptionis & Sanctificationis. In majori globulo. Pater noſter. Poſt illud dic Oratiunculam hanc: O Dulciſſime Jeſu, rogo per effuſionem ſanguinis tui in circumciſione, libera me à peccato luxuriæ, & da mihi virtutem caſtitatis. Qui vivis & regnas.

Oblatio primæ Decadis. O dulciſſima Virgo, hanc decadem tibi offero per manus ſanctarum Virginum, per modum melodiæ, quam canunt ſanctæ Virgines ſeſequentes Agnum quocunque ierit, quarum tu primiceria es, ut me, & N. N. exhilares præſentia tua in ultimo agone vitæ meæ.

Poſt primam Decadem. O dulciſſima Mater Dei & Virgo, Domina, Patrona, Advocata, Mater mea pretioſiſſima, rogo te per gaudium cordis tui, quod habuiſti in Annuntiatione Incarnationis Filii tui, Domini noſtri. Impetra mihi & N. N. ab eodem Filio tuo, remiſſionem peccatorum meorum quoad culpam & pœnam, ſeriam vitæ emendationem, Gratiam ſanctificantem & finalem, (N. N. virtutem diei quam eodem die per Patronos impetrare intendis) animabus fidelium Defunctorum requiem æternam, & nobis vitam æternam, Amen.

Poſt ſecundum Pater noſter. O Dulciſſime Domine Jeſu Chriſte, rogo te per effuſionem ſanguinis tui, quem pro me effundere dignatus es in ſanguineo ſudore, libera me à peccato acediæ, & da mihi virtutem devotionis, qui vivis & regnas.

Oblatio ſecundæ Decadis. O dulciſſima Virgo & Mater, hanc decadem tibi offero per modum lapidum pretioſorum, per manus ſanctorum Martyrum, ut me & N. N. facias lapideos contra peccata & tentationes.

Post secundam Decadem. O dulcissima Mater Dei & Virgo, &c. ut supra. rogo te, per gaudium cordis tui, quod habuisti in visitatione S. Elisabeth, impetra mihi & N.N. *&c. &c.*

Post tertium Pater noster. O dulcissime Domine Jesu Christe, rogo te per effusionem sanguinis tui, quem pro me effundere dignatus es in flagellatione, libera me à peccato gulæ, & da mihi virtutem Temperantiæ, qui vivis & regnas.

Oblatio tertiæ Decadis. O dulcissima Virgo & Mater amantissima, offero tibi per manus sanctorum Angelorum, custodum nostrorum, per modum violarum humilium, ut nos miseros peccatores facias vere humiles in conspectu tuo, & Filii, & Sanctissimæ Trinitatis.

Post tertiam Decadem. O dulcissima Mater Dei & Virgo, &c. rogo te per gaudium cordis tui, quod habuisti in partu Virgineo, impetra mihi & N.N. *&c.*

Post quartum Pater noster. O dulcissime Domine Jesu Christe, rogo te per effusionem sanguinis tui, quem pro me effundere dignatus in spinea coronatione, libera me à peccato superbiæ, & da mihi virtutem Humilitatis. Qui vivis & regnas *&c.*

Oblatio quartæ Decadis. O amabilissima Mater & Virgo, hanc Decadem tibi offero per modum Embammatis, per manus sanctorum Patronorum nostrorum, ut nos facias dulcissimum Embamma tibi, Filio tuo & Sanctissimæ Trinitati.

Post quartam Decadem. O dulcissima Mater Dei & Virgo &c. rogo te per gaudium cordis tui, quod habuisti in adoratione trium Regum, impetra mihi & N.N. *&c. &c.*

Post quintum Pater noster. O dulcissime Domine Jesu Christe, rogo te per effusionem sanguinis tui, quem pro me effundere dignatus es in vestium spoliatione, libera me

me à peccato avaritiæ, & da mihi virtutem Liberalitatis, qui vivis & regnas *&c.*

Oblatio quinta Decadis. Offero tibi, pretiosissima Virgo & Mater, hanc Decadem, per modum sagittarum amorosarum ex corde nostro miserrimo in cor tuum Virgineum, ut reciprocè dirigas jacula amoris tui ex corde tuo Virgineo in cor nostrum miserrimum, ut possimus te amare sicut filii Matrem dulcissimam, & offero tibi per manus sanctorum consanguineorum tuorum & amantium te.

Post quintam Decadem. O dulcissima Mater Dei & Virgo, &c. rogo te per gaudium cordis tui, quod habuisti in præsentatione dilectissimi Filii tui in templo, impetra mihi & N. N. *&c. &c.*

Post sextum Pater noster. O dulcissime Domine Jesu Christe, rogo te per effusionem pretiosissimi sanguinis tui, quem pro me effundere dignatus es in crucifixione, libera me à peccato iræ, & da mihi virtutem Patientiæ, qui vivis & regnas &c.

Oblatio sextæ decadis. Offero tibi, sanctissima Virgo & Mater, hanc decadem, per modum stellarum fulgidarum, per manus omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, ut nos miseros peccatores facias fulgidos in oculis tuis, Filii tui & Sanctissimæ Trinitatis.

Post sextam Decadem. O dulcissima Mater Dei & Virgo &c. rogo te per gaudium cordis tui, quod habuisti in Inventione dilectissimi Filii tui in templo, per triduum amissum, impetra mihi & N.N. *&c. &c.*

Post septimum Pater noster. O dulcissime Domine Jesu Christe, rogo te per effusionem pretiosissimi sanguinis tui in sanctissimi lateris transfixione, libera me à peccato invidiæ, & da mihi virtutem charitatis, qui vivis & regnas &c.

Nota. Quodlibet Mysterium tam gaudiosum pretiosis-

ſiſſimæ Matris, quam ſeptem effuſionem ſanguinis Chriſti Domini in recitatione rumina.

Sequuntur tres globuli minores, ad quemlibet dic unum Ave Maria. Ante primum dic: Gaudeo dulciſſima Mater & Virgo, gratulorque tibi, quod dulciſſimus Filius tuus tantum te ſublimavit, ut ſis proxima Sanctiſſimæ Trinitati, fac ut ſimus tecum in gloria, & videamus gloriam tuam, benedicamusq; te in æternum. Ante ſecundum dic: Gratulor tibi & gaudeo, dulciſſima Virgo & Mater, quod te dilectiſſimus Filius tuus in tantum elevaverit, ut per te omnes Sancti habeant claritatem ſuam, utinam ſimus ex illis! O pretioſiſſima Mater! miſerere nobis. Ante tertium: O dulciſſima Virgo & Mater, gratulor tibi & gaudeo, quod Sanctiſſimæ Trinitatis voluntas ſit tua voluntas. Et tua ſanctiſſima voluntas ſit Sacratiſſimæ Trinitatis voluntas. O utinam tua, ô amantiſſima Mater, ſit ſacroſancta efficax voluntas, ut ſimus in cœlo! miſerere nobis, ô dilectiſſima Mater & Virgo, fiat, fiat. Tandem claude per ſymbolum Apoſtolorum, & hymnos de beatiſſima Virgine. Addendo pſalmum; Laudate Dominum omnes Gentes.

CAPUT XI.

Modus dicendi devotè Litanias B. V. Lauretanas.

EO uſque devenit humana fragilitas, ut licet ſæpe intendat dicere vel canere quid devoti, mox diſtractio aut vana cogitatio ſe intrudat, niſi quaſi vigiles aut cuſtodes, pii ponantur affectus. Itaque ad magis attentè dicendas aut cantandas Litanias Lauretanas. Infra appoſiti affectus aut petitiones corde elici poſſunt. Non enim intendo corrigere Magnificat, aut novas ponere

ponere Litanias, sed ut à S. Ecclesia Romana Catholica confirmatæ devotius recitentur aut canantur, hi affectus cogitari possunt, ut evadantur distractiones.

Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison,
Christe audi nos,
Christe exaudi nos.

Pater de cœlis, Deus, qui nos ad imaginem tuam creasti, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi, Deus, qui nos pretioso sanguine tuo redemisti; Miserere nobis.

Spiritus Sancte, Deus, qui nos ad Baptismum & veram fidem Catholicam vocasti; Miserere nobis.

Sancta Trinitas, unus Deus, qui nos hæredes Regni tui elegisti; Miserere nobis.

Sancta Maria, ne simus amari tibi Filii.

Sancta Dei Genitrix, ut simus veri & digni Filii tui.

Sancta Virgo virginum, ut anima nostra sit electa sponsa dilectissimi Filii tui.

Mater Christi, ut simus veri & digni fratres Filii tui.

Mater Divinæ gratiæ, ut simus semper in gratia Dei.

Mater purissima, ut simus puri à sordibus peccatorum.

Mater castissima, ut anima nostra sit decora in oculis Dei.

Mater inviolata, ut anima nostra in Judicio Filii Dei inveniatur inviolata.

Mater intemerata, ne tangat nos peccatum, aut mundus immundus.

Ora pro nobis.

Mater

Mater amabilis, ut amemus te ceu Matrem nostram dilectissimam.

Mater admirabilis, ut simus participes mirabilium virtutum tuarum.

Mater Creatoris, ut laudemus continuò Creatorem nostrum.

Mater Salvatoris, ut æstimemus pretium Redemptionis nostræ.

Virgo prudentissima, ut simus prudentes prudentiâ cœlesti, plus amando cœlestia quàm terrena.

Virgo veneranda, ut veneremur te sicut Matrem.

Virgo prædicanda, ut ubique laudes tuas prædicemus.

Virgo potens, ut agnoscamus potentiam tuam in hora mortis nostræ.

Virgo clemens, ut nunquam excidamus è gratia tua.

Virgo fidelis, ut simus fideles servi tui.

Speculum Justitiæ, ut crescat apud nos justitia cœlestis.

Sedes sapientiæ, ut maneat in nobis Sapientia æterna.

Causa nostræ lætitiæ, ut simus participes lætitiæ, quam peperisti.

Vas spirituale, ut maneat in nobis Spiritus Sanctus.

Vas honorabile, ut te laudet & honoret mundus universus.

Vas insigne devotionis, ut simus veri devoti tibi.

Rosa mystica, ut demus odorem variarum virtutum Deo nostro.

Turris Davidica, ut simus fortissima turris contra inimicos animarum nostrarum.

Turris eburnea, ut simus armatæ turres contra impuritatem.

Ora pro nobis.

Domus

Domus aurea, ut simus habitacula aureæ & ardentis charitatis.
Fœderis arca, ne unquam peccata nostra violent fœdus Filii tui.
Janua cœli, ut inveniamus cœlum nobis apertum.
Stella matutina, ut nesciat anima nostra occasum.
Salus infirmorum, ut sanentur animæ nostræ à peccatis infirmæ.
Refugium peccatorum, ne nos peccatores indignos sub tuum præsidium confugientes repellas.
Consolatrix afflictorum, ut sis solatium nostrum in ultima tribulatione agonis nostri.
Auxilium Christianorum, aspice Christianitatem ac regnum nostrum, & ora pro nobis.
Regina Angelorum, ut habeamus amorem & virtutes Angelicas.
Regina Patriarcharum, ut habeamus fidem Patriarcharum.
Regina Prophetarum, ut habeamus spem Prophetarum.
Regina Apostolorum, ut habeamus zelum Apostolicum, & ne pereant animæ nostræ.
Regina Martyrum, ut simus patientes in afflictionibus nostris.
Regina Confessorum, ut sine timore ubique confiteamur Jesum, Filium Dei & tuum, & te Matrem veri Filii Dei.
Regina Virginum, ut simus casti corpore & animo.
Regina Sanctorum omnium, ut simus servi & imitatores Sanctorum & Electorum Dei.

Ora pro nobis.

Agnus

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & Juventutis nostræ. Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & cogitationum ac ſermonum noſtrorum. Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & negligentiarum noſtrarum. Miſerere nobis.

Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos, Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Ave Maria.

Ad ſub tuum præſidium & Orationem de beatisſima Virgine. Commendentur eidem omnes peccatores, & petatur per interceſſionem ejus efficacia, in illis convertendis.

CAPUT XII.

Modus devotè recitandi Litanias de omnibus Sanctis.

FAc intentionem laudandi digniſſimum Deum, amandique eum ſuper omnia in Sanctis ejus, ſic: e.g. Laudo te, Deus meus, & amo ſuper omnia in Sanctis tuis, & per Sanctos tuos, hocque affectu has Litanias dicere volo.

2. *Præſentiæ Dei,* vivax memoria concipiatur cum actuali reverentia & timore quodam, ſubmiſſioneque interna.

3. *Ad Kyrie eleiſon*, invocationemque Sanctiſſimæ Trinitatis, illis verbis; Miſerere nobis. Actus contritionis eliciatur.

4. *Ad invocationem beatiſſimæ Virginis,* illis verbis; Ora pro nobis. Expetatur per ejus interceſſionem felix mors.

5. *Ad invocationem SS. Angelorum,* illis itidem verbis; Ora pro nobis. Expetatur victoria omnium tentationum.

6. *Ad invocationem SS. Patriarcharum,* expetatur viva fides.

7. *Ad invocationem SS. Apostolorum*, illis verbis; Ora pro nobis. Expetatur zelus gloriæ Divinæ quam ardentissimus.

8. *Ad invocationem SS. Martyrum*, expetatur mors pro Christo.

9. *Ad invocationem SS. Pontificum* & Doctorum, expetatur scientia, aliaque talenta lucrandi Deo animas.

10. *Ad invocationem SS. Sacerdotum & Eremitarum*, expetatur perseverantia finalis (si Religiosus) in Religione, gratiaque dignè tractandi sanctissimum Sacramentum.

11. *Ad invocationem SS. Virginum & Viduarum*, expetatur puritas mentis & corporis.

12. *Ad propitius esto*, elicietur item actus contritionis.

13. *Ad Agnus Dei*, eleventur oculi & cor ad Christum Dominum crucifixum, & petatur ab eo, ut sit propitius in die Judicii.

14. *Psalmus Deus in adjutorium* &c. & reliqua usque ad collectas, recitetur ex motivo spei in adjutorio Dei quoad omnia.

15. *Dum recitantur collectæ seu orationes*, petamus ea quæ in eis continentur, & post singulas, actus amoris Divini eliciatur.

CAPUT XIII.

Praxis petendi à Domino Deo lucrum animarum.

1. GEnuflexus, apprehensa per vivam fidem præsentia SS. Trinitatis, te & omnia penetrantis ac introspicientis, fac profundam adorationem Uni-trinæ Majestati, & dic: Adoro te tota animi & corporis mei prostratione Uni-trina Majestas, Pater, Fili & Spiritus S. atque cum omni creatura præsertim intellectuali recognosco & profiteor, te esse Principium & Finem,

atque ita nobis essentiale est servos tuos esse, sicut tibi essentiale est esse supremum Dominum.

2. Excita in te zelum gloriæ, honoris & amoris Dei, sic: Et cur ergo non omnes creaturæ intellectuales ita tibi serviunt, ô Uni-Trina Majestas, sicut servire par est? cur non omnes omni honore & amore Dignissimum laudant & amant te? nunquid non potes id efficere, ô ardentissime honoris tui zelator Deus, an quia accommodas te libertati nostræ? Sed ô summa libertas, servire tibi, obedire tibi, laudare & amare te. O si igitur omnis creatura intellectualis puro & perfecto corde serviat tibi.

3. Erumpe in affectum amoris Dei, sic: Ego interim atomus creaturarum tuarum amo te pro omnibus, & cum omnibus creaturis. O Uni-Trina Majestas, Deus meus, quia summe bonus, quia sumum Bonum es. Volo me quantum est ex me in amando te omnem creaturam esse, & sic omnium corda unus haberem, omnibus te cordibus Deus meus amarem. Quod quia mihi deest, saltem id mihi da, ut aliquam animam ad servitium & amorem tuum Deus meus deducam.

4. Erigere in Spem obtinendi id à Deo quod petis, & dic: Spem mihi facit Bonitas tua infinita, Deus meus, quia nihil odisti eorum quæ fecisti, & quia neminem vis perire. Spem mihi facit sanguis tuus, mi Jesu, pro animabus effusus, anchoram spei meæ jacit misericors cor tuum, pretiosissima Dei Mater, audeo igitur postulare, quod me spero obtenturum.

5. Accede ad primam Sanctissimæ Trinitatis personam, profundeq; inclinatus supplica illi, sic: Pater æterne, Pater misericordiarum & Deus consolationis, qui sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum ei dares, qui nosti electos tuos, quos elegisti ante constitutionem mundi, qui misereris cujus vis misereri, & quem vis, indu-

duras.

5. Quod si prolapsus sis miser, fac mox resurgas, & cum Deo per actum Divini Amoris detestationem peccati, idoneamque expiationem redeas in gratiam.

6. Imo vero venialem culpam sciens volensque aut saltem ex proposito ac certo animi decreto ne admitte, ne quidem hominis amicissimi gratia. Amicitiæ humanæ omnes prius pessum eant, quam ut Dei amor tantillum periclitetur.

7. Apprecaberis omnibus, & à DEO obtinere contendens ipsius cognitionem, amorem, cultum, conaberisque quoad in te erit efficere, ut eum omnes agnoscant, ament, colant.

8. Quotidie celebrato, tum ut præsenti arctius conjungi, tum ut cum eodem suavius familiariusque conversari, imo deliciari possis.

9. In rebus quibuscunque creatis Deum qui etiam in minimis maximus est, intuebere, in illis ipsum, & in ipso illas amabis. Solem vides? Deus est, exclamabis, qui pulcherrimam, jucundissimamque illam lucem diffundit. Rosæ tenerum odorem miraris? Deus dices, amabilior est. Apponuntur cibi. DEUS inquies, ista mihi apparat, idemque age in cæteris.

§. VII.

Actus charitatis in Proximum.

1. NUllo signo ostendere se alios non magni æstimare, aut non amare, vel murmurando vel obloquendo, vel absenti detrahendo, vel de aliquo apud alios dicendo: ille hoc vel illud dixit de te, præsertim si res sit, quæ possit alterum contristare.

2. Non pungere verbis, nec contendere, nec contradicere, nec reprehendere alios, nisi id ex peculiari obligatione teneatur.

3. In omnibus sinceræ dilectionis obsequia exhibere, declinando omnem singularis amicitiæ suspicionem,

omnes promiſcuè benignè appellando, decenter reverendo, amanter pro ſuo ſtatu re ipſa juvando, vel ſi id nequeat, ſuavitate, & dulcedine verborum, defectum operis ſupplendo.

4. Reprimere omnem externam animi averſionem, amaritudinem, quacunque ex cauſa exſurgentem, actus charitatis oppoſitos exercendo.

5. Neminem temerè judicare, ſed excuſare alienos defectus, libenter aliorum onera portare, omnia in meliorem partem interpraetari, omnes intuendo tanquam SS. Trinitatis imagines, filios adoptivos æterni Patris, fratres & cohæredes Chriſti, ſponſas & templa Spiritus S.

6. Omnibus majora Dei dona naturæ, gratiæ, & gloriæ favere, & optare ex intimo cordis affectu, tanquam ſibi ipſi.

7. Si quos florentes & beatos videris, in iis Deum omnis Boni fontem, contra ſi quos laceros protritosq; aſpexeris, in iis Chriſtum crucifixum intuebere, ea cogitatione in utriusque ſortis homines amoris igniculos concipies, & forâs ejaculabere. Amicos, inimicos, hic nihil diſtingue, charitas æque illos æque hos amplectitur. Illos quidem tenerius, hos vero generoſius.

8. Contendes votis, precibus, omni opera & ſtudio, ut omnibus ea naturæ, fortunarum, gratiæ præſertim Divinæ præſidia ſuppetant, quibus vere beati eſſe poſſint. His bonis ſi quos affluere benigniore rerum ſucceſſu uti proſpexeris, geſtientis intus animi ſigna, frontis, oris, totiusque corporis hilaritudine expromes, ſi quos iis carere, ſi impendente aut præſente etiam malo periclitari, ægritudinem animo, vultumque contrahes, calamitatem ſi qua poſſis, amolieris.

9. Aliena ſenſa, facta, dicta, in meliorem partem interpraetabere, aſpernabere neminem, nihil de fama cujusquam detrahes, nullo convitio probrove laceſſes quem-

quempiam, honorem cuique deferes ſuum, ſi quis alteri obtrectet, oblatret, obmordeat, ibis contra ſi fas eſt, & quo poteris clypeo, laborantem tuebere.

10. Quos poteris, in Divino cultu & timore promovebis, & ad bona opera inſtigabis, Sacramentorum præſertim frequentem uſum, verbis quidem id ages, ſed exemplis malim, illa movent, hæc trahunt.

11. Nulli opem imploratam denega, mutuo commodatoque des ſi rogaris, imo ne rogatus quidem officia & obſequia ſponte defer.

12. Inter amicos amicitiæ modum ſerva, imo adſtringe, ſi ſolutus eſt, redintegrato. Fac in gratiam redeant qui diſſident, lites, rixas, charitatis fædiſſimam peſtem inſectare, imò jugula, perime.

§. VIII.

Actus zeli ſalutis animarum.

1. Statas preces pro Eccleſia, nominatim pro Magiſtratibus, tum ſacris tum politicis, itemque pro religioſis Ordinibus, tibi indicito, plurimum intereſt boni publici, perſonis quæ ad multos ſpectant, conſuluiſſe.

2. Angelos hominum improborum, hæreticorum, infidelium obteſtare, ſuos ut juvent, hi enim in iſtos multum poſſunt.

3. Libris editis, erectis ſeminariis, item Catechiſmis, exhortationibus, concionibus &c. ſeu per te, ſeu per alios, quibus artibus & opibus vales, bonum animarum promove.

4. Si quis mortale crimen admittit, vel jam admiſit, omnem lapidem move, ut impedias, aut tollas, ita cura ac ſi ipſemet vulnus accepiſſes.

5. Animas Purgatoriis ignibus cruciatas ſolare, ſubleva Oratione, Jejunio & Eleemoſyna.

6. Domeſticorum curam ſingularem habe, hi ad te propius pertinent, ſi in ſtatu es matrimoniali qui legis, liberos à teneris erudi, nutricem probam, bonos Magiſtros advoca. Hic res magna agitur, ſed filiarum præſertim pudicitiam perdius & pernox excubitor, obſerva & ſerva, nihil eo theſauro expoſitum magis.

7. Familiam piè & religioſe ſic inſtitues, manè à ſingulis privatim, vel etiam communi oretur. Hi quibus vacant rei ſacræ interſunto, veſperi conſcientiam excutiant, ſingulis minimum menſibus peccata rite expiantor, ſacræ menſæ accumbunto.

8. Hæc familiæ lex eſto. Quisquis has ædes habitat, ſobrietatem, caſtitatem, juſtitiam, religionem, probitatem denique omnem colito. Ne mentito, ne pejerato, ne blaſphemato, ne aliis detrahito, ne poculis ac luſibus intendito. Ne verbis factsive cujusquam oculos, aures, animum lædito. Qui ſecus faxint, abſcedunto.

§. IX.

Actus Humilitatis.

1. HOmo vere humilis, nullo modo vult humilis, ſed vilis videri, ſecundum S. Bern. ſerm. 16. in Cant. Multi ſe humiles putant, ſed hoc ipſo quod de ſe talia credant, humiles non ſunt. Virtutes ſuas ſcire & numerare, humilitatem non ſapit.

2. Humilitas non majori tantum, ſed æquali, ſed & inferiori novit cedere, omnibus ſe ſubjicit, præferre ſe vel uni piaculum grande credit.

3. Humilitatis eſt, omnem ignominiam, contemptum, injuriam, ſuavi ac jucunda perpeſſione poſſe digerere: imo vero, hunc talem cibum etiam ultro appetere, tanquam ſibi convenientiſſimum. Facile cuivis eſt dicere: Peccator ſum, ſed quam id verè ſentias, ignominia probabit.

4. Humi-

4. Humilitatis eſt, omnem impatientiam & iracundiam crebris victoriis expugnare. Quis unquam vidit hominem vere humilem, qui ignes & flammas vomeret. Nemini talis, niſi ſibi ipſi iraſcitur.

5. Homo humilis, diſcipulum ſe ſemper gerit, & jugiter cupit addiſcere, etiam Balaam aſinam habeat magiſtrum, ſuperbus contra docere omnes, à nemine diſcere vult. Humilitas docilis eſt, nulli monitori aſpera, nec ullum ſpernit præceptorem, niſi eum qui docet vitia.

6. Humilitas illud Domini præceptum: Vade & recumbe in noviſſimo loco tenaciſſimè retinet, & fideliſſimè obſervat. Ita quantum in ſe eſt, infimum quærit locum, infimos ſodales, infimum officium, infimi pretii veſtem & menſam. Humilis ſibi ſæpius inſuſurrat: Nec ſale quidem quo tua tibi offa conditur, dignus es.

7. Aſſiduum Humilitatis canticum eſt: Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.

8. Humilis laudes non tantum non ambit, ſed ultro delatas fugit.

9. Humilitatis maximus hoſtis eſt inanis aura ſeu vana gloria. Humilis gloriam contemnit exhibitam, nec appetit exhibendam. Nullam contumeliam timet, quia nullam gloriam amat. Vix unquam audies dicentem humilem. Ego hoc feci, ego iſtud elaboravi, me auctore, me ſuaſore hoc negotium confectum eſt. Humilis quidquid præclarè ac laudabiliter facit, totum DEO adſcribit. Ipſe ſuas virtutes neſcit.

10. Humilis judicat neminem, neminem ſpernit, neminem condemnat, niſi ſe ipſum quem omnibus inferiorem judicat.

11. Vera humilitas eas actiones obviis ulnis amplectitur, quæ multum laboris, & minimum habent honoris.

 12. Hu-

12. Humilis perpetuus ſui ipſius accuſator eſt, & grandem ſemper catalogum imperfectionum ſuarum in oculis habet.

Ex his ſequentes poſſunt practici actus elici.

1. Nihil loqui quod redundet in propriam laudem, nec quidquam facere ob reſpectus humanos, aut ob vanam gloriam.

2. Se ipſum interius vilem reputare, ac proinde omnes vanæ complacentiæ motus ſtatim reprimere, memoriâ ſuæ vilitatis.

3. Libenter ferre ab aliis ſe vilem haberi, viliter tractari, rideri, vexari, deſpici, contemni, argui, moneri, absque ulla ſui excuſatione, aliis etiam poſtponi.

4. Agnoſcere omnes ſe ſuperiores, ſe omnium abjectiſſimum, viliſſimum, peſſimum reputare, ſpectatis iis quæ ex ſe habet.

5. Occaſiones omnes humilitatis exercendæ, contemptusque ſui tolerandi quærere, oblatasque complecti, idque primum patienter cum æquanimitate, poſtmodum libenter cum facilitate, demum alacriter cum gaudio.

6. Si quando laudaris, aut ab aliis æſtimaris, in Deum omnis Boni fontem unde in te ſi quidpiam eſt, profluxit, totum refunde.

7. Si vel ſemel duntaxat per omnem vitam lethale peccatum animo deſignaſti, aut re ipſa perpetraſti, inferorum pœnas es promeritus. Cum igitur quidpiam aut acerbitatis, aut injuriæ, aut probri, ſive à fortuna maligniore, ſive ab inimicis patiare, tecum iſtud repudiato. Pridem æternos ignium inferorum cruciatus promerui, & quid exiguum hoc quod patior ad illas pœnas?

8. Veſtium ac menſarum luxus, familiæ & ſuppellectilis ſplendorem, ac pompam fuge.

9. Si quando Spiritus ſuperbiæ obluctentur tibi, Sacrum

crum iſtud acroama repone putredini, dixi; Pater meus es &c. Quid turges ſaccus ſtercorum, terra, cinis.

10. Te tuaque bona opera latere, & neſciri ama.

11. Officia vilia & abjecta aucupare, & in iis te occupa.

12. Pronis auribus monentem & corrigentem audi, neque facile excuſationem obtrude.

13. Mortem, Judicium, inferos ſæpe ſæpius cogita, hæ depictæ in animo tabulæ, te tibi repræſentent.

14. Ea quæ ad tui commendationem faciunt, omnia ſile. Cave ne quid de te, rebusque tuis vendites, jactites, oſtentes naturæ dotes, virtutem, eruditionem, avorum ceras; & fumoſas imagines. Quid habes quod non accepiſti? Si autem acceperis quid quaſi de tuo gloriaris homo vaniſſime, obline te tuo luto. Terra es & in terram ibis, peccatum ſolum opus eſt tuum, hic habes unde pudore afficiaris, non unde efferaris.

15. Oculos ſubmiſſos tene, terram cum es ſolus, interdum oſculare, indignus es qui calces.

16. Neminem torvè contuere, aut morde verbulo, aut geſtu quovis offende. Eſt manſuetudo humilitatis, aut partus aut ſoror.

17. Aliorum opinioni facile credito, locum cæteris honoratiorem commodioremque ſponte deferto, cum tenuioribus pauperibus lubens verſator, carceres, xenodochia, noſocomia, frequens adito.

18. Porro non tantum te ipſum omnium ultimum ac miſerrimum reputato, ſed exterius pro tali te haberi ſtude, & quando eo loco es, gaude.

19. Deniq; ſi quando inſolentius animum inflari ſentias, tumorem hac cogitatione deponito. Quid fui Domine, quid ſum, quid ero? Fui nihil, nihil ſum adhuc, & forte ero pejus nihilo. Fui conceptus in concepto Originali, ſum plenus peccato actuali, & quis ſcit, num ero

condemnandus pœna gehennali, ſic fui ut damnari non poſſim, ſic ſum ut ſalvari ægre poſſim, ſic ero ut æternum vel culpa mea damner, vel gratia tua ſalver. Quid fuerim, ſcio nimirum peſſimus. Quid ſim, neſcio. Quid ero æque ignoro. Tu quod fui, Domine ignoſce. Quod ſum, corrige, quod ero, dirige, daque ut ſemper hæc ſapiam & de me humilimè ſentiam.

§. X.

Actus Patientiæ.

1. Primaria patientiæ actio eſt Tolerantia injuriarum, cum non ſolum reus, ſed & innocens, cum Job de ſe affirmat c. 17. Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus.

2. Veræ patientiæ eſt non murmurare, non conqueri, non excuſare ſe, non homines, non alias res creatas culpare, ærumnas ſuas non ut ſua mendici vulnera proponere, ſed eas ſilentio velare, ultionem nullam cogitare, ſed omnia tam præterita quam præſentia & futura Deo, ejusque ſanctiſſimæ voluntati pleniſſimè transſcribere. Faciat Deus, quod bonum eſt in oculis ſuis.

3. Vere patiens injurias non ſolum non vindicat in inimico, ſed inimicum etiam amat, pro inimico orat, imo etiam beneficia in inimicum collocat. Atque ut hoc ritè faciat, occaſiones id faciendi ſedulo captat.

4. Verè patiens (quod probiſſimè obſervandum) in omnibus qui angunt, turbant, urunt, in quibuscunque demum adverſis, ſe quamprimum ad Chriſtum crucifixum, velut præſentem ſibi convertit, eumque his talibus verbis uno die alloquitur: Domine Jeſu, da mihi veram patientiam, ſubinde ſolis duabus voculis: Domine Jeſu, affectum ſuum applicat. Hæc alloquia roborant, hi affectus calefaciunt, hæ ad Chriſtum converſiones ſolantur & erigunt.

5. Verè patiens proponit ſibi diverſa eorum exempla, qui ſingulariter excelluerunt hac virtute, his inſpectis ita ſecum ratiocinatur. Tu non poteris quod iſti & iſtæ.

6. Verè patiens quotidie primo manè, Deo ſe quam integerrimè offert ad omnia toleranda, undecunque demum ea proveniant, ſimul ingens in animo patiendi deſiderium excitat, & una firmiſſimè apud ſe ſtatuit, adverſa omnia, velut è manu Dei ſuſcipere. Hic idem veſperi Deo gratias agit, non tantum ob beneficia, & ob res ſecundas, verum etiam ob adverſas & triſtes, quas itidem beneficii loco numerat.

7. Veræ patientiæ eſt, non tantum manus à verberibus, ſed etiam linguam à verbis impatientiam olentibus, imo & oculos à torvo aſpectu, imo & cor atque hoc maximè à furioſis cogitationibus continere.

8. Verè patiens non fugit conſortium eorum, quos ſibi ſentit adverſarios, imò quærit, ut ſemper præſtò ſint, à quibus exerceatur ad patientiam.

Ex his ſequentes practici eliciantur actus.

1. Non dare ullum externum impatientiæ ſignum verbo, nutu, motuque corporis.

2. Reprimere internā indignationem, triſtitiā & cupiditatem vindictæ, actu oppoſito patientiæ & charitatis.

3. Accipere omnes occaſiones patientiæ à quocunque offerantur, tanquam de manu Dei, omnia ferendo patienter, promptè, alacriter, eo quod hæc ſit ſancta ejus voluntas.

4. Temporum injurias, frigus, æſtum, pluvias, naturæ incomōda, ſitim, famem, perfer non gravatè, ſi vel unum duntaxat peccatum veniale admiſeris, millies iſtis graviora mala es promeritus, id ſi cogitas, feres priora levius.

5. Morbos etiam quantumvis acerbos ac diuturnos, tanquam dona de Numinis manu accipe, exoſculator, beneficium enim quod maleficium arbitraris.

6. Si quid præterea calumniarum aut injuriarum in te ab aliis congeſtum conjectumque fuerit, obdura, & non ſolum forti animo perfer, verùm & conſtanti.

7. In iſtis omnibus, quæcunque cauſa extiterint malorum, ſile, vel queri minimum, impatientis eſt animi. Cave ne naturam, cœlum, elementa, homines ipſos accuſes. Nemo erit tibi nocentior, quàm ſi tu te non feras.

8. Si nihil interim conſolationum ne ſpiritualium quidem tibi affundi ſentis. Si purum putum fel propinatur ex orbe. Ita loquere: neque fas eſt, neque bonum accipere panem filiorum & dare canibus, micas quidem cadentes catuli edunt, at ego non ita vixi, ut vel micam merear. Hic vide, ne in iſtis moleſtiis ex rebus creatis conſolatiunculam putidius emendices.

9. Continget non raro, ut cum maximè pius ac probus eſſe velis, plurimæ & plurimi obluctentur, etiam obganniant & allatrent, ne tu propterea vel latum unguem ab officio, inſtitutove deflecte.

10. Injurias ne comemora aliis, imo ipſe obliviſcere.

11. Si amici, ſi parentes ipſi deſtituant, dic: Nudus nudum Jeſum ſequar, dicamque poſthac confidentius cum S. Franciſco. Pater qui es in cœlis. Et cum Davide; Pater & Mater dereliquerunt me &c.

12. In fidei ac religionis cauſa, ſi te aliquid pati tempora & res cogant, ſalta tu, & tripudia, & carceres, & mortem ipſam provoca, gaude in quã, ride, non dico, ne time.

Si longo & gravi morbo afflictus motu impatientiæ agiteris, animum titubantem ita ſuſtenta, ſuſtine anime mi, qui te flagellat, Pater eſt amantiſſimus, qui urit & ſecat, Medicus eſt ſapientiſſimus, jam melius & melius quam poſtea, qui hic urit, parcit, ignis hic vitia excoquit & ſplendorem auget. Ad hæc cogita crucem, in cruce Jeſum, ſub cruce tot Martyres, ad crucem Mariam.

Si compateris, conregnabis.

PARS

PARS III.

UTi primam partem *Deo Patri*, ſecundam *Verbo æterno*, ſic hanc tertiam *Spiritui Sancto* adſcribimus. Continet in ſe Cœnam, examen conſcientiæ, modum eundi cubitum, modum ſe & alios diſponendi ad beatam mortem.

CAPUT I.

Modus viſitandi Venerabile veſperi.

SIcut primam & ſecundam partem incepimus à Viſitatione venerabilis Sacramenti, ſic & ultimam hanc partem ab eadem incipiamus, deprecando Divinam Majeſtatem, ſi quid ab ultima viſitatione deliquimus, eidemque gratias agendo pro beneficiis totius vitæ, vel maximè hujus diei, nec non ſe commendando protectioni Divinæ pro futura nocte.

§. I.

Oblatio Greſſuum.

MOdus offerendi greſſus ad Venerabile idem eſt, qui in prima & ſecunda parte, ſi ſolum mutes unionem greſſuum; quæ ſit in unione greſſuum beatiſſimæ Virginis & Matris doloroſæ, ad locum paſſionis dilectiſſimi Filii ſui.

§. II.

Ipſum Iter.

COgita quantæ afflictionis & doloris fuerunt greſſus hi Sanctiſſimæ Virginis, Matris doloroſiſſimæ, compatiendo eidem hoc iter abſolve, & ad conſolationem ejus in Spiritu collige eundo guttas ſanguinis patientis & vulnerati dilectiſſimi Filii.

§. III.

Ipsa visitatio in loco.

CUm templum ingredieris, cumprimis D. Tutelarem tuum & Sanctos, quorum penes te habes reliquias, supplex obsecrabis, ut Dominum suum tuumque, omni ea nobiliori ratione, quâ ipsi norunt, & tu miser ignoras, tuo salutent nomine, quod etiam ipsum ab Angelis Custodibus cæterorum, tum in templo præsentium impetrare contendes, imò ab Angelis omnium rerum & hominum in toto quidem universo, sed potissimum in eo, in quo degis loco tutelaribus, ut idem, vel in eodem, vel in vicinioribus sibi facere dignentur templis, mendicabis. Quod si te contingat per forum, vel alia loca hominibus referta ad templum ire, Angelos obviorum, tanquam Patronos & Mediatores tuos ad communem Dominum venerandum invitabis. Demum ipse ultimus mancipiorum illius, humilem & amorosam cordis reverentiam exhibebis, cordialiter desiderans eum magis vel hoc actu honorare, quam universi Dæmones in suis peccatoribus inhonorare desiderent: eo etiam si possibile esset honore, quo dignus est, & dic: Ave Clementissime Jesu, Dominus meus & Deus meus, benedic quæso inopi & calamitoso exuli tuo, recipe me in amoris suavissimos amplexus, adoro te, credo & spero in te, & sicut ab æterno tu dilexisti me, sic cupio vicissim amare & glorificare te Deus meus, spes mea, amor meus & omnia. Magnificate Dominum mecum omnes SS. Patroni mei, & Electi Dei, ut exaltemus nomen ejus in idipsum. Te Deum laudamus &c.

Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & Divinitatem, & Sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, Apoc. 5.

Laudetur sanctissimum Sacramentum.

TOt laudibus quot in cœlo stellæ, in igne scintillæ, in aëre atomi, in mari guttæ, in terra pulveres, quot Vere flores, æstate grana, autumno folia, hyeme nives & grandines, quot corporeæ in universo creaturæ.

Quia dignus es Domine universorum. 2.Mach.14. Qui sub corporeis vinique speciebus latens verè tu es Deus absconditus, Isa.45.

Laudetur sanctissimum Sacramentum.

TOt laudibus quot ullo opere exhiberi, quot ore proferri, quot corde omnium hominum excogitari unquam potuere vel possunt. Quia dignus es tu Domine Pater noster. Isa.43. Qui nos cibas & potas quotidie, quo semel redempti sumus corpore & pretioso sanguine. Quasi Agni immaculati. 1.Pet.

Laudetur sanctissimum Sacramentum.

TOt laudibus, quot omnes Angeli, quot Sanctissima Trinitas sua potentia depromere, sapientia concipere, bonitate optare potest, omni modo, omni loco, omni tempore, in æternum & ultra. Quia dignus es, Domine Deus meus. Is.25. Qui mihi donas non tantum Humanitatem, verum etiam Divinitatem tuam, Dominus meus & Deus meus, Joan.20. Laudabilis & gloriosus, & superexaltatus in sæcula, Dan.3.

Adjice coronulas parvas 9. Methodo manè tradita.

1. Deo gratias.
2. Omnia Deo.
3. Dignare Domine nocte ista sine peccato nos custodire.
4. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.
5. Deus propitius esto mihi peccatori.
6. Converte nos Deus Salutaris noster, & averte iram tuam à nobis.
7. Amo te Deum meum super omnia.

8.Lau-

8. Laudetur sanctissimum Sacramentum.
9. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Has coronulas absolve, præmissa tamen oblatione sicut manè, præter primam quidem coronulam dicam pro beneficiis futuris ex virtute gratitudinis. Benedic item Dei Filium per mysteria Rosarii gloriosa. Et Sanctissimam Trinitatem ad 4. partes mundi, sicut manè in honorem Spiritus S. §. IV.

Recessus à Venerabili.

IN manus tuas, amabilissime Jesu, simili affectu quo se tibi B. Mater tua, & tu æterno Patri te moriens commendasti, omnesq; mihi commendatos, nunc & in hora mortis commendo, fac ut semper, & in omnibus, in tempore & æternitate tuam sanctissimam voluntatē approbem, amplectar & exequar, secundum te vivam imitatione vitæ, in te moriar participatione gratiæ, per te coroner, communicatione gloriæ, ad maximam tuam æternamque gloriam, per lacrymas, sudorem & sanguinem.

Vel: O Jesu, Deus meus, spes mea, amor meus & omnia, monstra te nunc & in hora mortis esse meum protectione Advocatum, dignatione fratrem, commiseratione Patrem, dilectione sponsum, salutatione Jesum, fac ut vivens & moriens semper, & in omnibus tuum sanctissimum beneplacitum (uti tu in vita & morte, Patris) brachiis dilectionis & resignationis arctissimè in æternum constringam, & omnes mecum per lachrymas, sudorem & sanguinem tuum, per merita tua, B. Virginis & omnium Sanctorum. O Jesu, dulcis amor meus, sim totus tuus & tu meus, nunc & in hora mortis, æternum, & omne gaudium meum sit tuum beneplacitum.

Dignare Domine Jesu, &c. sanctissima Virgo Maria, vosque omnes Sancti &c. &c. omnia ut manè. Accepta benedictione perge domum, & gressus ut manè offer, verum in unione gressuum, quos dulcissima Virgo absolvit, redeundo domum à sepulchro dilectiss. Filii sui.

CAPUT

CAPUT II.

Cœna.

1. Quando ad Cœnam accedis, intentio renovetur brevissimè, e.g. sic: Propter te Deus, vel ex amore tui, Ad majorem Dei gloriam.

2. Benedictio mensæ cum omni modestia & devotione fiat, quod fiet, si reverentia præsentis Dei, ad quem fit allocutio, & intimus erga Deum affectus habeatur.

3. In ipso consessu ad mensam elevetur mens per aliquot actus ejaculatorios, e.g. repetendo hunc actum; Amo te, Deus, super omnia, quia summum Bonum es.

4. Ante primum ferculum elicias desiderium cibi illius, quo Christus Dominus sustentabatur, nempe desiderium implendi voluntatem Dei, sic cogitando; Dignissime Deus, fiat voluntas tua in me, & de me, & in omni creatura.

5. Ante secundum ferculum elicias desiderium cibi supersubstantialis Angelici, nempe sanctissimi Sacramenti, iteresque mente sola istum actum: cupio sumere te, sed non sum dignus, cupio millies, cupio infinities, & absumi à te.

6. Ante tertium ferculum excitetur desiderium videndi Deum hoc vel simili interim actu. O quando tandem manducabo panem in Regno Dei, quando satiabor in gloria tua mi Deus. Si plura fuerint fercula, aut alii actus similes eliciantur, aut idem desideriorum ordo iteretur.

CAPUT III.

Examen Conscientiæ.

NOn es velut Onager in sylvis. Homo es, sub potestate constitutus, habes Dominum cujus legib. vivendũ tibi, & omnia quæ agis agenda, omnia quæ habes dispensanda, ut lucrũ ex negotiatione tua de pecunia sua veniat Domino. Jã igitur redde rationẽ villicationis tuæ,

jam

jam igitur ſiſte te Domino reus 10000. talentorum. Furacibus ſervis, ne ex bonis Domini ad ſua compendia intervertant, remedium eſt quotidiana vel crebrior de ſingulis commisſis exacta ratio. Num & non tu hoc ingenio ſervili es? inhians ſemper bonis Domini, & rapto vívere gaudens. Fit à Deo, à Religionibus, fac & tu à te ipſo remedium furacitati tuæ. Redde rationem conſcientiæ tuæ; quia ſervus es, rationem redde, quia furti reus, rapta reſtitue, quia injuſtus negotiator: deduc expenſæ & perceptæ lucrique rationes. Quia tuus non es, ei omnia conſigna, cujus tu cum omnibus tuis es. Quia omnia ab alio habes, ei omnia redde, à quo omnia tanquam mutuo data, vel ad ſervandum depoſita habes. Sic à te rationem exige, ſic te judica de omnibus, ſic cenſura ut noveris ac memineris, & ea quæ judicaveris, & ipſum judicium tuum, cenſuramque tuam præſentem, adhuc judicium aliud ſubituram. Qui autem judicabit te ac Judicium tuum Dominus eſt.

§. I.

Modus abſolvendi 5. puncta veſpertini Examinis.

IN primo puncto imagineris te eſſe illum iniquitatis villicũ, à quo Dominus ſuus, qui ad ſublevandam pauperiem ejus, per dirisſima tormenta, in gemmas (quot enim ſanctisſimi guttæ in pasſione ſanguinis decurrêre, tot pretioſisſimi in foro æternitatis uniones fuere) colliquari voluit, rationẽ villicationis exigat. Contuens igitur ipſum cruci ignominioſæ ſuffixum, totum vulnus unicum, totum cribrum ſalvificum, rorem depluentem, præſertim verò terebratas manꝯ ejus, cum pudore aſpectans. Revoca quæ talenta, quas ad negotiandum mnas ab hisce manibus acceperis, incipiensq; à Creatione, Redemptione, & Sanctificatione, dotibus naturalib. donis & gratiis ſupernaturalibꝯ, omnia cum proni cordis gratiarũ actione recole. Si Religioſus, præſertim verò doni

S. Vo-

duras. O Pater ſancte! ex Amore quo te ſuper omnia amo & amari ab omni intellectuali creatura volo, ſupplico tibi & peto, per viſcera bonitatis tuæ, da mihi aliquam animam, ut eam vel aberrantem, vel ductore carentem, ad te tuumque ſervitium, honorem, & amorem deducam. Ne quæſo in hoc negotio ſint ei impedimento peccata mea ô Deus meus. In recognitionem autem obtenti, quod nunc obtinendum ſpero beneficii, propono me dicturum N. N facturum N N. hic proponendæ ſunt orationes & mortificationes aliquæ.

6. Accede ad ſecundam Sanctiſſimæ Trinitatis perſonam, & ab ea idem donum expete, ſic: Verbum incarnatum Fili Dei, qui è ſinu Patris in terras deſcendiſti, amoreque animarum noſtrarum naſci, pati, mori dignatus es, cujus cibus unicus fuit, eſtque ſalus animarum noſtrarum, qui pro animabus noſtris animam tuam poſuiſti, qui excruciatus & exſanguis cum proteſtatione ſitis animarum ſalutisq; earum expiraſti, per ſanguinem tuum pretioſum, & per omnem Redemptionis Æconomiam, da mihi aliquam animam &c. ut ſup.

7. Accede ad tertiam Sanctiſſimæ Trinitatis perſonam, & ab ea idem donum expete, ſic; Spiritus S. Amor Patris & Filii, qui oras pro nobis: id eſt, orare facis gemitibus inenarrabilibus, quæ ad ſalutem animarum noſtrarum Incarnationem Verbi ſpecialiter operatus es, ſine quo nec nomen Jeſu digne & ſalutariter proferre quisquam poteſt, in cujus manu ſunt corda hominum, qui ſpiras ubi vis. Per illum ignitum amorem, quo corda Apoſtolorum impleviſti & inflammaſti, ut per illas totum orbem incenderes, peto à te Deo meo, non propter me, ſed propter honorem & amorem tui da mihi aliquam animam, ut ſup.

8. Accede ad beatiſſimam Virginem, & pro eodem dono tibi impetrando efficacem ejus interceſſionem

pete, sic: Beatiss. Dei Mater, cujus nomen ipsum dulcoris & amoris mare, scio te esse Thesaurariam Sanctissimæ Trinitatis, & simul misericordiæ ac miserorum Matrem esse, perq; tuas nonnisi manus, omnia nobis Dei dona conferri. Per hunc igitur affectum, quo sub cruce stans omnes animas nostras in Joanne sub protectionem tuam accepisti, peto à te, impetra mihi aliquam animam &c. ut sup.

9. Accede ad S. Angelum Custodem, tum ejus animæ pro qua, vel earum animarum pro quibus petis, quam ad tuum, itemque ad illum Sanctum, cujus illa anima, pro qua petis, nomen gerit, quam ad tuum Sanctum, cujus nomen geris. Accede quoque ad S. Ignatium, Xaverium, Philippum Nerium, Antonium de Padua, &c. & alios Sanctos, animarum zelatores, peteque ab eis, ut tibi impetrent aliquam animam cura tua & labore qualicunque salvandam.

10. Finem impone illa resolutione. Veruntamen non sicut ego volo sed sicut tu vis, & quantum vis, & quando vis. Tibi honor & gloria ab omni creatura, mihi autem confusio faciei.

§. I.

Oratio S. Francisci Xaverii pro animabus convertendis quæ habetur apud Lucenam lib. 5. cap. 5.

MEmento Clementissime rerum omnium Conditor Deus animas infidelium, hæreticorum & peccatorum à te solo creatas quas ad imaginem & similitudinem tuam fecisti? Ecce Domine in opprobrium tuum his ipsis quotidie implentur inferni. Memento pretiosi sanguinis & amaræ mortis quam pro iis ultro suscepit Jesus Christus Unigenitus tuus. Recordare lachrymarum, suspiriorum & vulnerum ejus. Ne permittas ultra Domine eundem dilectum Filium tuum à paganis & pec-

peccatoribus denuo crucifigi,&ostentui haberi,sed precibus Electorum tuorum placatus,fac ut fideles,hæretici & peccatores omnes te agnoſcant, diligant,æternumq; glorificent, & quem miſiſti JesumChriſtum Dominum noſtrum pro quorum omnium ſalute ego me totum meaque omnia Divinæ Majeſtati tuæ offero &devoveo, confiteantur tibi populi Deus,confiteantur tibi populi omnes. Omnis terra adoret te,& pſallat tibi.

Si Deus tibi hanc conceſſit gratiam,& putas te lucratum animam, mox eandem trade beatiſſ. Virgini educandam,pete,ut illam ſervet,educet,tractet & retractet.

§. II.

Actus Miſſionariorum euntium ad obſequium animarum, vel novi Parochi ſuſcipientis beneficium.

FAc me Miſſionarium tuum Pater,Fili,Spiritus S. Sanctiſſima Trinitas,unus Deus. Benedicite mihi pedes, manus,cor Jeſu,ut in obſequio hoc gratia Dei in me vacua non ſit, tuus ſum ego Virgo Mater ex utero matris meæ ,benedicant mihi beata viſcera tua , & beata ubera quæ lactaverunt Chriſtum Dominum,ut Filio tuo animas hominum,quibus ſervio,lucrifaciam. Præcede me S. Angele Cuſtos.

Sancte,cujus nomen fero, ut proficuus ſit hic noſtræ humilitatis ingreſſus.

Sancti,qui vos huic modo animas lucrandi aliquando impendiſtis , juvate me , inſtruite me.

Sancti Patroni, quos mihi elegi in obſequio animarum (poſſunt autem eſſe S.Franciſcus Xaverius, S. Ignatius Lojola, S. Philippus Nerius, S. Carolus Borromæus &c.) harum, nec me veſtris deſtituatis auxiliis.

Sancti Angeli Cuſtodes & Patroni horum, quibus in rebus animæ ſervio , cooperemini mihi, impetrate mihi, ut ego cooperer vobis.

In hoc meo ad obsequium animarum ingressu, benedic Domine Jesu, crucifixa manu tua mihi, benedic animabus quibus servio.

Da Domine in ordine ad me sanctè, in ordine ad illos proficuè, obsequium hoc meum obire, & ut tibi dignè & laudabiliter serviam.

CAPUT XIV.

Modus itinerandi R. P. Caspari Druzbicki.

§. I.

Ante susceptum iter.

1. FAcienda intentio ex motivis vel obedientiæ, vel charitatis, vel conformando te Divinæ Providentiæ, quæ hoc iter ordinavit. 2. Offerendi erunt singuli passus Deo, tanquam primo motori corporis: imo & passus equorum, gratiasque agas Deo pro concursu, quo Deus concurret ad cursum equorum in eo itinere. 3. Offerendæ erunt singulæ attractiones aëris recentis, singulæ superficierum mutationes, in hunc vel similem modum. Offero tibi mi Deus, tot actus fidei, spei, charitatis, quot in hoc itinere intercedent, superficierum corporis mei permutationes, & sicut sum in continua loci mutatione, ita vellem in continua reverentia & veneratione itinerantis Dei in carne manere, eumque in me exprimere. 4. Commendabis te sanctis Angelis custodibus eorum, cum quibus te iter facere contigerit. 5. Pro duce itineris præcipuè eliges tibi Divinam Providentiam, cui te commendabis, ut tui curam velit assumere, ratificando ea omnia, quæ illa de te in hoc itinere disposuit, complacendo tibi in illis omnibus, approbando, & gratias agendo anticipatè pro omnibus, quæ illa ordinavit. 6. Recommendabis in abitu tuo sic: Deus infinite ac imense qui nec loca mutas, nec tempora, nec consi-

consilia nec voluntatem, te hic relinquo, atq; committo. Te quoq; dulciss. Mater, cum omnibꝰ Sanctis Angelisq; hujus loci Patronis, rogo humiliter, custodite, amate, protegite hunc locum, ut in eo sit benedictio Patris, & Filii, & Spiritus S. assidua, utque vos cum gaudio & consolatione hic personas istas commorantes protegatis, ad gloriam Sanctissimæ Trinitatis, quam ego vobiscum benedico, & magnifico in æternum.

§. II.

In ipso Itinere.

1. ITinerarium quodpiam recitetur. 2. Litaniæ Sanctorum. 3. Sis in continua reverentia Domini Jesu itinerantis per triennium suæ sanctissimæ prædicationis, hancque materiam meditationis assumes. 4. Cum cœli ab Angelis juxta probabiliorem opinionem moveantur, illorumque opera singulæ in Esse suo species conserventur, nec ulla res tibi in itinere occurrat, ex qua mentem ad Deum non possis attollere, exaltabis Dei dignationem, qui dignatus est etiam singulis animalium speciebus conservandis, assignare, tutelares Angelos, sic sublato in cœlum obtutu, adorabis adoratione duliæ illos cœlestes Spiritus, illasque intelligentias cœlorum motrices, commendans illis necessitates colonorum, per quorum agros transibis, ne grandines, tonitrua, inundationes tempestatis illis noceant, ut maleficia dissipent, Cacodæmonis obsistant conatibus, eamque inducant aëris primarumque qualitatum temperiem, ut fertiles evadant agri, omni sterilitate depulsa. 5. Dejecto in terram vultu, & circumacto viso quocunque animali, commenda te Angelo Custodi illius speciei, petens individua illius speciei conservari, ad eum finem, ad quem à Creatore sunt condita. 6. Pagorum, Civitatum, Templorum, quæ videris, sanctis Angelis Custodibus facias reverentiam, & illorum opem ad prosequendum iter

implorabis. 7. Dum tranſibis oppida & pagos, gratias agas Deo pro beneficiis quæ præſtitit incolis illius loci. Similiter gratias agas nomine eorum, qui facultates in iis locis per quæ tranſis, poſſident, ut ſi Dei largitoris beneficentiam & largitatem agnoſcere negligunt, aut certe in illo momento nullum exercent gratitudinis actum, aut alium id tu in perſona eorum exſolvas, ne aut beneficia male locata maneant, aut nullum ſit tempus, quo non referant gratiarum actionem, quantum fieri poteſt. 8. Dum tranſibis templum aliquod, peculiarem reverentiam facias Chriſto in Sacramento Euchariſtiæ exiſtenti, ibique cor tuum relinquas ad hoc tempus, quo ad uſque aliud templum prætergrediaris, ſicq; cor tuum relictum in illo priori apud Chriſtum repetas, repoſiturus in hoc quod tranſis & ſic deinceps. Tum ut hæ novæ cordis locationes augeant fervorẽ dilectionis in Chriſtum, tum ne Deus in Sacramentis exiſtens ſit otioſus quodammodo (nam hæc templa plerumque deſerta ſunt) habeatq; aliquem cui benefaciant, & cum quo verſetur, manebiſque in continuo adorationis actu Sacramentalis, Chriſti præſentiæ ſub conditione, ſi ibi eſt. Tutelares ſanctos illius templi invocabis, quorum ibi vel imagines vel Reliquiæ ſunt, aut qui ex illo loco adſcripti ſunt cœlo creſcente etiam affectu adorabis Chriſtum in omnib9 templis totius mundi, & ſub omnibus particulis ſpecierum Sacramentalium, in quibus poteſt Chriſti præſentia retineri,

§. III.

In fine ſuſcepti Itineris.

1. Viſo eo loco ad quem tetendiſti, inprimis Chriſtum adorabis in omnibus templis vel templo illius loci, ſub omnibus Hoſtiis conſecratis, ad numerum illarum, actus virtutum variarum multiplicando. Innovabis illarum hoſtiarum adorationem, ad quas ſubeundas

&præ-

& præſentiendas ut ſic loquar, fuit illo die Chriſtus verbis conſecrationis è cœlo evocatus, extollendo illarum dignationum numerum. 2. Dolebis de omnibus offenſis Divinæ Majeſtatis in illa civitate vel pago perpetratis, in particulari de ſacrilegiis in adminiſtratione vel ſuſceptione Sacramentorum illo anno, vel hebdomada, vel die admiſſis, in quarum compenſationem aliquam, & ſatisfactionem, elicies actus Contritionis de tuis peccatis & offeres actualiter omnes actus pœnitentiæ Chriſti, ob aliena peccata. 3. Gaudebis & exultabis de omnibus complacentiis, quam unquam Deus habuit ex quacunq; occaſione & cauſa in illo loco, deſiderans ex toto corde, ut in illo quam plurima Divinæ complacentiæ objecta reperiantur. Sicut diſplicentiæ & diſguſtus reperti ſunt. 4. Veneraberis Angelum Cuſtodem illius Civitatis vel loci, quem ingredieris. Similiter omnes Angelos Cuſtodes omnium habitantium in illo loco, quos ſalutabis in illis & revereberis. 5. Commendabis te ſanctis Tutelaribus illius loci, maximè iis, quorum Reliquiæ ibi ſunt, quorum exædificata templa, quorum preces invocatæ, quorum nomina incolis illis impoſita. 6. Poſtquam veneris ad locum deſtinatum, quam primum viſitabis Sanctiſſimum Sacramentum, in ejus præſentia gratias ages pro felici ſucceſſu itineris & negotiorum, quorum cauſa ſuſceptum fuit. Deinde pro beneficiis omnibus acceptis, exaltabis Dei providentiam, ad quod invocabis beatiſſimam Virginem, & ſanctos Tutelares illius Templi & Sacelli; Angelum Cuſtodem &c. Dolebis de defectibus commiſſis in illo itinere, quorum defectuum percurres catalogum, ſi tempus patiatur.

§ IV.

Actus Itineris R.P. Thomæ Mlodzianovvski.

CORde eorum à quibus movi, per quorum commorationis locum transivi, ad quos perveni, te Deum meum credo, & omnes perfectiones tuas, cordaque illorum, ad te tanquam ad finem nostrum converto, cordibusque illorum te amo. Idem factum vellem corda eorum, quæ ad partes orbis suo polo utroque, quaquà versus manent, per quos iter egi, imo nomine totius mundi.

Gratias tibi Domine ago pro thesauris beneficiorum naturæ & gratiæ, quos hic quandocunque effudisti, effundes.

Quis locus habitatus ita felix, ut nunquam in illo peccatum commissum sit? detestor illa hic quandocunque & à quocunque facta.

Quis ita infelix & tamen habitatus locus, in quo non sit invocatum nomen tuum Domine? Offero ergo tibi Domine omnia opera bona hic aliquando facta invocoque illa tibi.

Supplere desidero Domine omnes despectus hic aliquando tibi factos, & in supplementum offero tibi, v.g. desiderium meum, tot lachrymarum guttas eliquandi quot hic ab initio mundi roris cecidere guttæ &c.

Adoro te in Ecclesiis hujus tractus. Gaudeo te hic esse, sit hic laus tua usque ad tempora AntiChristi.

Exaudi hic preces servorum tuorum. Nemo ad Ecclesiam spectans frustretur viatico. Nemo te hic indignè sumat. Accendo tibi tanquam lampadem hic cor meum, (qui actus etiam fieri potest in ingressu & egressu Ecclesiarum.

Si Domine provides insignem aliquem Sanctum in hoc tractu itineris mei nasciturum, accelera Nativitatem ejus.

Da Domine Sanctis hujus loci adhuc in vita degentibus amorem tuum, peccatorum contritionem, afflictis consolationem, tentatis victoriam, ægris sanitatem, agonizantibus agoniam in gratia, sua etiam bestiis & agris bona.

Auge Domine gloriam accidentalem Angelis Custodibus, qui olim fuerunt & nunc sunt hic incolentium Sanctis, item ex hoc loco salvatis, vel quorum reliquæ hic sunt.

Subjungantur corollæ ex illis verbis; Requiem æternam; pro Defunctis hujus loci.

CAPUT XV.

Actus externi variarum virtutum.

CUm Sacerdotum sit lucere mundo, procul dubio lucere non poterint, nisi fulgore virtutum splendeant, etiam externe exercitarum. Quare ne harum praxis desit, breviter aliquarum pono actus virtutum.

§. I.

Actus exercitii Præsentiæ Dei.

1. Memoriâ præsentis Dei exstimulare se ad omne peccatum voluntarium, quantumvis minimum cavendum, aut certè ad contritionem excitandam, statim post lapsum.

2. Eadem præsentis Dei memoria, se excitare aliquoties, e.g. quinquies, ad munia sua alacriùs & sanctiùs peragenda.

3. Certum numerum finium ad Deum præsentem aspirationum; vel compunctionis, vel amoris, vel gratitudinis, vel zeli ipsi placendi, frequentare.

§. II.

Actus puræ intentionis frequentandæ.

1. Nihil agere ob humanos respectus, nec intuitu vanæ gloriæ & propriæ commoditatis.

2. Actuali intentione omnes actiones referre in Deum idque manè, initio cujusque operis, identidem inter operandum, in fine operis.

3. Assuescere in omnibus actionibus purè respicere ad Deum ejusque gloriam, amorem & beneplacitum; idque suaviter & facile, ex habitu acquisito, ita, ut inter operandum actualiter ames Deum, ejusque beneplacitum intendas, magisque amans quam operans appareas.

§. III.

Actus conformitatis voluntatis nostræ cum Divina.

1. Accipe res omnes qualescunque & undecunque proveniant, parvas & magnas, dulces & amaras, prosperas & adversas de manu Dei, tanquam amantissimi Patris, omnia in bonum nostrum ordinantis, idque 1. cum patientia, 2. cum promptitudine, 3. cum gustu & alacritate.

2. Assuescere in omnibus etiam arduis ac permolestis, ita se Divino beneplacito conformare, cum gaudio & jucunditate spirituali, quasi audires Christum sic te alloquentem: Volo Fili, ut tu hoc vel illud, hac horâ amore mei facias aut patiaris.

3. Nihil negligere eorum quæ cognoscis cedere ad majorem Dei gloriam & beneplacitum, ut dicere possis cum Christo: Ego quæ placita sunt ei, facio semper, Joan. 18. Atque hæc omnia facere & tolerare. 1. Patienter timore pœnæ. 2. Libenter spe mercedis. 3. Gaudenter puro amore Dei.

§. IV.

§. IV.
Actus Fidei.

1. In adversis sic excita actum Fidei: Credo Deum melius scire me ipso quid patiar, & velle, ut hoc ipsum quod me premit, patiar. Credo etiam, Deum & posse & velle juvare me. Hunc igitur adjutorem unicè quæram, ille me certo non deseret. Tunc juvabit, & eo modo, quo ipsi melius visum fuerit, meum non est auxilii modum aut tempus Deo præscribere.

2. Cum ad flagitium aliquod turpe, præsertim vel designandum animo vel opere clam patrandum instigaris. Hunc fidei actum exerce. Credo firmissime hic ac ubique Deum præsentem esse, non actionum modo, sed etiam quarumvis cogitationum inspectorem, scrutatorem & severissimum Judicem. Non video te quidem, Deus meus, sed tu tamen vides me. Impudens ego in conspectu tantum scelus admittam? ah millies moriar.

3. Specialem pietatis sensum habe & exhibe erga Christum in Eucharistia, expresso fidei actu, circa venerationem hujus Sacramenti, ut ita saltem ex parte honor resarciatur, quem hæretici partim negant, partim convellunt. Quare subinde locum, ubi Eucharistia asservatur, adibis, religiosæ venerationis causa, saltem ter in die, manè, meridie & vesperi.

4. Sacris benedictionibus & supplicationibus publicis intereris, cum solenni ritu sacra Hostia deferetur, vel adoranda proponetur, ob eandem causam Missam reverenter audies, cum licuerit, & frequenter ritè paratus, mensæ Eucharisticæ accumbes.

5. Ex viva fide & ob eundem finem, nimirum ut hæreticis repugnes, speciali devotione Sanctos colito, festos dies ipsis celebrato, eorum imagines etiam pri-

privatim in Oratorio religiosè honorato, Reliquias & Agnum Dei è collo gestato.

6. Ex simili fidei motivo indulgentiis lucrandis studiosè operam pones, & tum hac tum aliis modis Defunctorum animas in Purgatorio detentas adjuvabis.

7. Aquam lustralem asservabis domi, quâ manè, vesperi, subinde ad ingressum egressumque te pie aspergas.

8. Sæpe orabis, aliaque bona opera repetes, ad impetrandam à Deo conversionem, tum Hæreticorum tum Ethnicorum, sive per te, si quid in hoc genere possis, sive per eos, cui fidei propagandæ studio operam etiam in extero orbe navant.

§. V.

Actus Spei.

1. Prima Spei actio ejusque propria est: Expectare non lætum nuntium, non pecuniæ acervum, sed cœleste, sed æternum gaudium.

2. Spes nunquam sine patientiæ sorore sua est, spes vera non est, quæ impatiens est. Per patientiam, inquit Paulus, expectamus, Rom. 8. cap.

3. Spes vera non est temeraria, neque enim solam Dei misericordiam, sed & justitiam considerat, illudque sibi assidue occinit. Universæ viæ Domini misericordia & veritas seu judicium. Itaque spes utrumque Christi pedem sicut Magdalena & amplectitur & osculatur, pedem misericordiæ & pedem justitiæ. Terret te justitia? spere misericordiam. Erigit te misericordia? metue justitiam.

4. Hoc cautissimè spes agit, ut quantumvis rectè agat suis tamen meritis nihil penitus adscribat. Spes vera, sola Dei largitate nititur.

5. Spes vera, cum Orationem Dominicam recitat, ingenti ſpiritu dicit: *Adveniat regnum tuum.* Neque enim tantum orat ut adveniat, ſed etiam adventurum ſperat.

6. Spes vera tam viriliter agit, ut ferrea videatur aut adamantina; neque enim ulli unquam ſuccumbit operi. Et quamvis fatiſcat nonnunquam & labatur, generoſior tamen reſurgit, & vires ſumit è lapſu, nec viam quam cepit inſiſtere, unquam deſerit. His itaque præmiſſis;

1. Manè à ſomno inter reliquas quotidianas preces ita orabis: Deus infinitè potens, & ſumme miſericors, ego imbecillis & miſer, qui ex me nihil habeo, nihil valeo, nihil ſum, accedo ad te omnis Boni fontem, ac infinitæ tuæ bonitati, meritisque Filii tui Redemptoris mei infixus, ſpero firmiter me à te obtenturum gratias, virtutes, auxilia, æternaque omnia bona tum corporis tum animi, quæ mihi neceſſaria ſunt, ut ad cœleſtem beatitudinem pertingam. Ah quando id erit? Quando veniam? & apparebo ante faciem tuam. Da, ſic curram ad bravium, ut comprehendam. Hic Orationem Dominicam magno animi ardore pervolvas.

2. Cum die ſudo, ſerenave nocte cœlum ridet, arridet humus, aut aliud quodvis placet, venuſtum, opulentum, magnificum. Exclamo cum S. Auguſtino: Si tanta Deus meus facis nobis in carcere, quid ages in palatio. Si tam innumera & varia, nunc amicis pariter tribuis & inimicis, quam magna & dulcia ſolis es largiturus amicis. Si tanta ſolatia in hac die lachrymarum, quanta conferes in die nuptiarum.

3. Cum te affici ſentis ad res infimas, reprehende te ipſum, & hoc tibi probrum objice. Quid animule mi, quid reculas iſtas miramur, & tanto licitamur, & tanto ſalutis periculo? Quæris opes? Deus eſt omnia, mundus

dus nihil. Amas voluptates? Deus cœlo reposuit æternas. Ambis honores? veros sectare. Quid umbras, fumos, fungos sequimur. Denique quid sola voluptate mentem pascis, id est siliquis porcorum, regali dignus mensa? suspira & suspice cœlum, cui nati sumus, illic bona, & magna, & æterna sunt, cætera tanquam te minora pedibus & animo preme, imo calca.

4. Cum acerba & dura pateris, corpore, morbis, aliisque miseriis afflicto, cutem manus unius manu altera, quasi morsicatim nonnihil stringe, atque asinum tuum malis fatiscentem hoc stimulo adige. Non ut jam ita erit semper, imo nec erit diu, breve est, quidquid finem habet. Atqui scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea.

5. Cum res acerbæ Dei & salutis causa, animo intus reluctante, tamen exsorbendæ sunt, poculum hoc saccharo & melle oblinies. Non sunt, anime mi, condignæ passiones hujus temporis &c. Leve & momentaneum hoc supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ non videntur, æterna sunt. Hoc sudario egregius pugil Paulus omnem gravissimorum dolorum sudorem abstergebat. Hoc proposito bravio cæteri fortissimi Athletæ cum bestiis, cum ignibus, crucibus, mortibusque ipsis fortiter pugnarunt, vicerunt.

6. Si tentationum vi in desperationis abyssum, in mortis præsertim agone præcipitari te sentias, spei anchoram projice, dic; Quid naufragaris anima, spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi Salutare vultus mei & Deus meus, projice te in eum, non subtrahet se ut cadas. Infinite bonus est, proniorque ut beneficia conferat, quam tu petere aut sperare posses. Pater noster est.

eſt. Ipſe enim fecit, & tanti fecit, ut pro te ſervo redimendo Filium ſuum tradiderit. Hic autem 33. annis quid non fecit, quid non paſſus? Jeſum ipſum habes advocatum, qui Patri oſtendit vulnera. Mariam, quæ Filio oſtendit ubera, Angelum cui commiſſus, tot Sanctos, quibus es commendatus. Eja adeſto, optime Jeſu, ne ſanguis tuus in me pereat. Ades clienti Maria. Adeſte Sancti omnes, veſtris præſidiis munitus ſperabo in Domino, & licet conſurgant adverſum me caſtra, non timebit cor meum.

§. VI.

Actus Charitatis in Deum.

1. Amor Dei verus, in omnes curas & cogitationes hominis dominatur, quas ſuaviter ad Deum trahit. Eodem modo totam ſibi voluntatem vendicat, quam cum Deo conglutinat. Voluntas verò ſic Divinæ voluntati agglutinata, cæteras poſt ſe animæ vires trahit.

2. Verus amor, ipſas etiam pœnas amat, omne quod affligit, requiem putat, amarum omne dulce æſtimat, idque in gratiam amati. Qui amat aut laborat, aut ipſum amat laborem.

3. Amor Dei inter opprobria ſecurus, inter odia beneficus, inter iras placidus, inter invidias tutus, inter pericula generoſus, inter tentationes magnanimus, inter amicos lætus, inter inimicos intrepidus, in adverſis tolerat, in proſperis temperat, in omnibus invictus eſt.

4. Verus Dei amor non eſt mercenarius. Qui amat Deum, ut ſibi bonus ſit, & beatitudinem communicet, hic nondum perfectè amat. Et quamvis amor præmium non ambit, non tamen ſine præmio diligit.

5. Divi-

5. Divinus amor ſedulò cavere ſolet minimos etiam conſcientiæ nævos, qui amorem ſi non extinguunt, certe minuunt, & viam ſternunt ad graviora.

6. Divinus amor omnes actiones ſuas exactiſſimè ac perfectisſimè conatur peragere, cum ſincero propoſito ſoli Deo placendi, nec ulli alteri, niſi propter Deum, tantumque ſtudii impendit, ac ſi illud ultimum ſit, & omnis ab eo ſalus pendeat, quæ omnia ſic ad praxin reduces.

1. Gaudebis, cum ſenties ipſe, & aliunde intelliges, tibi quidquam fieri aut evenire ex ſpeciali ordinatione Divinæ providentiæ, etiamſi res adverſæ & acerbæ accident, illudque Job viri ſanctiſſimi carmen occines: Sicut Domino placuit ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum.

2. Mœrorem animo contrahes, ſi quid acciderit, quod Divinæ voluntati diſſentiat aut repugnet, ut ſi quis Divinam Majeſtatem aliquo flagitio offendat, id ægerrimè inquam ſuſtinebis, noxamque omnem aut impedies, aut tolles, ſi qua poſſis.

3. Si Dæmon gravi quavis tentatione te divexet, ſic precare. Tentas me Domine an amem te, neque tamen ultra id quod poſſum. Scio quod ſine gratia tua ſpernerem te, ô omne Bonum, ut teterrimo hoſti placerem, æternum luiturus momentaneum gaudium. At juravi & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ. Adjutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me.

4. Quando peccati gravioris periculum aliud quodpiam occaſione inciderit: Diſcerpar in mille partes, rumparque, potius inquies, quam ut amori Divino rem quamvis præponam, Chriſtianumque illud ſæpius Dæmoni tentanti obtrudes: Malo mori quam fœdari.

5. Quod

S. vocationis cum tenero & cordiali affectu reminiſcere, dignationem miſericordiſſimæ bonitatis Divinæ admirans, quòd te nullis tuis meritis, imo tot cum demeritis, quot cum peccatis, poſthabitis tot aliis, quos in ſæculo infernoque degunt, elegerit, & velut oleaſtrum putreſcentem, in hunc paradiſum transplantarit. Gratias quas maximas poteris, tam bonæ bonitati ages, & omnia quæ huc uſque liberaliter à dante omnibus & nemini improperante Deo tuo accepiſti, iterum in vulnera ſacratiſſimarum recondes manuum, orans & obſecrans, ut eæ tibi hæ munificentiſſimæ manus ſervent, cuſtodiant, ungeant in vitam æternam, teque illis abuti in perditionem non patiantur.

In ſecundo Puncto converſus ad oculos Chriſti liventes & ſanguine compluτos, cordis tamen tui abdita penetrantes, petes ſupplex, ut oculis cæcæ mentis tuæ communicent ſcrutantes Hieruſalem in lucernis radios, quo omnia in corde tuo, velut in regiſtro villicationis & negotiationis tuæ advertere poſſis, quæ tantum oculis Domini tuis dolorem, & aliquam aliquando diſplicentiam, impiè cauſavêre.

In tertio Puncto; 1. Vide utrum à præterito examine ad præſens tempus fuerint cogitationes tuæ, vanæ, ſuperbæ, impuræ, ultionis appetentes, invidæ, iracundæ, temerè judicantes, blaſphemæ, avaræ, hominum non Dei favorem, terram non cœlum quærentes; 2. An verba fuerint ſuperba, charitatis læſiva, mendacia, maledica, detractoria, otioſa, hypocritica, adulatoria, diſcordias ſeminantia &c. 3. Opera fuerintné recta intentione, an obliqua? An nulla facta? Et num in aliquo Divinæ voluntati repugnantia, an non? Bona opera fueruntné debitis cum circumſtantiis, ſuo modo, tempore, loco, diligenter, devotè, cum affectu & fructu facta? An ex conſuetudine, caſu, cum tædio,

aberratione &c. 4. An non omiſeris aliquid non omittendum ex negligentia, & craſſa ignorantia nullis de cauſis, propter reſpectus & timores humanos. 5. An culpæ alienæ non ſis particeps factus? 6. Quas occaſiones meritorum neglexiſti, quos tandem, quomodo & quam ſtudioſè negotiationis tuæ fructus auxiſti, &c.

In quarto Puncto, viſis delictis & negligentiis tuis, cum illo ſervo debitore & Maria Magdalena peccatrice, advolvere pedibus Dominicis, eos deſuavia, & interna compunctione; Temetipſum, & tua facta execrans, veniam pete, actum contritionis de his & omnibus peccatis elicere ſtude.

In quinto Puncto; Ad lateris Dominici vulnus converſus. Ora humillimè, ut hoc cordiale amoris tui vulnus, ſit tibi turris fortiſſima, & loco refrigerii in tentationibus univerſis, in conſcientiæ angoribus, in omnibus Diabolicis, carnalibus, mundanis impreſſionibus. Sit abyſſus & Apotheca univerſorum peccatorum tuorum, ſit contra venenum Nequiſſimi præſervativa. Sit gratiæ amplioris augmentum. Quod ut conſequaris, fideliter & reverenter cum S. Angelo Cuſtode tuo, & Domina clementiſſima Maria, offer diviniſſimæ Trinitati guttam ſanguinis pretioſi è latere Jeſu Domini tui amoroſè ſtillantem, orans, ut hanc oblationem in odorem ſuavitatis admittere dignetur, & propter eam tua peccata ignoſcere, gratiam præſervantem abundanter elargiri.

§. II.

Alius modus Examinis veſpertini.

1. PRæmittatur intentio, intuendo faciem Chriſti Domini, dicendo: Ex amore tui mi Deus, quo te ſummum bonum amo ſuper omnia, volo nunc me

ipſum

ipſum judicare,nec cum veneris judicare , debeas me condemnare.

2. Fiat gratiarum actio,intuendo vulnus Chriſti pedis dextri , dicendo : O inexhauſtum mare bonorum omnium,Domine Deus meus,quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuiſti mihi. Ago tibi gratias tota affectus mei, omniumque creaturarum plenitudine, pro omnibus & ſingulis beneficiis tuis. Quia ab æterno ut confido miſericordiæ tuæ in libro ſcripſiſti me , ſis benedictus in æternum. Quia in tempore creaſti me, tot aliis poſſibilibus creaturis tuis,in ſuo nihilo relictis. Sis benedictus in æternum.

Ago tibi gratias mi Deus,pro conſervatione, qua huc uſque miſericordiſſimè conſervas me , ſervaſti me hactenus paternâ & plus quam paternâ curâ,per totum vitæ meæ curſum ſuſtinuiſti,foviſti,cuſtodiſti , licet tua ipſa ubera mordentem lactaſti , plus quam Mater. A multis malis, periculis,mortibus eripuiſti , protervum, contumacem , ſponte ruentem non deſeruiſti , nec ad infernum , ut ſæpè merui , detruſiſti. Sis benedictus &c.

Si Religioſus es. Ago tibi gratias & agam in æternum , quia ad charam tibi Religionem, ad medullam Eccleſiæ tuæ , ad prædeſtinatorum domicilium , ô mî Jeſu , vocaſti,me ô quot beneficia contuliſti mihi? Tu ſcis & ego,pro illis obligo me tibi in æternum, præſertim quia Sacerdotem ordinaſti me , & jam tot animas ſanguine tuo laviſti , & refeciſti per indigniſſimum me. Sis benedictus &c.

Ago tibi gratias , quia affectum ad dulciſſimam Matrem tuam tribuiſti mihi. Sis benedictus.

Ago tibi gratias , quod mihi hodie dederis gratiam celebrandi ſanctiſſimum Sacrificium tuum,

quod me paveris corpore & ſanguine tuo, ô dulciſſime Jeſu, ſis millies in æternum benedictus.

Ago tibi gratias pro omnibus beneficiis tuis hujus diei, quæ ut & ſupra dicta omnia, aliaque mihi ignota, quæ tu ſolus ſcis, depono in vulnus pedis tui dextri Domine Jeſu, & peto à te, ut tu pro illis.

Æterno Patri, tibi Verbo, & Spiritui Sancto, gratias agas digne ſanctiſſimæ Trinitati. O Jeſu ſis gazophylacium meum.

3. Fiat petitio luminis, intuendo vulnus pedis ſiniſtri Chriſti Domini, ſic dicendo: Largitor luminum, & vera lux Domine Jeſu; Illumina tenebras meas, & applica mihi de vulnere pedis ſiniſtri, guttam pretioſiſſimi ſanguinis tui, ut illuminet conſcientiam meam. O Jeſu ſis lux mea.

4. Fiat examen etiam minimorum. Peracto examine, ſi quæ ex gratia Dei bona egiſti, age Domino Jeſu gratias. Et in vulnere ejus manus ſiniſtræ deponens, dic: Sanguine tuo Jeſu mi, conforta & confirma me. Pro defectibus autem

5. Fiat dolor, intuendo vulnus manus ejus dextræ, eliciendus ſic: Summum & eſſentiale Bonum, omni amore digniſſimum. Amo te ſuper omnia toto me, & omnipoſſibiliter. Et quia te amo, deteſtor peccata mea omneſque defectus & imperfectiones meas, tibi ſummo bono oppoſitas ac diſplicentes, doleo pro illis, quia te amo, Domine Jeſu, pro peccatis meis crucifixe, ablue peccata mea & da dolori meo guttulam Sacratiſſimi tui ſanguinis ex hoc manus tuæ dexteræ vulnere, ut habeat efficaciam per te apud te Redemptorem meum. O mi Jeſu! ſis mihi Jeſus, & cum veneris judicare, noli me condemnare.

6. Fiat propoſitum, intuendo vulnus lateris & cordis Chriſti eliciendum. Diviniſſimum cor Domini mei Jeſu,

Jeſu, pro me vulneratum, amore tui do tibi me totum, illudque miſerrimum cor meum. Et propono abhinc te non offendere, etiamſi mori deberem. Domine Jeſu ſi vides aliquando me peccaturum pro illo momento, pro quo offendere te deberem, priva me uſu rationis. Vel quomodocunque pone me extra viam demeriti, ne te offendam. O ſanguis cordis Jeſu, confirma hoc totum, & ſis firmamentum meum.

In fine fac propoſitum vitandi ſingulare aliquod vitium. Poſt examen pro peccatis ſequatur ſatisfactio, aut mortificatio. Sit igitur ex occaſione

CAPUT IV.

De Mortificatione.

TRia debentur aſino, Virga, Onus, Paleæ. Tria & corpori tuo debes, ſuſtentationem per cibum, paleis vilitate non abſimilem. Onus, per laborem ne putreſcat tabeſcatque per otium. Virgam ſeu afflictionem tum ne delinquat ad delictumve trahat animam, tum quia deliquit & ad delictum pertraxit, vel adjuvit. In afflictando corpore opus eſt diſcretione, ſed ferè magis indiſcretione, ſed tamen ſit diſcreta indiſcretio. Præſtat ſervos habere durius, quàm mitius; Inſoleſcit enim ſervile ingenium blanditiis, maximè cum corpus noſtrum non tantum ſit ſervus, ſed & aſinus, quia ſi virgam baculumve non ſentit aſſiduo, inſoleſcit, laſcivit, & recalcitrat cito. Quantum te quotidiana mortificatione humiliare debeas, ex quotidianorum defectuum tuorum, vitæ negligentiis, copia & reatibus pœnæ collige, quantum te pœnæ Purgatorii reatum contraxiſſe hodie putas, tantum pœnarum hodie à te exige, ut ſine culpæ & pœnæ obligatione ſomno te dedas.

Aliter parentes castigant filios, aliter Domini servos, aliter agasones asinos, tu tibi non es filius sed servus, sed asinus, sed hostis, & quidem capitalis. Castiga ergo te, ut decet talem te tibi castigari à te.

CAPUT V.

Somnus.

CUm Humiliationis exercitatio, Veritatisque (in quantum humilitas, tum ipsa debet fundari humiliatio) cordialis & sincera confessio tanti sit momenti, ut ex ejus vivacitate ac sinceritate, nostrarum pendeat salus animarum, omniaque divinarum gratiarum molimina, inprimis doni perseverantiæ (alioque in meritum non cadentis) à Deo evocatio atque abblanditio. Utile erit tum semper actionibus Humilitatis occupari, tum vero confessioni propriæ vilitatis, ultimam cujusque operis, dieive clausulam atque custodiam committere, ut Deo constet, nos huic de nobis deque nostro nihilo veritati confitendæ, & invivere, & indormire, & invigilare, & immori cupere, in ejusque confessione ab ultimo illo vitæ nostræ momento deprehendi velle, in quem usum recte adhibebitur ante somnum, hæc vel similis ruminatio.

Dormire est morti præludere, & somnus à morte fere tantum brevitate differt. Horres mortem, cur & non somnum? Quare monstrum dormiens homo? Nec mortuus nec vivus, nec homo nec bellua, neque sepultus nec extra sepulturam. Somnus ut alia non habeat incommoda, est vitæ profusio & perditio, quantum enim temporis absumimus dormiendo? Ab infantia usque huc, prope plus dormivimus quam vigilavimus. Certe magna est hæc homini humiliatio, tantæ vitæ per somnium deperditio. Si quis à nobis horam vitæ posceret, hostem putaremus vitæ nostræ: Somnus annos nobis

bis eripuit, dies & horas semper plures aufert, tamen inter hostes non est. In somno totus homo suus esse, & sui potens, sibique præsens esse desinit, resolvitur in somnum, & veluti vinculis in omnes sensus, omniaque momenta injectis, captivus tenetur. Idem tibi ut eveniat spirituali quodam somno, ante somnum corporalem allabora. Exue te teipso, totum te, totum jus in te, tua omnia quæ habes à Deo, restitue Deo, in solius tui lectulo ac nidulo, te componere requiesce. Cætera Deo tanquam ejus propria eidem restitue, præsertim cum bonis tuis, hoc est, donis divinis, sit malè apud te, nec possint securè apud te servari, præstat ergo ea Deo tanquam legitimo Domino consignari, & custodienda servandaq; tradi, in prima deinde evigilatione post somnum, ab eadem humiliter emendicanda, & veluti stipis, aut subsidii, aut eleemosynæ, aut mutui loco de divinæ bonitatis manibus accipiendo, de divinæ gratiæ uberibus cum lacte auxilii ad bonum usum efficacis, sugenda.

CAPUT VI.

Modus disponendi se ad somnum.

PEracto examine. Expansis in modum crucis manibus, hymnum; Te Deum laudamus: Recitato in gratiarum actionem, pro eo die acceptis beneficiis. Addendo ter salutationem angelicam in honorem triplicis Virginitatis, & immaculatæ conceptionis beatissimæ Virginis Mariæ, cum Antiphona de beatissima eâdem. Deinde retro post tergum positis manibus, quasi vinctus tot criminum reus, dic Psalmum; Miserere, deprecando & rogando majestatem Divinam, ut misereatur tui. Mox prorue in terram coram Divinissima Trinitate, cum hac protestatione. Mi Deus, indignus sum comparere coram divina Majestate tua, quia peccator sum, locus meus infra pedes Luciferi, infra infernum. Cum tamen sis misericors Deus, provolvo me ad pedes misericordiæ

tuæ, & misericordiam rogo, terram ter osculare, cum additamento. Da peccatis veniam, præsta æternam vitam, dona pacem & gloriam ô beata Trinitas. Libera nos, salva nos, vivifica nos ô beata Trinitas. Dic unum Pater & Ave pro obstinatis hæreticis & peccatoribus; Secundum pro Agonizantibus.

Commenda te Deo, beatissimæ Virgini, Angelo custodi, & SS. Patronis tuis sic: In benedictas manus tuas Domine Deus meus, & in sinum suavissimæ providentiæ tuæ, me, omnesque maxime mihi commissos N.N. quoad corpus & animam protegendos, gubernandos, & conservandos, nunc & in hora mortis commendo: Dignare nos sub alas paternæ protectionis tuæ suscipere, ab omni malo custodire, immaculatos conservare, tuæque sanctissimæ voluntati semper & in omnibus conformare, ut in te vivere, in te mori, in te æternum quiescere mereamur, qui in Trinitate perfecta Deus vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

O gloriosissima Dei Genitrix & Virgo Maria, placet quod proposui, tu es erisque æternum Mater mea gratiosissima, unice colenda, amanda, glorificanda. Sim ego quoque servus tuus, & Filius peculiarissimus. Monstra te esse Matrem, nunc, semper, æternum.

O clemens, ô pia, ô dulcis, Virgo Maria.

O amantissime Angele Dei, qui huc usque tam fidelis custos es mei, obsecro te, cui ego indignus peccator ad providendum commissus sum, indesinenter protegas, defendas, munias, ab omni incursu Diaboli. Repelle à me per virtutem sanctæ crucis, omnem tentationem Satanæ. Et quod mea non exigunt merita, tuis precibus obtine apud altissimum Judicem, ut nihil in me loci habeat. Dignare insuper hac nocte, cor & corpus meum immaculatum conservare, ut tecum mere-

rear

rear ſanctiſſimam Trinitatem æternum contemplari, Amen.

O vos ſancti Patroni mei, & omnes Electi Dei, ſupplete vices fragilitatis meæ, in benedicendo, laudando, & ſuperexaltando Domino Deo noſtro, miſericordias ejus in æternum cantantes, gratiamque mihi in æternum impetrate, in gratia ejus vivendi, quieſcendi, moriendi, & gloria ejusdem vobiſcum perfruendi, Amen.

Illumina quæſumus Domine Deus meus, tenebras meas, & totius hujus noſtri ſomni, ac noctis inſidias, tua virtute à nobis repelle propitius per Chriſtum Dominum noſtrum.

Gratias ago tibi Domine, ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui me indignum famulum tuum, nullis meis meritis, ſed tua Sanctiſſima gratia cuſtodire dignatus es in hac die: Deprecor clementiam tuam miſericordiſſime Deus, ut concedas mihi venturam noctem, mundo corde & corpore ſic pertranſire, quatenus manè ſurgens, gratum tibi valeam obſequium ſervitutis exhibere. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

O Jeſu mi dulciſſime, ô Jeſu mi amantiſſime, tu mecum quæſo maneas, hac nocte mecum dormias, ut corpus ſomnum capiat, & nunquam cor obdormiat, ſed ſemper tecum vigilet. Et te ſemper deſideret, præſentem abſens videat, quo malum omne caveat, me Angelus cuſtodiat, & ſigno Crucis muniat, hinc Satan procul fugiat, & Jeſus ſolus maneat. Quos amo, tecum colligas, in lecto cordis foveas, nec me, nec ipſos deſeras, ſed benedicens protegas, & in ævum cuſtodias, Amen.

Súſcipe me tuendum Jeſu Chriſte præſidium noſtrum, fac ut ſopito corpore, animus in te meus vi-

gilet,& felicem , lætiſſimamque cœleſtem vitam lætus atque alacer contempletur,in qua tu es Princeps cum Patre & Spiritu S. S. Angeli vero, & puri & S. animi, ſunt cives ad æternitatem Beatiſſimi. In manus tuas ſacratiſſimas ô Deus meus, commendo ſpiritum meum, jam commenda ſanus & valens,ut illum commendatum habeat,quando amplius commendare non potero, etſi ſuis vinculis nondum ſolitum. Timeo enim tempus illud terribile ,quo inter vivos ero,nec eſſe me ſciam. Videmus enim in plerisque moribundis fieri, vivunt & vivere ſe neſciunt,quis palpitantem tunc Spiritum,& migrare trepidantem, tandem tamen ex hoc amico carcere migrantem ſuſcipiat,ſi te excludas , ô bone Jeſu.

Chriſte Jeſu patientiſſime, recordare te in extremis illis anguſtiis lachrymatum , & deſeri queſtum eſſe,Spiritum Patri commendaſſe,exclamaſſe, exſpiraſſe. Ad te jam clamo, ut ſuſcipias Spiritum meum , quocunque morbo,tempore,aut loco, è corpore abeuntem. Recordare bone Jeſu,in cruce te brachia expandiſſe,pectus aperuiſſe,caput inclinaſſe. O Domine , ecce anima mea à rebus omnibus creatis deſerta,palpitans & tremens,in vulneribus tuis refugium quærit,in illa brachia tua ſe immittet,in tuum illud pectus ſeſe ingerit, admitte obſecro miſeram,& ne inde extrudas,donec ira tua tranſeat, hic ſecura ab inferorum ſatellitibus tuta lateat. Jam ergo in manus tua ſacratiſſimas commendo ſpiritum meum quem tuum feciſti Creatione,Redemptione,&ſanctiſſimis Sacramentis.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti crucifixi cubitum eo,ille me benedicat † regat † cuſtodiat † & ad vitam perducat æternam,Amen.

Angele Dei,qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna,hac nocte illumina,cuſtodi,rege,& guberna,Amen.

Benedicat nos omnipotens & miſericors Dominus, Pater,& Filius, & Spiritus S.Amen.

§. UNI-

§. UNICUS.

Alius modus.

PRosterne te in genua ante imaginem Crucifixi, dicens: Adoro te, mi Jesu, sub vigilia noctis natum, sub noctis silentium in Ægyptum fugientem. Adoro te sæpius in orationibus pernoctantem. Adoro te in custodia Caiphæ nocturnis exagitatum probris, illusum contumeliis, saturatum opprobriis & doloribus. Adoro omnes & singulas actiones tuas Theandricas, quascunque tandem in diebus carnis tuæ nocturno exercuisti tempore: Quia autem in nostro Horizonte laus tua quiete hominum interrumpitur, ad compensandum silentium magnæ gloriæ tuæ, offero tibi laudes cœlorum astrorumque in Horizonte nostro ortorum & oriturorum. Offero omnes pios motus hominum, quos nunc Sol illustrat. Offero Religiosorum media nocte surgentium vigilias, & quidquid alii tui devoti servi vigilantes, intuitu tui operantur. Offero omnium tibi corda specialiter dilectorum. Offero omnia Missæ sacrificia, quæ toto dormitionis meæ decursu, à Sacerdotibus novi orbis peragentur. In his omnibus hostiis consecrandis, te adoro anticipatè, sicut jam consecratum, in quibuscunque per totum orbem hostiis. Adoro, adoro, adoro, adoro, (nota ad 4. partes Orbis.)

2. Vestem religiosam, sive clericalem deosculaberis, ex amore vocationis, (nec non propter obtinendam indulgentiam, si Religiosus es) & dices: Jesu mi, per illam dignationem tuam, qua denudari ad columnam, & nudus in cruce mori pro me dignatus es, rogo: Indue me veste gloriæ tuæ, vel (si Religiosus es) ut in veste religiosa moriar.

3. Flexis genibus elicies actus Fidei, Spei, Charitatis, &c. &c. 1. Credo mi Deus, quidquid revelasti,

&

& cur tandem pro hoc fide, cervicem meam præcidi non jubes. 2. Spero vitam æternam, quia eam mihi misericorditer promisisti, & potens es adimplere promissum tuum. In meritis Christi mei, intercessione pretiosissimæ Parentis, & orationibus SS. Patronorum meorum confido. 3. Amo te summum Bonum super omnia, quia summum Bonum es. 4. Ex hoc amore super omnia, doleo super omnia, pro omnibus peccatis meis, detestor illa super omnia, & emendationem propono. 5. Benedictus sis Deus meus pro omnibus beneficiis, quæ contulisti mihi. 6. Offero tibi somnum meum, & omnes respirationes meas, ad majorem gloriam tuam, ex amore tui. 7. Sanctissima Virgo Dei Mater, ego NN. eligo te hodie coram Angelo meo Custode, & Curia cœlesti, in meam Dominam, ac Parentem, ac firmiter propono tibi in perpetuum famulari, & curare ut ab aliis tibi quoque serviatur, & præcipuè voveo me tuam immaculatam Conceptionem & Virginitatem tuam propugnaturum usque ad mortem meam. A te ergo Mater mea clementissima, per Sacratissimum Jesu Christi Filii tui sanguinem peto suppliciter, ut me famulis tuis perpetuis annumerare digneris, gratiamque mihi à Filio tuo impetres, ut in cunctis meis cogitationibus, verbis, operibus ita me geram, ut nihil in me unquam, neque Filio tuo, neque tuis oculis displiceat, utque sis memor mei in hora mortis meæ, Amen. O Domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ, hodie & quotidie, & in hora exitus mei, & animam meam & corpus meum tibi commendo, omnem spem meam & consolationem meam, omnes angustias & miserias meas, vitam & finem vitæ meæ, tibi committo. Ut per tuam sanctissimam intercessionem, & per tua merita, omnia
mea

mea dirigantur opera , ſecundum tuam , tuique Filii voluntatem. Amo te dulciſſime Jeſu, amore Mariæ. Amo te dulciſſima Virgo & Mater, amore Jeſu. 8. Angele Dei qui cuſtos es mei &c. Obſecro te angelice Spiritus , tutor ac cuſtos meus fidelis, obſecro ut te favente præſidium mihi ex theſauris Miſericordiæ & Omnipotentiæ Dei contra omne malum concedatur, & ut ſecundum voluntatem Dei, vitia fugiam , virtutes Chriſtianas exerceam , quoad cum aliis in cœleſti patria Deo aſſiſtam. 9. Sanctiſſimæ Genitricis tuæ Sponſi quæſumus Domine, meritis adjuvemur, ut quod poſſibilitas noſtra non obtinet , ejus nobis interceſſione donetur. Qui vivis & regnas &c. 10. Sancta Patrona mea, Virgo & Martyr Barbara, ſis cuſtos mortis meæ, & ora pro me, ne ſine viatico SS. Corporis Jeſu Chriſti moriar. 11. Sancti Apoſtoli (ſi Religioſus, S. Patriarcha aut S. Pater) agnoſcite me pro filio veſtro, nunc & in hora mortis meæ. 12. Credo, ſpero, amo, doleo , ex amore tui , ſummum eſſentiale Bonum meum, Deus meus , quod te quandocunque , & quomodocunque offenderim. Deteſtor omnia peccata mea ſuper omnia mala. Deteſtor autem ideo , quia offendi te Deum meum, prout in te ipſo bonus, ſumme perfectus , ſumme amabilis es , deteſtor & ideo , quia peccando tibi Deo meo & Domino non obedivi, deteſtor etiam ex eo quia peccando eum tibi cultum non exhibui, quem tibi debeo, prout es excellentiſſimum creationis & gubernationis omnium creaturarum Principium. Denique deteſtor illa propter te ipſum ſolum, quatenus jus tuum ſupremum quod habes , ut ab omnibus creaturis non offendaris, peccando violavi. Et ex amore tui propono cum tuæ gratiæ auxilio amplius non peccare. Condono omnibus inimicis meis omnia. Fiat voluntas

Dei.

Dei. Desidero te videre SS. Trinitas. 13. Agonizante in cruce Christi, instantique mortis ejus, & pretiosissimæ Parentis, omniumque Electorum ejus, instans mortis meæ commendo & unio. 14. In manus Sanctissimæ Trinitatis, Jesu Christi, pretiosissimæ Parentis, & omnium Electorum, spiritum meum trado.

4. Accipe imaginem Christi Domini crucifixi, & vulnera ejus ad satietatem osculare. Tandem cor tuum, in latere Christi relinque.

5. Commenda te sanctissimis membris beatissimæ Virginis, Matris tuæ dulcissimæ, sic: Provolvo me ad pedes tuos, ô dulcissima Mater & Virgo, & hac provolutione mea te colo cultu hyperduliæ. Et deprecor te, si ô amantissima Mater, te hodie offendi. O dulcissimi pedes beatissimæ Virginis, Matris meæ dulcissimæ, Dominæ meæ clementissimæ, sub vestrum præsidium confugio, supportate me. O dulcissime sinus beatissimæ Virginis, Matris meæ dulcissimæ & Dominæ meæ clementissimæ, sub tuum præsidium confugio; Fove me puerum tuum. O amorosissimum cor beatissimæ Virginis Mariæ, Matris meæ dulcissimæ, Dominæ meæ clementissimæ, sub tuum præsidium confugio; Ama me, ô sacratissimæ manus beatissimæ V. Mariæ &c. sub vestrum præsidium confugio; Benedicite mihi, defendite me, protegite me. O mellifluum os beatissimæ Virginis Mariæ &c. sub tuum præsidium confugio; Loquere pro me, & ora pro me. O sacratissimæ aures beatissimæ Virginis Mariæ &c. sub vestrum præsidium confugio, audite preces meas. O pudicissimi oculi beatissimæ V. Mariæ &c. sub vestrum præsidium confugio, aspicite me, & miseremini mei. O venerabile caput beatissimæ Virginis Mariæ, sub tuum præsidium confugio, cogita de me, dispone de me, ad maximam

ximam Dei mei gloriam & tuum honorem dulcissima Mater, & salutem animæ meæ, sicut scis, & vis, & potes.

6. Claude hanc dispositionem cum actu Humilitatis. O Mater dulcissima indignus sum osculari pedes servorum tuorum, saltem illorum osculabor vestigia. Osculare terram in cubiculo, aut residentia tua, hac cum intentione prædicta, quod indignus sis osculari illorum pedes, qui in hoc loco steterunt, aut ambularunt, saltem illorum vestigia velis osculari.

7. Tandem te ad quiescendum componens, vel lectulo paulisper insidens, pios aliquos affectus tibi familiares exerce, cujusmodi sunt illi, quos Joannes Berchmans frequentare solebat: En vitæ incertus, & æternæ salutis, intro sepulchrum. Utinam te nunquam offendissem, doleo ex animo Redemptor mi, & propono sinceram emendationem. O Pater æterne, offero tibi Filium tuum cum omnibus doloribus & vulneribus ejus pro omnibus peccatis & negligentiis meis. O B. Virgo adjuva me. O vos omnes SS. Patroni mei suscipite me. S. Angele Custos, custodi me ab omni peccato & insidiis diaboli, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Vel Patris Antonii Sucquetz in testamento Christiani hominis concionati affectus. O Deus infinite amabilis & laudabilis, quam meritò à me & omni creatura incessanter es laudandus, amandus, & glorificandus, idque purè propter te infinitè, super omnia, nunc semper, æternum, & ultra. Si possem omnes arenas, guttas, atomos, in choros & cœlos te laudantium convertere; Facerem lubens, si omnium Sanctorum possibili affectu, te brachiis amoris, & dilectionis constringere, æternumq; benedicere, laudare, & superexaltare valerem, & id unice optarem continuare, in omnem æternitatem, atq; hos, omnesq; quos unquã habui

bui affectus, toties, (quantum in me est) renovare desidero, quoties respiro. O vos omnes SS. Patroni mei, pro me obdormituro, solenne canticum vestrum, Seraphico affectu, æternum frequentate: Benedictio & claritas, & sapientia. Utinam te humillimè & arctissimè sed & fiducialissimè & amantissimè amplectar. O Jesu, ô Jesu, ô Jesu in æternum. Ita credo, ita spero, ita amo. In manus tuas commendo spiritum meum, & amo te propter te, & amplector te in æternum.

Jesus, Maria, Joseph miseremini mei, hæc sint ultima suspiria vigiliæ meæ, noctis, hujus vitæ meæ, agonis mei, mortis meæ, clausula vitæ meæ, sigillum vitæ meæ. Jesus, Maria, Joseph.

CAPUT VII.

Dispositio Moribundorum.

§. I.

Dispositio remotior.

1. Confessio generalis ex tota vita, si fieri potest, persuadenda. Sin minus, quærendum, utrum non habeat remorsum aliquem conscientiæ ex præteritis, & utrum judicet coram Deo se fecisse confessiones debitè, præsertim in juventute, vel eas non debitè factas, correxisse.

2. Post confessionem quærendum, utrum vellet omnia etiam occultissima peccata aperire, si ipsi in mentem venirent, etiam ea, quæ ipsi in agone potest Dæmon objicere. Et de hac præparatione voluntatis, faciat protestationem coram Deo.

3. Post

3. Post Confessionem, injungendum infirmo, ut in vim satisfactionis & ex vi Sacramenti Pœnitentiæ offerat, patiaturque mortem, & omnes dolores usque ad agonem. (Nota. Hunc actum statim eliciat Sacerdos cum infirmo, maximè si sit simplex, aliàs non offeret, quia nescit quomodo.

4. De Testamento, si ita expedit, aliquid est innuendum, præsertim, ut memor sit animæ suæ, & statim aliquid faciat certi, nec fidat committatque totum hæredibus & executoribus.

5. Quærendum, utrum non habeat debita aliqua, detentam mercedem &c. ideò ut huic rei occurrat, si potest, si non potest, protestetur se velle occurrere, si supervixerit.

6. Quærendum, utrum habeat iram aut odium aliquid contra aliquem, vel dissidium cum aliquo, persuadendumque illi, ut mittat deprecatores &c. Salvo tamen jure, si damnificatus est, & si ita vult.

7. Si habet præsentem prolem, suadendum, ut singulis benedicat, si id commodè fieri potest.

8. Inculcandum & sæpe suaviter inculcandum, an sit paratus mori, si Deus velit.

9. Si periculum mortis immineat, commonendus audacter & suaviter de morte, ut se ad eam paret.

10. Devotio, fiduciaque ad Christum in cruce morientem, pretiosissimamque ejus Parentem dolorosam, commendanda & inculcanda.

11. Pactum cum eo faciendum de absolutione illi danda in supremo agone.

12. Si fieri potest, id præstandum, ex quo colligat ægrotus, non solum salutem animæ, sed etiam sanitatem corporis illius confessario cordi esse.

13. Quidquid concernit commodum tuum temporale, quod titulo eleemosynæ tribui à moribundis pot-

eſt, de hoc non loquendum, niſi dante anſam ipſo ægroto, idque totum voluntati ipſius plenè committendum, ne dicaris avarus. Hanc enim avaritiæ notam, quaſi quarto modo propriam appinxerunt homines ſeculares Sacerdotibus.

14. Si ægrotus proximè ſit agonizans, Crucifixi effigies ante ipſum collocanda.

15. Viaticum ut ſuſcipiat ſuadendum, in cujus ſuſceptione actus eliciendi Fidei, Spei, Charitatis, Gratiarum actionis, pro omnibus annis, menſibus, hebdomadis, diebus, horis, momentis vitæ &c. &c. &c. Reſignationis, deſiderii videndi Deum.

16. Candela benedicta in promptu habenda, & aqua benedicta.

17. Extrema unctio tempeſtivè perſuadenda ſi eſt periculum, aut ſaltem ſtimulandus, ut ſi fuerit periculum, habeat deſiderium eam ſuſcipiendi.

§. II.

Propior diſpoſitio Infirmi graviter jam periculoſi.

1. AMovendæ omnes diſtractionum Infirmi occaſiones quæ provenire poſſunt ex importunis aliorum viſitationibus, confabulationibus, domeſticorumque fletibus ac turbationibus, præſertim feminæ ab infirmo arcendæ, excepta uxore.

2. Dandus illi identidem Chriſtus crucifixus, quem ex affectu deoſculetur.

3. Identidem aquâ luſtrali aſpergendus.

4. Actus varii breves identidem, ſine moleſtiâ ejus, illi ſuggerendi, ut ſaltem audiat illos, ex corde eliciat, ſi loqui ei grave ſit; Poſſunt eſſe hi vel ſimiles actus:

1. Deus

1. Deus meus, ſummum Bonum meum, amo te ſuper omnia, quia infinitè bonus & dignus es.

2. Doleo ex corde, ex mero amore tui, & propter amorem tuum, quod te offenderim.

3. Gratias tibi ago, Creatori meo, quod me creaveris, quod me per totam vitam conſervaveris, ſis benedictus in ſæcula.

4. Suſcipe mi Deus, hanc infirmitatem meam pro peccatis meis, ſuſcipio illam de manibus tuis, & volo illam pati amore tui, in Unione vitæ, paſſionis & mortis Chriſti Jeſu.

5. Omnibus viribus meis, anima, & corpore, & ſpiritu, millies benedico mi Deus.

6. Credo omnia quæcunque credenda præponit S. Romana Eccleſia, in hac fide mori volo.

7. Deſidero venerabile Sacramentum, & in hoc deſiderio mori volo.

8. O quis mihi det ô Jeſu, ut ſic moriar ſicut tu, ſicut benedicta Mater tua, ſicut Sancti tui! volo mori, ut imiter te Jeſum meum, Mariam dulciſſimam, Sanctoſque omnes morientes.

9. Habeo ſpem & fiduciam in promiſſione tua, in miſericordia, omnipotentia, meritis tuis, quia dimittes mihi peccata mea, & videbo te in gloria tua.

10 O cœlum! ô charum cœlum! quando te ingrediar?

11. Cupio te videre, mi Deus, in gloria tua.

12. Pater noſter &c. Fiat voluntas tua. Et hæc petitio ſuaviter iteranda.

Ad oſculum Crucifixi.

13. NE ſpernas Domine animam meam, quam redemiſti ſanguine tuo.

14. Jeſu mi crucifixe, ſalva me, per vulnera tua, mi Jeſu, conſpute, flagellate, coronate, non ſint mihi fruſtranea vulnera tua.

15. Aperi mihi Domine latus tuum, & cor Divinum lancea apertum, ut principes tenebrarum non occurrant mihi, nec me conturbent potestates aeris hujus, sed hoc sanctum vulnus protegat me, & potentia tua defendat me. Vide plures actus ad sacratissima vulnera Jesu in media nocte à me edita, possunt quoque dici affectus ex oratione illa; Anima Christi sanctifica me &c.

16. Offero tibi Domine Deus hoc ultimum vitæ meæ, & volo mori amore tui.

17. Sanctissima Virgo Mater Dei, Mater misericordiæ miserere mei. Adsis mihi modo, & in hora mortis.

18. Sancte Angele Custos, custodi animam meam in finem.

19. O Deus meus, offero tibi hos dolores meos, pro animabus in Purgatorio.

20. Non intres in judicium cum servo tuo Domine.

21. Jesu mi felle potate, suscipe à me has amaritudines meas.

22. Dimitte Domine omnia omnibus, quicunque in aliquo me læserunt.

23. Terribilia Judicia tua Domine, timeo, sed solatur me infinita bonitas & charitas tua.

24. O cor amorosissimum Jesu mei, tibi trado cor meum.

25. O cor amabile Matris Dei, impetra mihi salutem æternam.

26. O Domine hic ure, hic seca, dummodo in æternum parcas.

27. Ocule Dei mei, si quid in me vides, quod tibi displicet, nauseo & doleo, & libenter confiterer, si scirem illud.

28. Non morior Martyr, tamen Domine hos dolores meos pro fide, & ex amore tui, & propter vir-

tu-

tutes omnes ſupernaturales ſuſcipio , & morior.

29. Non ſum dignus cœlo, tu autem, mi Deus, dignus es, ut te in æternum amem , laudem, & glorificem.

30. In vulnera tua me projicio, ô dulciſſime Jeſu, ibi me abſconde & defende, nunc & ſemper, donec largiaris gratiam, videndi te, & amandi in æternum.

§. III.

Proxima diſpoſitio ad mortem Infirmi jam agonizantis.

1. IMpendenda abſolutio Sacramentalis ex pacto.

2. Actus varii ſuggerendi, quales ſunt, e.g. qui ſequuntur.

3. Jeſus, Jeſus unica defenſio mea, & ſalus mea.

4. O Jeſu! ſis mihi Jeſus, in manibus deſcripſiſti me, lege ſcripturam hanc, & ſalva me.

5. Dulciſſima Mater, adſis mihi nunc in defenſionem.

6. Doleo, quod unquam te Deum, te ſummum Bonum meum offenderim.

7. Diſcedite partes adverſæ, Jeſus meus apud me.

8. Credo, ſpero, amo te Deum ſuper omnia.

9. Cupio te videre, mi Deus, oſtende mihi faciem tuam & ſalvus ero.

10. Morior ex mero amore tui, ſuſcipio decretum tuum.

11. Morior ex obedientia, quia tua voluntas ſancta.

12. Morior ex juſtitia, & pro pœnitentia, quia merui peccatis meis.

13. Ne ſpernas animam meam Redemptor mi.

14. Jeſu agonizans, unio hunc agonem meum cum agone tuo.

13. In manus tuas ſpiritum meum trado.

14. Maria Mater Jeſu, eſto mihi vera Mater, in hac ſuprema neceſſitate.

15. Mater miſericordiæ nunquam fruſtra inclamata, inclamo te tota fiducia animæ meæ.

16. Mi Jeſu, credo in te toto corde, quia prima veritas es.

17. Mi Jeſu, ſpero in te toto corde, quia ſumma miſericordia es.

18. Mi Jeſu, amo te toto corde, quia infinita Bonitas es.

19. O Jeſu, Fili Mariæ, ô Maria, Mater Jeſu, ſuſcipite propitia manu ſpiritum meum.

20. Salve hora ultima optata, utique tu me reddes Sponſo meo, Jeſu meò. Ah! utinam quàm citiſſime fiat, ut Jeſum meum videam, & centrum meum aſſequar.

21. O Æternitas! ad te nunc pergo, ô felix Æternitas, apprehendam te, apprehende me.

22. O Chori Angelorum admittite me ad veſtram ſocietatem, jam tempus eſt. Ah! vere tempus eſt, ut perpetuo inhæream, & adhæream Deo meo.

23. Dulciſſime Jeſu Salvator & Cuſtos animæ meæ, tu noluiſti habere duodecim legiones Angelorum à Patre tuo, mitte mihi illas nunc, mitte quia peccator ſum ut defendant me ab hoſtibus animæ meæ.

24. Cupio mori, ut immoler Deo meo, cui me tot modis debeo.

25. Volo mori, ut nunquam Deum deinceps offendam.

26. Volo mori, ut ſemper tecum, in te & per te vivam Deum meum in æternum, & ultra.

CAPUT VIII.

Præparatio pro se ipso ad bonam mortem.

HUc spectat illud Christi Domini: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quid prodest tot decadibus annorum vixisse, & in ultimo non tam anno quam puncto perire. Quid prodest opulente in dignitate vixisse Sacerdotali, tandem tradi cruciatui infernali. Bene licet Ethnicus admonuit: Tota vita discendum est mori. Et alter: Vita nostra est via ad mortem, si via? Sit & præparatio. Nimis enim tardè tunc ad mortem se præparare cogitat, qui dum undique dolores, undique angustiæ, verbo, plus jam mortis esca, quam vitæ umbra apparet, tunc velle se præparare, certè insipientis. Quis enim miles in conflictu gladium, aut sclopetum quærit venale? antequam emeret, profecto occisus jaceret, & palmam perderet, multo majus damnum pateretur prostratus improvisè in conflictu ultimi agonis, ubi de anima & æterna agitur palma. Agamus itaque & videamus, quomodo fieri possit, ne dum aliis prosumus, ipsimet pereamus.

§. I.

Præparatio tempore Sanitatis.

PLurimæ inveniuntur in libris & libellis devotiunculæ pro felici morte, tam per revelationes acceptæ, quàm etiam à devotis hominibus electæ, & fere quotidie practicantur, quæ quoniam ad manus unicuique sunt, & sparsim inveniuntur, hic illas brevitatis causa non pono, nisi illas, quæ rarò, aut prorsus nullibi inveniuntur.

Non pridem exiit in prælum pium fœdus aliquot Sacerdotum, ad impetrandum sibi mutuis conatibus Jesu morientis amorem, & felicem obitum. Quæ illius sunt obligationes, certè sat faciles quilibet intelliget, si ejus erectionem legat, quæ hæc formalis est. Cum duæ sint principes Sacerdotum functiones, altera efficiendi ex conceptis verbis ac sumendi corporis & sanguinis Jesu Christi, altera Pœnitentes ritè absolvendi, videntur inde Sacerdotes ad duo præsertim urgeri. Est ut præcipuo quodam præ cæteris amore ferantur erga Jesum, eumque in oculis gerant, quem stupentem beneficii magnitudinem cœlo toties excipiunt manibus, sanctèque depereant, atque intimo sinu foveant, suavissimum illum non tantum sui pectoris hospitem, sed vel ut fructum labiorum suorum, & partum oris sui, Deum verbo enitentis, ad æmulationem propè Patris æterni, & immaculatæ beatissimæ Virginis Mariæ, quæ & ipsa verbo Verbum Dei concepit. Neque id tamen ex primo Sacerdotii munere sequitur, sed quod proximum & affine est, nec ab amore Christi discretum, ut nimirum tenerrimo pietatis sensu duci studerent erga sanctissimam ejus Passionem ac mortem, quam & divinæ Charitatis apicem norunt, & ipsi toties ex officio velut in scenam dant, exhibitione viva, absit ut emortua fide, vel stupida ad tantæ dilectionis memoriam voluntate. Obvium verò satis est, alterum illud ad quod Sacerdotes ipso sui muneris exercitio admoniti perurgentur, videlicet, ut sibi à sordibus caveant, qui mundandis aliis sint præfecti; Atque ut juvandis ad piè obtinendam mortem destinati, potiorem in hac re sibi curam impendant, sanctumque obitum omni sibi ratione procurent. Id scilicet fuit causæ, cur Sacerdotes aliquot, in sanctam Societatem convenerint, ut mutuas sibi præstarent operas, ad obtinendum geminæ hujus gratiæ beneficiũ: Quam in rem pacti sunt,

ſunt,ut ſinguli ſingulis menſibus,ſemel,votivum de Paſſione ſacrum die Veneris offerent Deo, pro ſe, iisque omnibus,qui in conſocietatem adoptati idem Sacrum fecerint, aut etiam fieri ab alio curarint, vel curaturi ſint,impediente morbo, quo minus id ipſi facere valeant. Quod ſi votivum ejusmodi Sacrum non liceat eo menſe ex Rubricarum directione facere, (ut non licet) quando officium non eſt de Feria, nec quando reſumenda eſt Miſſa Dominicæ præcedentis, quæ fuerit impedita,nec in Feriis Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum & Vigiliarum poterit aliud Sacrum ſubſtitui.Porrò Sacerdotibus omnibus orthodoxis, ſit poteſtas in hoc Sacrum conſortium concedendi,neque ad id alio ritu opus eſt, quàm ut fœderatis etiam abſentibus velint jungi, idemque Sacrum iisdem conditionibus facere,neque ſint majoris ut vocant Excommunicationis cenſura percuſſi, cum pro ejusmodi Eccleſiæ extorribus Sacrum offerri ſit nefas. Omnes autem monitos oporteat, nullam in hac Societate obligationem imponi, ſed tantum eas, qui conſtitutum Sacrum non fecerint, aliquo menſe, non fore participes Sacrorum ab aliis eodem menſe factorum, inſtar eorum qui pacto ſteterint. Quia vero, tum Jeſu Chriſto glorioſus, tum ſingulis fœderatis compendioſius futurum eſt fœdus,quo ſociorum magis excreverit numerus, invitantur ſocii omnes, ut quam poterunt plurimos, ad ineundam hanc ſocietatem hortentur,ac præterea, ut ipſi non tantum in Sacro ex pactione ſtatuto,ſed & in omnibus aliis Sacrificiis Deo ſtudioſè commendent eos omnes, qui in ſocietatem iſtam convenerint, eoque menſe prædictum Sacrum obtulerint,aut ſint oblaturi,modo ſuperius declarato. In hæc autem verba ſi lubeat,concipi poteſt Sacri oblatio. Domine Jeſu,Fili Dei & Deus verè, quia te

Deo Patri in pretiosam charitatis victimam,&in amoris hostiam,nimis amabilem obtulisti, suscipe quæso,vicissim, quod suavissimæ dilectioni tuæ rependo, non tantum impar cordis mei devotissimi holocaustum, sed & par oblationi tuæ Sacrificium corporis & sanguinis tui sacrosancti, quod apparo tibique tota memoris animi devotione offero, tum in gratiarum actionem pro summo illo amore, quo acerbissimam mortem nostra causa subiisti,tum pro me,iisque omnibus,qui mecum fœdare sociati,sacrum ex pactione constitutum fecerunt, vel facturi sunt hoc mense, aut morbo impediti fieri per alium curabunt, ut qui mortem ex amore nostri amantissimus obiisti,sanctum nobis omnibus tui morientis amorem,& felicem in tuæ charitatis amplexibus obitum, concedas, Amen.

§. II.

Testamentum Animæ.

COnsultissimum & utilissimum Testamentum seu ultimam voluntatem condere sano corpore & animo,ob fortuitos casus,in quibus condere non licet, vel propter phrænesin, vel subitaneam mortem, unde maxima damna etiam animæ emergere solent. Non enim frustra à Deo data dona fortunæ, de quibus certè ratio stricta reddenda. Qui sapit, tempestivè, & quam diu licet,de illis ad majorem Dei Gloriam, ad salutem animæ suæ, & in emolumentum Ecclesiarum ac pauperum disponet. Si utilissimum de rebus temporalibus tempestivè & sano disponere corpore. Quidni de anima quam optime disponere,& illi quam optimè providere? Hoc tota vita sua debet cogitare homo,quia hoc negotium negotiorum est,finem felicem sortiri,& Deo dispositum reddere pretiosum, animam suam unicam dedit Deus,unicam repetit,candidam dedit in Baptismate, candidam repetit in morte. Tunc pactum & Testamen-

mentum quoddam cum Christo initiatum est, illud in vita servandum, in morte consummandum est. Ergo semper memorare frater charissime Testamenti tui, quia & Deus vult memorari Testamenti sui. Hinc sequere Homines Deum & animam suam ad vitam æternam amantes, & tempestivè conde Testamentum animæ, seu ultimam voluntatem providendi animam, quæ licet sacro adhuc fiat corpore, dummodo non retractetur, summum in ultimo agone habet valorem. Forma autem Testamenti hujus est talis;

In nomine sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filii, Spiritus Sancti, Jesus, Maria, Joseph. Ego N.N. protestor, me propter testificantem veritatem primam, firmiter firmissimeque, nunc pro tota duratione mea, & in mortis articulo, credere, atque confiteri sanctissimam Trinitatem. Jesum Christum Dominum esse consubstantialem æterno Patri Filium, verum Deum & Hominem, Redemptorem meum pientissimum, dulcissimam Dominam Mariam, Matrem Dei, Virginem esse. Esse in Eucharistia vere, realiter, substantialiter corpus & sanguinem Dei Hominis Christi. Protestor me credere ea omnia ac singula, quæcunque tanquam divinitus revelata, credenda proponit S. Romana Ecclesia; His contraria damno, execror, anathematizo, paratus omnes, & unamquamq; veritatem, & S. Romanæ Ecclesiæ definitionem sanguine meo, anima, & vita mea consignare, & potius frustatim, guttatimque perire, ac infinities mori, quam vel ad momentum aliter sentire, ac profiteri. Hæc est fides mea, in qua vivere & mori constanter volo, confirmo, & æternaliter ratifico. Si aliquando oppositum quodpiam mihi dæmon suggesserit, illud pro ignorato, indeliberato, nolito, jam ante repudiato, revocato, infectoque habeo, præsta mi Domine, ut permanendo in eo quod credo, merear aliquando videre quod credo.

De justitia, meritis, dignitate mea despero, totaliter & omnem spem meam colloco in immensa bonitate & infinita misericordia Dei, clementissimi Domini mei, in bonitate, meritis, & pretiosissimo sanguine Jesu Christi Salvatoris nostri, in bonitate, & benignitate serenissimæ cœlorum Reginæ, Dominæ meæ Mariæ, in suffragiis & intercessione Sanctorum, Sanctarumque omnium, & meorum præcipue Patronorum, in protectione omnium sanctorum Angelorum, meiq; præsertim tutelaris. O dulcis Jesu dum spirabo, sperabo creatura tua, spero & sub umbra alarum tuarum sperabo, in Bonitate qua redemisti me, in sanguine quem effudisti & obtulisti pro me. Faciet utique Bonitas tua, ne pereat in malitia mea, quod reparavit misericordia tua, ne pereat in miseria mea, quod redemit summa Clementia tua.

O Pater amantissime, Deus dilectissime, offero tibi hic & nunc, vel maxime in agone ultimo vitæ meæ, sanguinem Filii tui, & pro peccatis meis, totiusque mundi. O Jesu dulcissime, hic & nunc, vel maximè in agone vitæ meæ, offero tibi cor purissimum, dilectissimum, virgineum, beatissimæ Virginis Matris tuæ, pro omnibus peccatis & sceleribus meis. Tibi ô S. Spiritus! offero cor meum, ut illud accendas igne amoris tui, hic & nunc, vel maximè in ultimo agone meo. Amo te, & æstimo te Deum meum super omnia quæ Deus non sunt, imo cupio millies, millesies in mille dividi partes, & tot millenis cordibus te SS. Trinitatem & Jesum meum, nec non Matrem ejus dulcissimam, Dominam meam clementissimam Mariam, ac S. Josephum amare, & hoc gratis, sine ulla mercede, quia dignus es tu Deus meus omni amore. Amo itaque te, Deus meus, Deum Patrem per amorem Filii. Te Deum Filium amo per amorem Patris & Spiritus Sancti. Te S. Spiritum amo amo-

amore quo te amat Deus Pater & Deus Filius. Te Matrem dulcissimam & S. Josephum amo, amore quo vos Sanctissima Trinitas, omnes Sancti & Sancti Dei amant, cupio ex amore Dei mei mori, imo ut holocaustum immolari. Opto omnes guttas sanguinis mei mutari in corda, & illa immolari Deo meo igne amoris Divini. Sed quid essent illa, nisi corda peccatoris maximi? Itaque me tibi dulcissime Jesu, millies, & millies, & iterum, & centies millies millesies offero, & me tecum, per te, dulcissimo Patri, Spirituique S. supra aram amorosissimi cordis tui dulcissimi, igne amoris tui offero & dedico Deo meo, sine ullo desiderio mercedis, ad meliorem, optimum, purum, putum gustum Dei mei. Omne momentum vitæ meæ valere volo, & opto, & intendo, ut sit continuus amor tuus, quo te Deum meum amem, laudem, honorem, benedicam super omnia, omni possibili amore, quo te omnes creaturæ amant, benedicunt, ac laudant, amarunt, laudarunt, benedixerunt, amare, laudare, ac benedicere debent in æternum.

Jesu mi agonizans & moriens in cruce pro me, amo te quam possum, ignitissimè & æstuosissime, quomodo etiam te amare volo, statuoque in mortis meæ agone, in quo ut cor meum amoris tui ignibus Seraphicis, Marianisque, ac insuper tuis æstuet, palpitet, concutiatur, eorumque actu & æstu conficiatur ac emoriatur, tu mi Jesu, propter agonis, mortisque tuæ instans, misericordissimè facito.

Jesu dulcissime, Sponse animæ meæ, agonizans & moriens in carne pro me, cupio, propono, & abs te peto, ut instans ultimum vitæ, mortisque meæ consummativum sit ardentissimus tui amor, quo cor meum & accensum ignescat, & vulneratum immoriatur, & consumptum incineretur, & concrematum favillescat. Jesu mi

mi agonizans & moriens in cruce pro me, ſtillantem tepentemque amore mei ſanguinem tuum colligo, & lambo devotus, optans ſimul ac petens à te, ut in hora mortis meæ, adeſſe mihi præſens cum glorioſa Matre tua, Sanctisque tuis digneris, annumeresque ſaltem ultimis Redemptis & Electis tuis, & in illo decretorio agonis mei momento, ſecundum magnam miſericordiam, copioſamque redemptionem tuam miſerere mei. Totum me ſanctiſſimæ voluntati Divinæ offero, & dum placitum fuerit Domino Deo meo, me hinc tollere ex hoc mundo, libenter ex virtute obedientiæ mori volo, me conformando ſanctiſſimæ ejus voluntati. Offero etiam mortem meam ex virtute pœnitentiæ, pro peccatis meis.

Omnia opera totius vitæ meæ mala retracto, & omni poſſibili fervore contritionis doleo, & corrigo, ad meliorem guſtum Dei mei. Omnia vero bona rata habeo, gloriam do Deo meo, vanitatem do Diabolo, mihi purum merumque nihil conſervo.

Spiritum meum non alibi, quam in ſuaviſſima Dei voluntate, Jeſu Chriſti Domini mei latere, dulciſſimæ Virginis manibus, S. Joſephi patrocinio, Eccleſiæ S. Romanæ Catholicæ fidei gremio, emittere atque deponere exeuntem ex corpore, volo & cupio.

Deum beatifice videre non merui, nec merebor in æternum, cupio tamen videre, quia ille me ad hunc finem condidit, redemit, perducere vult, gratiam dat, & merendi per Chriſti ſanguinem facultatem.

Omnia Domino Deo meo adſcribo, omnia momenta offero, me totum quantus quantus ſum, reſigno.

Dulciſſima Virgo, Mater Dei, amo te poſt Deum ſuper omnia, quia Deus ſuper omnem creaturam amavit & amat te, quia ſi non amavero te, Deus non ſalvabit me. Amo te, & ſi mille corda haberem, mille cor-

cordibus amarem. O amatrix mortalium, ô raptrix cordium, ô dulcissima esca & mellitissime laquee peccatorum. Amo, amo te, & in amore tui volo mori. O Mater centies millies, millesies, infinities, & ultra amanda.

O utinam tot millena haberem corda, quot annis, mensibus, hebdomadibus, diebus, horis, momentis, vixi, ut possim recompensare amorem neglectum Dei mei, & unumquodque offerre in holocaustum. Saltem ex nunc mi amantissime Deus, desidero, cupio, anhelo & hoc scripto confirmo, me velle quolibet anno, mense, hebdomade, die, hora, momento, imò per omnem æternitatem cor meum, millies millesies, Christiformiter, Marianè, omnistudionaliter offerre, in holocaustum, super Aram amorosissimi cordis dulcissimi Jesu.

Potest hic apponi contra vanam gloriam in protestationibus ultima. Omnis gloriæ in Deum transfusio; ut supr.

§. III.

Usus hujus Testamenti.

SIcut tota vita nostra deberet esse continua dispositio ad bonam mortem, sic in continuo usu deberet esse hoc Testamentum animæ, quod est optimum dispositionum omnium. Cum tamen quotidie non vacet formalibus illud semper proferre & recitare. Sufficit ratihabitio seu virtualis prolatio, quæ tali modo fieri potest; Scribe tibi hoc Testamentum in chartula aliqua vel continua vel divisa per actus, & illud sicut amuletum aliquod in capsula vel reliquiario ad collum appende, & quotidie in visitatione Venerabilis coram Venerabili, manu ad pectus & cor tuum hoc scriptum applica, cum hac protestatione & ratihabitione; Cupio dul-

dulcissime Jesu, omnes hos actus à me iterum iterumque fieri, in æternum repeti & durare, cum omni efficacia & conatu, non solum quo facti sunt, sed quo fieri possunt, ut tibi Domino meo æternaliter placere, & amore tuo ardere, imo & in amorem tuum converti, omnesque convertere possim.

Interim tamen, etiam vel semel in mense, vel semel in hebdomada illud formalibus verbis attentè, ferventer recitandum. Sicut etiam diebus SS. Patronorum, & in Octava eorundem, ut sic magis excitetur & accendatur spiritus, vel etiam Testamentum animæ recitetur in diebus Patronorum, & protestationes superius positæ in Octavis illorum.

§. IV.

Testamentum Religiosorum.

MUltum prodest homini etiam quoad animam legitimum condere Testamentum, & sibi de temporalibus pro infinita æternitate providere. Videntur hac felicitate carere Religiosi, cum illis sit Jure Canonico prohibitum testari, Testamentaque eorum irrita esse. Cum Religiosus nec proprium habet, nec proprii est capax. Quid in hoc Societas Jesu singularis habeat, vide Suarez Tom. 4. de Relig. 4. c. 6.

Insunt tamen bona quædam Religiosis, quæ in nuncupatione votorum à se non alienarunt, de his justè & meritoriè testari possunt. Cape praxin ex R. P. Daniele Pawlowski in locutione Dei ad cor Religiosi.

Ego N. N. volo facere Testamentum ultimæ voluntatis meæ, in omnem vitam, & mortem meam, & in æternitatem valiturum, ad majorem Dei mei gloriam, & re-

& recreandum gustum, cor, beneplacitumque divinum, ut consulam animæ meæ securitati, quam ex libera & beneplacente voluntate facere desidero, quantum mihi ô Sanctissima Trinitas, Deus meus, per gratiam tuam, & Domini mei Jesu Christi, pretiosissimæque ejus Parentis, & Sanctorum intercessione, licitum est.

Atque hic inprimis prævios actus huic Testamento accommodatos expedi, nempe actum Fidei, Spei, Charitatis, contritionis, gratiarum actionis pro beneficiis totius vitæ, Resignationis in omnem DEI voluntatem, desiderii videndi Sanctissimam Trinitatem, affectus erga B. V. &c.

Deinde ipsum Testamentum sic aggredere.

EGo mi Deus amore tui, per gratiam tuam, spoliavi me omnibus bonis terrenis, omni substantia temporali, etiam sperata & concupitâ, spoliavi me omni honore mundano & capacitate ipsius, omnibus voluptatibus etiam per jus naturæ licitis, omni demum libertate propria ad faciendum quod liberet meæ voluntati. His igitur jam pridem in sancto sinu tuo depositis, quæ mihi residua sunt, ex dono tuo, de his juxta beneplacitum tuum dispono.

1. Esse Physicum corporis & animæ meæ, trado omnium Creatrici omnipotentiæ tuæ, & protestor te esse primum Principium rerum omnium. Parce, si in primo usu rationis, ad te non sum conversus.

2. Jus extremæ necessitatis defendendi vitam meam, trado suavissimæ Providentiæ tuæ, & protestor te esse Dominum vitæ & necis, subdoque me tibi ad omne genus mortis.

3. In annihilabilitatem per potentiam ordinariam, tam materiæ quam animæ meæ, trado Divinæ immortalitati tuæ, & protestor me nolle esse, nisi propter te, ut amem te.

4. Potentiam obedientialem meam, trado effectrici miraculorum potentiæ tuæ, & proteſtor te Authorem omnium ſupernaturalium eſſe.

5. Alias tam corporis quam animæ potentias, trado virtuti & potentiæ humanitatis Chriſti, cui Unionem Hypoſtaticam gratulor.

6. Virtutes & habitus naturales in anima reſidentes, trado Æternæ Sapientiæ tuæ, eique me in æternum diſcipulum devoveo.

7. Paſſiones omnes & propaſſiones meas, trado inclinatiſſimæ in genus humanum propenſioni tuæ, cui in æternum adhæreo.

8. Libertatem illam abſolutam, quâ hoc momento maximus peccatorum eſſe, ipſumque Luciferum adæquare poſſum, ſubdo eminentiſſimæ libertati tuæ, cui me in æternum demancipo.

9. Famam & honores omnes, ſi qui mihi aliquo jure debentur, trado inprimis ſupremæ Dignitati tuæ, deinde linguis & vilipenſionibus, obtrectationibusque hominum, ita, ut nec poſt mortem ab hac obligatione eximi velim.

10. Merita omnia ſi quæ habeo in Religione, ratione laborum meorum, trado Religioni meæ, nec ab ea quidquam volo, niſi ut me tractet tanquam mancipium, & me inutile pondus poſt mortem in ſterquilinio ſepeliat.

11. Gratias omnes à te mihi collatas, & habitus omnes ſupernaturales in anima reſidentes, trado & depono in manibus beatiſſimæ Dei Matris, proteſtorque, me per manus ejus omnia accepiſſe, & hæc eſt æterna proteſtatio mea.

12. Virtutes omnes ſupernaturales & acquiſitas, ſi quæ ſunt, trado infinitæ Bonitati tuæ, & peto, ut tandem conſumat omnem malitiam meam.

13. Fructum adoratorium & gratiarum actorium, omnium actionum mearum, trado eminentissimæ Majestati tuæ, ad subdendos tibi omnes infideles & hæreticos.

14. Fructum impetratorium omnium actionum & passionum mearum, trado misericordiæ tuæ, pro existentibus in peccato mortali, & pro agonizantibus.

14. Fructum omnem satisfactorium tam mearum omnium actionum & passionum quam alienarum, in vita & post mortem ad me spectantem, trado animabus Purgatorii, plenè & totaliter.

Sic me nudum, exspoliatumque in mero nihilo meo, coram te statuo. Et sic te solo contentus, mori volo, agonem meum agoni Christi unio.

Sic me ex hac vita transfer, & misericordissimè fac me omne id quod vis, Amen.

§. V.

Testamentum de Substantia acquisita.

OPtimè dixit S. Ambr. de Domino Deo nostro: *Bonum Dominum habemus*. Certe bonum, quia ut misericordissimus Pater nobis filiis suis providet, ut habeamus sufficientem victum & amictum, & præterea etiam ultra necessitatem ad exhilarationem. Insuper adhuc, ut nobis felicem, abundantem, & superabundantem æternitatem, ex temporali substantia facere possimus, hocque per ultimam voluntatem, seu ut communi termino dicitur, ultimo Testamento. Tamen non unâ sed plurimâ experientiâ constat, non tantum nostris his miseris temporibus, sed multo ante nos, plurima Testamenta, licet optimè & providè formata, claudicasse, & penitus cecidisse. Unde securius est, & pro

unicuique provido placebit monitum illud S. Jacoboni: Fac bonum omnibus, quamdiu poteris. Optimum Testamentum, quando ipsemet condens Testamentum executorem agit. Si enim tu ipse tibi fueris nequam, quis tibi bonus erit? Si tu ipsemet nunc per largitionem bonorum tuorum, (in quantum fas est) tibi non provideris? putasne alterum tibi fideliorem futurum? Si nunc ut putas difficultates occurrunt, ne possis bonam implere voluntatem tuam, multo plures post mortem invenientur tuam. Ubi adhuc requiritur Approbatio Testamenti, Sumptus ad illam, Testes, &c. quæ tu certe (corpore ut truncus in mundo jacens, & animâ à terrenis jam abstractus) non promovebis. Mihi semper placuit industria cujusdam Coalumni mei Brunsbergens. qui promotus ad Beneficium sat bonum in Episcopatu Varmiens. hausto quoque Spiritu bono in Alumnatu. Mox ab initio cogitare cœpit annos æternos. Intentioni ac Constitutioni Ecclesiæ S. Romanæ, (ut filius obedientiæ) satisfacere conabatur. Ne itaque ejus proventus in direptionem post fata ejus irent, aut occasio contentionum rapinarumque essent, consequenter ne fraudaretur tam ejus intentio, quàm pauperum egestas, hac industria usus; Invitavit ad se religiosos Patres Bernardinos, post ambages quæsivit, num indigerent aliquo subsidio pecuniario? Et si egerent, utrum sub justa conditione vellent certam summam sumere? Conditio autem talis; Ego sum, qui cogito vobis certam summam proventuum meorum per modum ultimæ voluntatis manibus meis propriis numerare, tali modo; Si fortuna verteretur in non fortunam, & aliquo modo necesse haberem aliquando subsidio, tunc subvenietis mihi, vel totâ summâ, vel proportionatâ ad necessitatem meam. Hac stante fortuna, recognitionem unà cum pecuniis dare sum paratus, quod modo sponte, libere, benevolè, sa-

nus

nus mente & corpore, vobis hanc ſummam donem. Stipulatio facta, libelli traditi. Certè induſtria, ut puto non mala, ſic ſibi providere, etiam ante mortem habere ſuffragatores, ne poſt mortem cogatur mendicare ſuffragia. Præterea nunc de ſuo dat, poſt mortem quaſi jam non de ſuo datur. Non enim habet poſt mortem, cum dominium ſubſtantiæ ſuæ ceſſaverit, cum non poſſit jam poſt mortem diſponere. Cui placet, ſequi poteſt, mihi verè placet hæc induſtria, tanquam ſecura & certa.

§. VI.

Aliæ praxes pro felici morte.

RUdus P. Daniel Pawlowski Soc. Jeſu, in libello ſuo intitulato; Locutio Dei ad cor Religioſi. Religioſis modum tempeſtivæ Præparationis ad mortem, (qui etiam cæteris paribus Clero ſæculari congruit) talem præſcribit. Formalia ejus pono;

1. Habeat Religioſus ſingularem affectum erga pretioſiſſimam Dei Matrem, quotidieque eam peculiari cultu veneretur, ad impetrandam per eam felicem mortem, potiſſimum vero, quotiescunque eam ſalutat, cum reflexione & affectu proferat illa verba: Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis noſtræ. Cultum hunc Matris Dei, eſſe ſolatio in morte, probavit P. Joannes à Campis Montenſis Deiparæ devotiſſimus, ejus enim roſarium perpetuò volvebat manibus, ejusdem officium quotidie, cum 5. pſalmis qui literis ſanctiſſimi ejus nominis reſpondent, recitabat. Singulis Sabbathis, ad Novitios cum quibus diu habitavit, ſe conferebat, eisq; hiſtoriam aliquam de Deipara narrabat; Annuæ Prov. Belg. Coll. Torn. 1601. Ille ergo ſub mortem, inſueta lætitia perfuſus, Pa-

tri cuidam dixit; O mi Pater, si nosses, quantum in morte adferat solatium, Deiparam singulari studio coluisse. Nec morti solum nostræ favet Parens vitæ, sed etiam post mortem curam nostri gerit: Apparens enim Patri Hieronymo Cavalio dixit, se magnam gerere curam pro hominibus societatis vita functis, ut è Purgatorio liberentur P. Niremb. de Amore B.V. c.12.

2. Deligat Religiosus aliquod tempus singulis hebdomadis, e.g. die Dominico, vel alio Festo, quo non interveniunt complures occupationes, & eo tempore segregatus ab omni conversatione, in templo, vel alio loco, ita secum disquirat. Si mihi nunc moriendum esset, quo animo, qua præparatione morerer, estne aliquid quod tunc conscientiam gravaret, aut terreret, & si quid ejusmodi repererit, doleat, emendationem proponat, & pro confessione non differenda annotet.

3. Singulas sacras Communiones, per modum viatici sumat, & cum eis actibus, quos sumendo viaticum exerceret, quis enim nos melius ad adventum Judicis nostri in morte præparare potest, quam ipse Judex, qui nunc est cibus noster, & quem qui manducat, vivet in æternum.

4. Quales virtutum actus exerceri solent cum moribundis, & quales in extremo agone dicere vellet, eorum in vita habitum contrahat, tales sunt, Actus Fidei, Spei, Charitatis, contritionis, fiduciæ erga B.V. Resignationes in Divinam voluntatem, desiderii videndi Deum &c. In his igitur actibus frequentandis, habitum in vita contrahat, fietque, ut ei morienti, actus iidem in mentem recurrant, sicut enim umbra correspondet rebus, quarum est umbra, ita actus mortis correspondent actibus vitæ, & sicut percutitur hac animad-

ver-

versione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui vivens oblitus est Dei, ita hac misericordia præmiatur justus, ut moriens recordetur Dei, qui vivens oblitus est sui, ut esset per frequentes actus memor Dei.

5. Præter pretiosissimam Dei Matrem, eliget alios etiam Patronos mortis suæ, quos eo fine quotidie colat, iisque mortem suam commendet. Ex his Patronis sit S. Michael Archangelus, & S. Angelus Custos proprius, in cujus honorem destinet, æternoque jure illis inscribat, (salva inscriptione animabus Purgatorii) omnes actus amoris Dei, quoscunque tota vita eliciet. Præterea, quotidie eos invocet. Iisdem Patronis annumeret specialiter S. Barbaram Virginem & Martyrem, in cujus honorem, destinet & pleno jure ei inscribat, omnes sacras Communiones totius vitæ, salvâ itidem inscriptione fructus satisfactorii, animabus Purgatorii. Præterea, quotidie invocet illam, manè & vesperi. Adlegat insuper sibi in Patronos mortis Filii societatis, Sanctos Soc. nempe S. Ignatium, S. Franciscum, utrumque B. Stanislaum, B. Aloysium, alios N.N. in quorum honorem, omnes actus mortificationis totius vitæ destinet, (salvo jure animarum Purgatorii) & quotidie singulariter eos invocet.

6. Ad Dominum Jesum agonizantem in cruce Religiosus peculiariter sit devotus, quotidieque tempore meridiano, ad pulsum, qui solet dari pro salutanda Dei Parente, salutationibus angelicis adjiciat hanc oratiunculam: Jesu mi, Jesu mi agonizans in cruce pro me, momento agoniæ & mortis tuæ pretiosissimæ, momentum agoniæ & mortis meæ dedico, offero, unio, sit mors tua vita mea ô JESU mi!

7. Quotidie conferens ſe ad ſomnum, inſtituat Religioſus praxin mortis uſitatam olim P. Gaſpari Druzbicki, vitam cœleſtem planè in terris ducenti Praxis eſt ejusmodi; 1. Decumbe in lecto, veluti amplius ex eo non ſurrecturus. 2. Toti mundo rebusque ejus valedic. 3. Teſtamentum ſpirituale ratifica. 4. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, atque extremam Unctionem ſpiritualiter ſume. 5. Elicias breviter actus, quos in morte velles elicere. Credo, ſpero, amo ſuper omnia, doleo ex amore tui. Condono omnibus inimicis meis omnia; Fiat voluntas tua, deſidero videre te. 6. Agonizanti in cruce Chriſto, inſtantique mortis ejus, & pretioſiſſimæ Parentis ejus, omniumque Electorum, inſtans mortis tuæ commenda & uni. 7. In manus Sanctiſſimæ Trinitatis, Jeſu Chriſti, B. Virginis, omniumque Electorum ſpiritum tuum trade. 8. Ultimo veluti anhelitu nomina *Jeſus & Maria* ingemina, ſicque obdormi.

8. Peculiariter Religioſus ſit addictus diſponendi moribundos, non patietur enim Deus malè mori eum, qui aliis ad bene moriendum profuit, interdumque Deus hoc ſtudio poſt mortem punit, defectum zeli circa animas in vita commiſſum, quod tali hiſtoria comprobat P. Jacobus Hauſinus lib. de Commun. generali par. & ſect. 8. Sacerdos quidam Societatis noſtræ, præbuit ſe videndum poſt obitum ſuum alteri ejusdem Soc. Sacerdoti, viro graviſſimo, religioſiſſimoque, & narravit inter alia, ex quo eſſet è Purgatorii ſuppliciis emiſſus, varias urbes & provincias ſibi eſſe luſtrandas, quod vivens zelum exercuiſſet remiſſiùs: atque ita tutelarium Angelorum ritu, juſſum ſe moribundis aſſiſtere. Retulit hoc P. Florentius Montmorencius, qui cum eo tempore ageret Pro-

Provincialem, de tota re edoctus eſt, per literas ab eo Patre, cui mortuus apparuerat.

9. Agonizantium memor ſit Religioſus quotidie, & pro iis oret, quotiescunque dicit; Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace, conjungatque ſemper orationem pro animabus in Purgatorio, orationi pro agonizantibus, ex quorum momento pendet eorundem æternitas, & qui ſunt auxilio ſuffragiorum egentiſſimi, qui autem intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala, in die malæ mortis, liberabit eum Dominus. Hæc R. P. Pawlowski.

§. VII.

Adhuc aliæ Praxes pro felici morte.

CApe etiam aliam praxin ex bona nocte à me edita, diſtributam per tria tempora, nimirum Sanitatis, Infirmitatis & Agonis. Cum pauca exemplaria in lucem exierint, etiam hic pono.

Tempore itaque *Sanitatis* 1. Quolibet die memor eſto diei mortis, neſcis enim quo die aut hora ventura ſit mors. Opportunum autem tempus revocandi ſibi tempus mortis, dum cubitum vadis, ſomnus enim imago mortis; Ad lectum ad lethum. Itaque jacendo in lecto, compoſitis manibus, pone te ut ponendus ſupra feretrum, imaginare tibi illud tempus, recogitando: Si modo obiiſſem, & nunc ſic ſupra feretrum jacerem, in quo ſtatu nunc anima mea eſſet, num in cœlo, an in inferno. Si es in malo ſtatu,

dole de illo,& gratias agas Deo tuo, quod te nondum projecerit à facie sua in æternam damnationem, agnosce misericordiam ejus, & quantocyus conare per contritionem & confessionem, ut cum Deo tuo sis in gratia. Ne differas de die in diem (inquit Sapiens) subito enim veniet ira illius.

2. Concordi voce dicunt Theologi, judicii particularis sedem illic esse, ubi quisque moritur. Ita idem & mortis & judicii locus est. Quoniam vero mors ut plurimum in cubiculo, seu conclavi, & in lecto nos invadit, traditque Judici, utilissimum prorsus, etiam interdiu, si domi suæ in suo quis cubiculo Tribunal sibi cogitatione fabricet, se ipsum sic exhortando; En hic meus in me Judex sedebit, hic tutelaris Angelus, hic accusator Diabolus stabit, hic ego jacens & prostratus sententiam irrevocabilem excipiam, hic judicabor, hic ego intelligam inter quos æternitate tota victurus sum. Quocirca, quotidie (sic statuo) Tribunal hoc mihi, meæque causæ constructum, studiosissimè contemplabor, ne unquam judicii hujus immemor, in vitia deflectam, atque judicem imparatus veniam & iniqua causa laborem.

3. Quodcunque vis agere, confer cum puncto mortis, num tum placeret hoc præsens egisse, si placeret fac nunc, sin minus, relinque. Optabis enim in puncto mortis, ut nunquam aliquid mali commisisses, sed ut quam plurima bona egisses. Declina itaque in vita malum, & fac bonum, & non habebis in morte quod doleas.

4. Quotiescunq; mortuo pulsabitur, revoca tibi tempus illud, quo tibi pulsabitur. Et si datur occasio, flexis genibus dic 5. Pater noster; & Ave ad S. vulnera Christi

ſti Domini , ut per eadem tibi concedat felicem agonem.

5. Dum meridie Ave Maria (ut vocant) pulſant, revoca tibi agonizantem Jeſum in cruce, condoleas ipſi, & roga eum, ut tibi agonizanti adſit in ſolatium, ſi es tanti, da aliquam eleemoſynam eo tempore in hunc finem, vel ſi pauper deeſt, illam depone, poſtea pauperi reddendam.

6. Fac nunc propoſita pro agone, & illa in charta annota. Vide ſupra de Teſtamento animæ, & Uſu ejusdem.

7. In Feſto corporis Chriſti, quolibet anno fac generalem Confeſſionem totius anni, & communica ad hanc intentionem, ne Deus te permittat mori ſine viatico. Sic enim canit S. Eccleſia. Sic nos, nos tu viſita, ſicut te colimus. Cole Deum tuum in venerabili Sacramento, & ille te quoque viſitabit in Venerabili, tempore neceſſitatis.

8. Ut tibi revoces quotidie horam mortis, imaginare tibi extremam Unctionem, & per modum illius, ut miſericordiam Dei conſequaris & impetres, veſperi eundo cubitum, forma crucem pollice ſupra frontem, dicendo: Per iſtam † S. Crucem & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat mihi Dominus. Quæcunque deliqui per liberum arbitrium, per memoriam, intellectum & voluntatem, Amen. Deinde ſignando oculos, dic; Per iſtam † S. Crucem, & ſuam &c. Quæcunque per viſum deliqui, Amen. Signando aures. Per iſtam † S. Crucem & ſuam &c. Quæcunque per auditum deliqui, Amen. Ad nares. Per iſtam † S. Crucem & ſuam &c. Quæcunque per odoratum deliqui, Amen. Ad labia, per iſtam † S. Crucem &c. Quæcunque per guſtum & locutionem deliqui, Amen.

Ad manus. Per iſtam † S. Crucem &c. quæcunque deliqui per tactum, Amen. Ad lumbos, Per iſtam † S. Crucem &c. quæcunque per lumborum delectationem deliqui, Amen. Ad pedes, per iſtam † S. Crucem &c. quæcunque per greſſum deliqui, Amen. Sic ſolebat facere P. Wolffgangus Grauenegus Soc. JESU.

Tempore Infirmitatis. 1. Cum te Deus infirmitate viſitaverit, cave inprimis, ne ulli alteri infirmitatem tuam adſcribas, vel veneficio, vel inimico tuo, ſed propriis peccatis tuis illam adſcribe, & Deo tuo gratias age, quod te hic puniat. Unde

2. Sis patiens ut bonus filius, qui virgam, quâ à parente percuſſus oſculatur. Sic peramanter ſuſcipe morbum de manu dulciſſimi tui Patris, cum te misericorditer & verè paternè puniat, non in tantum, quantum meruiſti. Unde dic cum S. Aug. Hîc ure, hîc ſeca, dummodo in æternum parcas.

3. Totum te committe voluntati Divinæ, nec conqueraris de doloribus aut de diuturnitate. Scit enim Dilectus tuus, qui, & quam diuturni dolores tibi proſint. Sæpe in die unias dolores tuos cum doloribus Sponſi animæ tuæ, dum penderet in cruce pro te. Vel dic: Nonne tu mihi ſufficis Deus meus, ut ne de minima quidem re conquerar? aliud nolo, tu ſolus Deus meus es unicum ſolatium meum. Vel, Domine Jeſu, quidquid vis, quantum vis, quamdiu vis, quomodo vis ego volo, fiat voluntas tua.

4. Dum medicinâ uteris, noli conqueri de ejus amaritudine, ſed ex virtute obedientiæ, quia medicus jubet, illam hilariter ſume, & revoca tibi in mentem illud

illud acetum cum felle mixtum, quod Jesus tuus pro salute tua bibit.

5. Quamprimum confitearis sincerè & integrè, ut per infirmitatem tuam sis in gratia Dei, & sic per dolores & patientiam tuam quam plurimum pro cœlo lucreris: poteris etiam rogare Confessarium, ut tibi dolores infirmitatis tuæ assignet pro pœnitentia. Quia sic ad Sacramentum elevati, maximi valoris erunt apud Deum.

6. Affectum ab illo, quod tibi causa vel ansa ad peccatum fuit, tempestivè eradica, in quantum possibile, & mentem & oculos averte, ne postea in agone pereas.

7. Toto tempore infirmitatis ad agonem te dispone, cogitando, quomodo, quam optimè miseram hanc vitam finias, quid tibi agendum aut fugiendum, ad quod plurimum valebit lectio sacra, si ipsemet legere non vales, cura ab alio tibi quid spirituale prælegi.

8. Dum dolores crescunt & quasi intolerabiles videntur, dic: Domine, tu me percute. Ego autem interea pro more Flagellatorum. Miserere mei Deus, dicam. Vel, Domine, da mihi modò patientiam, postea indulgentiam.

9. Tempestivè sacrâ Unctione te munias.

10. Pro extremis nunc jam sic dispone: In extremis meis angustiis, in suprema & ultima vitæ meæ horula, cum animæ meæ jamjam erit è veteri suo tabernaculo migrandum, hoc ipsum pro me clamare volo singulas respirationes meas: imo jam superstes & sanus deliberatissimè & ardentissimè volo, & jubeo, ut in ipso mortis meæ momento, aut proximo ante illud tempore, singultiens spiritus meus, tàm Angelis quàm homi-

hominibus, vel ſingultiendo, ſignificet ſe ad te ô Deus clamare, neque vero aliud, quam miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam.

Tempore agonis. Hîc te militem Chriſtianum, fidele membrum Chriſti, & filium S. Romanæ Eccleſiæ Catholicæ oſtende. Itaque

1. Dum jam ſentis tela mortis in te dirigi, & tibi confligendum, pugnandumque cum hoſte animæ tuæ, de æterna felicitate, quam optime te munias, & quidem quidquid minimum conſcientiam tuam affligere poteſt in agone, tempeſtivè evome, & ſanctis Clavibus Eccleſiæ per Confeſſarium tuum committe.

2. Fac propoſitum te ſæpiſſimè (etiam deſtitutus ſenſibus exterioribus) velle elicere actum Contritionis de peccatis. Unde nunc pro tunc, ſi adhuc potes, dic: Mi Deus, ex toto corde meo doleo, ex toto corde meo purè propter te, quod aliquando te Deum meum offenderim. Hunc actum, quotiescunque halitum emiſero uſque ad ultimum punctum vitæ meæ, integerrimè valere volo. Roga itaque Confeſſarium, ut vi actus iſtius, ſæpiſſimè ſuper te formam abſolutionis proferat. Cum enim ſis fragilis homo, poteſt contingere, ut in conflictu ſaltem aliquo delinquas, & ſic per abſolutionem ſacram evades pœnam æternam.

3. Procura, ut te agonizantem ſæpe aquâ benedictâ aſpergat.

4. Teſtamentum animæ, ſeu propoſita quæ ad collum portaſti, dent tibi in manus, & renova proteſtationem quotidianam, ſi non potes ore, ſaltem corde. Cupio mi Deus, hos actus à me &c. &c. ut ſup. de Uſu Teſtamenti. Adde: Et cum his nunc mori volo. Roga adſtantes, ut hoc Teſtamentum tuum ſcriptum tibi poſt mortem dent in manus, & tecum ſepeliant.

5. Sug-

5. Suggestionibus Diaboli nunquam attende, sed mentem tuam occupa piis affectibus & actibus contritionis, ut infra.

6. Si te Diabolus tentaverit vanâ gloria, confundere coram Deo, quod cum Deus tibi tot occasiones merendi dederit, tu illis tam tepidè usus fueris, consequenter redditurus rationem. Si è contra te desperatione tentaverit; Considera Jesum tuum te copiosissimè redemisse, & ideo illum passum & mortuum, ne peccatores perirent. Paratæ sunt manus Jesu pœnitentes peccatores suscipere, recurrere ad illas, non rejicient te.

7. Totum cor tuum effunde coram Jesu tuo. Mi Jesu, quando venies, me lætum quando facies, me de te quando saties. Ah! millies moriar mi Jesu, dummodo amplexu tuo fruar. Cupio, ah! mi Jesu cupio, cupio dissolvi & esse tecum. Veni Jesu mi dilectissime, sponse animæ meæ, veni, & noli tardare. O felix hora, quæ me reddet Jesu meo æternum felicem.

8. Accipe effigiem Christi crucifixi, & S. Jesu Christi Redemptoris tui vulnera osculare, incipiendo à pedibus sacris, ad quorum osculum talem elice actum. Ah mi Jesu! Ego crudelis bestia, jaceo ad pedes tuos sacratissimos, norunt illi calcare serpentes & basiliscos, ut lethale ejiciant venenum, conterant malitiam meam, scio peccatricem illam felicem Magdalenam ad hos pedes remissionem peccatorum suorum invenisse. Non quæro jam hos divinissimos pedes inter epulas uti illa, sed inter clavos, in cruce pro me miserrimo peccatore affixos (osculare pedes Jesu) ô quis mihi det lachrymas compunctionis ad abluendum eos; O quam durus sum ad lachrymas,

Cupio interea ſanguine dulciſſimorum horum pedum ablui. (Denuo oſculare pedes Jeſu, cum ſumma contritione. Ah! utinam amœnam illam vocem audiam à te, JESU meo: Remittuntur tibi peccata tua. Non dimittam pedes hos dulciſſimos, niſi benedixeris mihi dulciſſime JESU. *Oſculando vulnus ſanctiſſimæ manus ſiniſtræ*, dic; Agnoſco mi JESU, & hoc vulnus te pro me paſſum. Ah! utinam mihi non ſit in damnationem, ut illi latroni infeliciſſimo. Reſpice ſanguinem defluentem de hac manu tua benedicta, ſit hic lytrum animæ meæ, utique deſcripſiſti me in manibus tuis. Ah! non delear, ne peream, unicam guttulam pretioſiſſimi ſanguinis tui de hoc vulnere rogo ſuper animam meam peccatricem, & delebit mille iniquitates meas, ſalvaque erit anima mea. Huic ſacratiſſimo vulneri pro ultimo vale ex amore tui commendo omnes inimicos & perſecutores meos, qui me unquam in aliquo læſerunt, contriſtaverunt, aut vituperaverunt, vel aliquod damnum & gravamen intulerunt, parco illis, ut & mihi indigniſſimo peccatori parcas. *Ad oſculum dextræ manus.* Salve dulciſſimum vulnus, ad quod latro invenit paradiſum. Promiſiſti latroni tecum patienti paradiſum. En ego latro. Ego Deicida, eheu! quoties te peccatis meis denuo crucifixi? Ah! nunc doleo ex toto corde. Utinam nunquam te offendiſſem, ô miſericordiſſime Jeſu, audiam nunc benedictam vocem tuam: Hodie mecum eris in paradiſo. Tu utique es Paſtor ille bonus, qui veniſti quærere errantes oviculas. En ego erravi ſicut ovis, recipe me errantem oviculam revertentem ad te. En ego ovicula illa, quam uſque ad ſanguinem quæſiviſti. Ah! recipe me, peccavi Pater mi dulciſſime, peccavi ſuper numerum arenæ maris. Major eſt tamen miſericordia tua, quam iniquitas mea, teſtantur hoc vulnera tua.

Licet

Licet ego perdiderim quæ filii ſunt, tu tamen non perdidiſti, ideo quæ Patris ſunt. Reſpice amantiſſime Pater me egenum & miſerrimum indigniſſimumque ac prodigum Filium tuum. Parce Jeſu mihi delinquenti. Redemiſti me utique crucem paſſus, tantus labor non ſit caſſus. Fac mecum nunc donum remiſſionis ante diem rationis. Ah! ingemiſco tanquam reus, ſupplicanti parce, ô parce mi Deus. Quantus quantus ſum mi Jeſu, utique tuus ſum, ne peream, parce.

Ad oſculum lateris ſancti. Aperi mi DOMINE, aperi mihi latus tuum & cor Divinum lancea apertum, ut Principes tenebrarum non occurrant mihi, nec me conturbent poteſtates aëris hujus, ſed hoc ſanctum vulnus tuum protegat me, & potentia tua defendat me. O dulce latibulum peccatorum. O JESU mi, ſuſcipe animulam meam in cor tuum, lateat donec pertranſeat furor tuus. O mi Jeſu, ſi tu me rejeceris ab hoc vulnere, quo fugiam? hoc utique eſt vulnus amoris, & abundantis miſericordiæ. En ego nunc miſerrimus, oſtende mihi miſericordiam tuam, & ſalvus ero. Miſerere mei Domine Jeſu, dum tempus eſt miſerendi, ne damnes me in tempore judicandi. O Jeſu mi! dimitte me intrare in numerum Electorum tuorum. O Jeſu Dulciſſime! remiſſio omnium peccatorum. O Jeſu! ſolatium ad te confugientium & morientium, Tu ſolus unicum ſolatium animæ meæ, reſpicias in me miſerum & indignum humiliter veniam petentem, & hoc nomen ſanctum Jeſu invocantem, & ad cor tuum dulce, amore vulneratum appellantem. Eſto mihi Jeſus & ſalva me, nec permittas me damnari, quem de nihilo creaſti, & tam carò redemiſti. Non pereat ſanguis tuus pro me tam copioſe effuſus, ſecundum magnam

miſericordiam tuam miſerere mei. Ah JESU mi! voca me ut videam te, & in æternum potiar te. O bone JESU exaudi me, intra vulnera tua abſconde me, ne permittas me ſeparari à te. Ab hoſte maligno defende me, nunc in hora mortis meæ voca me, & jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis & Electis tuis laudem te in ſæcula ſæculorum, Amen, Amen, Amen.

Ad majorem DEI Gloriam, beatiſſimæque Virginis Mariæ immaculatæ conceptæ Honorem.

Elen-

Elenchus Capitum & Paragraphorum hujus Opuſculi.

PARS I.

Caput I.

Caput II.

Caput III.

Caput IV.

Caput V.

§. 1. Dis-

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

Praxes quadruplicis intentionis secundum quadruplicem Sacrificii finem p. m. R. P. Gasparis Druzbicki, ex MS. 176

CAPUT X.

Exercitium latreuticum & Eucharisticum divisum in solenniora Festa p. m. R. P. Gasparis Druzbicki ex MS. 200

3. Pro

CA-

CAPUT XIX.

CAPUT XX.

CAPUT XXI.

CAPUT XXII.

PARS II.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT XIV.

CAPUT XV.

PARS III.

CAPUT I.

CA-

FINIS.

Di[illegible]nale
Sace[illegible]doti
Ric[illegible]
4[illegible]
[illegible]

Keiser Mauritius Joannes

Diurnale sacerdotium
seu modus quo
dies naturalis à sacerdote digne
ac meritorie absolvi possit

Dantisci

Venduntur apud Simonem Beckenstein
1681.

16°. 6 k.n. – 594 str. – 6 k.n
A–A5 – Rr–Rr5

Opr. perg.

Uwaga:

Keiser Mauritius Joannes

Diurnale sacerdotum
seu modus quo
dies naturalis à sacerdote digne
ac meritorie absolvi possit

Dantisci

Venduntur apud Simonem Beckenstein
1681.

16°. 6 k. n. – 594 str. – 6 k. n.
A – A5 – Rr – Rr5

Opr. perg.

Uwaga: 1 część od str. 513 do 528 nie oprawione są na swoim miejscu.